Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 20
Tabla
Número 126

iM807180

R. 7.786
27vto-2-17
BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

# IVSTI LIPSI ELECTORVM LIBER PRIMVS.

In quo, præter cenſuras, varij priſci ritus.

De el Convento de los Martires de Carmelitas Descalços de ...

Está expurgado por comisión ... de la ... Inq.ⁿ en último de ... de 1632 conforme al expurgatorio de dicho año
fr. Agustin de ...

R. 7.786

27vto 2 - 17

Biblioteca Universitaria
GRANADA
Sala A
Estante 20
Tabla
Número 126

BIBLIOTECA UNIVERSITARIA GRANADA

IVSTI LIPSI

# ELECTORVM

## LIBER PRIMVS.

In quo, præter cenſuras, varij priſci ritus.

x

De el Conuento De los Martires De Carmelitas Descalços De

Esta expurg.do por comisi.on del ... de la ... en ... del ... de 1632. conforme al expurg.o del dho año

fr Antonio de ...

iM807180

R/17.786



# AD SERENISSIMVM PRINCIPEM MATTHIAM AVSTRIVM BELGICÆ PROREGEM.

*Imperatoris filium, Imperatoris fratrem.*

POSTQVAM in hanc Belgicam veniſti, Sereniſſime Prorex: ſæpe mihi animus fuit, munere aliquo teſtandę meæ voluntatis. Debere enim iam videbar. primùm, quia non nouus familiæ veſtræ cliens; patri tuo Maximiliano, qui ad immortalitatem receptus, Tacito à me nuper oblato. Deinde quia vniuerſa Belgica adſtricta tibi: inter Belgas autem ego. Tu ad gubernacula huius patriæ vocatus, ſalutarem manum, inuitis multis, porrexiſti nobis: & hoc ipſum, quòd deiecimus acerbæ iugum ſeruitutis, quòd deiectum iterum non recepimus, ex parte tuum eſſe fatemur omnes boni. Fata te, & nouum illud quod illuxit ſidus, vocarunt ad res magnas: res maiores æuo tuo, non genio aut fortuna. Octauianus Auguſtus, eâdem ætate qua tu es, prælucente pariter ſtella, imperium ſuſcepit orbis terræ. hoc interfuit: quòd illi non delatæ habenæ rerum, ſed per bellum arreptæ: te conſentientes Belgæ, cum nobilitate pariter plebs, ad culmen euexerunt huius dignitatis. Nobilitas, ſuffragiis ſuis: plebs, votis. Confûgit in ſinum tuum adoleſcentis adhuc

concuſſa Belgica. quid mirum? Fatum hoc eſt tuæ gentis, tuæ domus, vt magnitudo veſtra originem habeat à ſalute miſerorum. Sic Rodolphum olim, à quo auctore auguſtum veſtrum ſtemma, nutantes Germaniæ res Imperatorem fecerunt: ſic Maximilianum atauum tuum, Carolo ad Nancæum occiſo, nos iidem Belgæ vocauimus in medium rerum omnium diſcrimen. & vocauimus admodum adoleſcentem. Quod olim de Scipionum gente celebre dictum fuit, natam eam ad Karthaginem vincendam: ſimile de tua dixerim, natam eam ad ſuperbos domandos, miſeros ſubleuandos. Nos Belgæ, maxime Princeps, vides in qua ſimus naui: quo mari feramur, & quàm non noſtris ventis. Præter res bello aduerſas, multorum etiam à cauſa auerſus animus: quaſi regium imperium conemur exuere. qui reuera, non legitimum regem noſtrum grauamur, (rem modò videant) ſed prætextu regio minutos hos tyrannos. Fatendum enim eſt. ante duodecim annos, cùm cœpit hæc tempeſtas, & vnà cum reliqua Gallia intumuit Belgica noſtra: adſederunt ad gubernacula, quibus cura nulla fuit, non dicam regiæ dignitatis, ſed ſuæ, aut noſtræ ſalutis. In ſcopulos & ad vada appellere nauim maluerunt; quàm ſubmittere velum, & flectere paulùm curſum, eà quà ferebant venti. Itaque naufragia, quæ ſecuta ſunt, videmus. Depulſi à gubernaculis illi; & tu, illuſtriſſime iuuenum, ſubiiſti in locum illorum: quæſo, ne in facta aut in mentem. Illi timeri? tu amari eliges. illi perdere? tu ſeruare. Violenti illi? tu benignus: & quædam, cùm poſſis cogere, malis perſuadere. Aures eorum apertæ ad calumnias? clauſæ tuæ: nec te gubernante ſuſpicio aut delator timeatur, ſed crimen tantùm & leges. Magna felicitas tua eſt, quòd olim, præeunte Augerio Busbequio, imbutus es ſtudiis virtutis & doctrinæ. Euolue igitur Annales. peream ego, ſi non ab immitibus iſtis conſiliis omnia regna perierunt. Gubernator in naui non frangit maiores illos & decimos fluctus, ſed vitat aut declinat: ſic grandes iſtos & fatales motus, errabit quiſquis impetu franget; arte & prudentia componendi ſunt. Et tu compones. tene tantùm hunc clementiæ curſum, quem cœpiſti: & experimento crede, quanto ad gloriam & imperium firmius ſit, amari à ſubditis quàm timeri. Munus quidem meum tibi vt adprobem, nō admodum laboro: magis laboro vt animum, qui æternùm deuotus eſt, & erit, Genio veſtræ gentis. CIↃ. IↃ. LXXX.

# AD LECTOREM.

LIBRO *huic Electorum, neque iuſto planè operi, neque exaſciato, feci lucem, mi Lector: præproperè, & fortaſſe ante legitimæ dies partionis. Sed cauſſa feſtinandi, præter has quibus iactamur turbas, etiam valetudo. quæ pertinaciter aduerſa, aurem mihi vellit vt vaſa colligam, & cogitem de diſceſſu. Inſcripſi Electa: non abhorrenti à re nomine, quia pleraque variè elegimus & decerpſimus: & Plinij exemplo, quem Commentarios* CXX. *Electorum reliquiſſe, docuit me alibi eius nepos. Reperies correctiones, ſed non ſolas. quia enim plerique delicati hoc Criticum genus adſpernantur, quaſi ludum aliquem nugarum: feci quod antiquus quiſpiam medicus, & callidè miſcui ritus. Medicum aiunt, in puella regia curanda, quæ abhorrebat ſectionem, ſcalpellum ſpongia tectum intuliſſe, & vber dum leniter fouet, incidiſſe: ego velo rituum publicorum correctiones aliquot texi non publici guſtus. Ita manum adij ſuauiludiis iſtis: nec metuam formulam,* Quod dolo malo. *Tu fruere, bone Lector.*

IVSTI



# IVSTI LIPSI ELECTORVM LIBER I.

## CAP. I.

*Refutata vulgi opinio de ſcriptore Controuerſiarum. Non eſſe Annæum Senecam philoſophum. oſtenſum id ab ætate, à vita, à ſtilo. Eſſe illius patrem. id quoque clarè oſtenſum. Senecarum ſtemma. Locus vnus correctus.*

VT Cenſores olim luſtrum à bono nomine: ſic ego ordiar hunc librum. Dicam de Annæo Seneca; cum bona ſpe fore, vt hoc ſcriptum meum annos ferat & ſeneſcat.

Cenſet vulgus libros eos qui Controuerſiarum & Suaſoriarum inſcribuntur, Annæi Senecæ eſſe; illius, qui Philoſophus dicitur, & qui Neroni præceptor. Cenſet vulgus, & ideò errat. Pugnat enim cum ea ſententia Senecæ ætas, pugnat vita, pugnat ſtilus. Aetatis pugnam doceo: quia quicumque iis libris ſcriptor fuit, Auguſti & Tiberij æuo vixit, non Claudij & Neronis. *Aetas vera vtriuſque Senecæ.* Hoc colligo ex variis eius de ſe dictis. Ait alibi familiarem ſe fuiſſe Cæſtio Pio, Portio Latroni, Valerio Meſſallæ: alibi, Ouidium poëtam declamantem audiuiſſe, & Aſinium Pollionem viridem cognouiſſe & ſenem. Eas omnes faces illuſtraſſe ego ſcio medium principatum Auguſti. At Senecæ celebrior ætas in Claudium incidit & Neronem. Addit imò amplius ille ſcriptor, ea ætate ſe fuiſſe vt Ciceronem ipſum audire potuerit declamantem. Verba eius ſunt Præfatione prima: *Omnes autem magni nominis mihi videor audiuiſſe, præter Ciceronem. Nec Ciceronem quidem ætas mihi eripuerat, ſed bellorum ciuilium furor, qui tunc totum orbem peruagabatur. Intra coloniam meam me continui. alioqui potuiſſem eum audiſſe in illo atriolo, in quo duos grandes prætextatos ait ſecum declamare ſolitos.* *Senecæ locus explicatus.* Nequis mihi, quæſo, ad hunc locum nebulas aut nugas. Ait ſe Ciceronem audire potuiſſe declamantem cum duobus grandibus prætextatis. Ij fuerunt Hirtius & Dolabella: quos ideo ludens ſic appellat, quia tunc in prætexta toga erant, & in magiſtratu. Eos per bellum ciuile Cæſaris, Cicero (vt ipſe alibi ait) dicendi diſcipulos habuit, cœnandi magiſtros. Vide quò ætatem ſuam producat ille ſcriptor. Ante Cæſaris mortem non ſolùm natus fuiſſe debuit; ſed etiam annos aliquot habuiſſe legitimos ad audiendum Ciceronem. Quomodo hæc æui, vt ſic dicam, granditas cadet in hunc noſtrum Senecam, qui mortuus Silio & Attico Conſulibus,

extremo

*Refutatio vaniſſimi mendacij de lõgo Seneca æuo.*

extremo imperio Neronis? id eſt, centum & XV. annis, poſt illud æuum. Sed enim occurrunt huic rei, Et vixit, inquiunt, Seneca annos ad centum XIIII. alij etiam liberalius, centum XXIIII. ita enim ſcribunt paſſim in hiſtoria eius vitæ. Homines præſtigiatores! & præ quorum arte in recoquendis ſenibus nihil ſit Medea. Sed quid nugantur? cedò mihi auctorem aliquem huius tam prodigioſæ ſenectutis. Non dabunt. Tacitus, qui fautor Senecæ, & ideo diligens in vita eius narranda & morte, ſenile eius corpus dixiſſe contentus fuit: grandem hanc, & non longè à miraculo ætatem, non attingit. Imò contrà apud eum reperio, libro XV. in oratione Neronis Senecam adloquentis: *Eſt tibi*, inquit, *adhuc valida ætas, rebúſque & fructui rerum ſufficiens*. Valida, ait, ætas: & hoc paucis ante cędem eius annis. Quî conuenit hoc in ſenium tam effetum? Sed ventilo ego, & tracto adhuc luſoria arma: quid ſi doceo Senecam natum non fuiſſe Cicerone viuo? nónne perorata hæc lis eſt? Ait ipſe de ſe, Epiſtola CIX.

*Illuſtratus Seneca in Epiſtolis.*

*His inſtinctus abſtinere animalibus cœpi: & anno peracto, non tantùm facilis mihi erat conſuetudo, ſed dulcis. Quæris quomodo deſierim? In Tiberij Cæſaris principatum iuuentæ tempus inciderat. alienigena tum ſacra mouebantur, & inter argumenta ſuperſtitionis ponebatur animalium quorundam abſtinentia. Patre itaque meo rogante, qui non calumniam timebat, ſed philoſophiam oderat, ad priſtinam conſuetudinem redij.* Locus clarus, & in quo arx huius cauſſæ. Ait ecce ſe iuuenem ſub Tiberio, quo tempore alienigena ſacra vrbe mota ſunt. Id accidit quinto Tiberiani imperij anno: vt colligo facilè ex his Taciti verbis Annali ſecundo: *Actum & de ſacris Aegyptiis Iudaicíſque pellendis: factumq; patrum conſultum, vt quattuor millia libertini generis ea ſuperſtitione infecta in inſulam Sardiniam veherẽtur.* Vtrum ergo digiti me fallunt? an à morte Ciceronis ad hunc diem, anni circiter ſexaginta colliguntur? Quod ſi eſt, quomodo natus Ciceronis æuo Seneca fuerit: & idem iuuenis adhuc ſub Tiberio? Niſi quis tam ineptè deſipiens, qui ſexagenarium ſenem iuuenem cenſeat appellandum. Certa res. & huic vni argumento ſiquid opponi poteſt, illi ſapiant, ego, vt poëta vetus ait, fatuus ſim, non ſolùm ſtultus.

*Vitæ ratio vtriuſque Senecæ.*

Pugnat ergo ætas Senecæ: etiam vita. Nam is qui philoſophus, vitam illuſtrem egit, ad remp. acceſſit, honores geſſit; Quæſtor, Conſul fuit. De Quæſtura ſua ipſe fatetur Conſolatione ad Elbiam: de Conſulatu, auctores Faſti & Iuriſconſulti. Hæc vitæ lux non cadit in meum ſenem: quem vixiſſe remotum ab omni ambitu ſcio, equeſtri ordine contentum. Teſtis ipſe in præfatione libri II. Melam filium alloquens, *Perge*, inquit, *quò inclinat animus, & paterno contentus ordine ſubduc fortunæ magnam tui partem.* Nam ordinem, intellegit non dubiè equeſtrem.

*Stili diſcrepantia.*

Denique cum vana illa opinione quid magis pugnat, quàm ſtilus? Ariſtoteles apud quoſdam Libyæ populos, quoniam vxores communes ſunt, ait liberos ad formarum ſimilitudinem diſtribui. velim idem ſit in his libris. quorum profluens & copioſa dictio, tantum abeſt à Senecæ arguta & conciſa eloquentia; quantum Homericus ille Neſtor à Menelai.

*Seneca pater, verus ſcriptor.*

Quis falſus ſcriptor, ſatis dictum: dicam quis verus. tam clarè idipſum; vt ſi quid hac parte errem, non recuſem quin Fides auerſa à me in omne





æuum. L. Annæus Seneca Philoſopus patrem habuit nomine & cognomine eodem. Is domo Corduba fuit; profeſſione, Rhetor. Natus ante bellum ciuile Cæſarianum, ſuperuixit ad Claudij circiter principatum: ſine honoribus, & non aliud quàm prouincialis eques. Is iam ſenex non dubiè filiis ſuis ſcripſit, aut dictauit potius, hos qui ſuperſunt Controuerſiarũ & Suaſoriarum libros. Sed vt in Plauti fabula, inter duos Menæchmos: ſic inter duos Senecas confuſione nominum ortus error. Tributa illi, quæ huius erant: & claritate nimia filij obſcurus pater hodie, imò ignotus. Memoriam boni ſenis fugitiuã (impunè hoc dixerim) primus retraham ego. Eius, inquam, Senecæ hi libri. Doceo ex ætate: quæ patri conuenit, diſconuenit proli. doceo ex inſcriptione, quæ in omnibus libris, etiam ſcriptis, concipitur: L. ANNÆI SENECÆ, AD SENECAM, NOVATVM, ET MELAM FILIOS. Optimè. Inter tres filios quos nominat, Seneca Philoſophus eſt: reliqui eius fratres. Stemma tale.

*Stẽma Senecarum.*

| | |
|---|---|
| L. Annæus Seneca, qui Rhetor. | L. Annæus Seneca, qui Philoſophus. |
| | Annæus Nouatus, aliter Iunius Gallio. |
| Elbia, eius vxor. | Annæus Mela, ſiue Mella, pater Lucani. |

*Mela frater Senecæ Philoſophi, & filius illius ſenis.*

Quid iam clarius, quàm Senecæ patris eſſe hæc ſcripta? Nam quin Mela ille frater Senecæ Philoſophi ſit: non ambiges ex his locis. Tacitus libro XVI. Annalium: *Mela, quibus Gallio & Seneca parentibus natus, petitione honorum abſtinuit: per ambitionem præpoſteram, vt eques Romanus conſularibus potentia æquaretur.* Seneca ipſe in Conſolatione ad Elbiam: *Reſpice fratres meos, quibus ſaluis fas tibi non eſt accuſare fortunam. In vtroque habes quod te diuerſa virtute delectet. alter honores induſtria conſecutus eſt* (Gallionem intellegit:) *alter ſapienter contempſit.* intellegit Melam. Confer nunc locum è Præfatione libri II. Controuerſiarum; & vide quàm elogia omnia conueniant in hoc Mela. *Hæc eò libentius Mela fili cariſſime refero, quia video animum tuum à ciuilibus officiis abhorrentem, & ab omni ambitu auerſum: hoc vnum concupiſcẽtem, nihil concupiſcere, vt eloquentiæ tantùm ſtudeas. Ego verò non ſum bonæ mentis impedimentum: perge quò inclinat animus, & paterno contentus ordine ſubduc fortunæ magnam tui partem.*

*Cur & quomodo mutatum alterius fratris nomẽ. Iunius Gallio, quis.*

Nec turbat me, quòd epigraphe Nouatum nominet, quem alij, & quem Seneca ipſe, Gallionem. Idem enim ille per adoptionem familia exiuit, & in gentem ac nomen venit Iunij Gallionis. Credo illius ipſius Gallionis, qui inter Rhetoras nominatur Senecæ patri: & de quo Scriptor incertus De cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Malim hercle C. Gracchi impetum, aut L. Craſſi maturitatem: quàm calamiſtros Mæcenatis, aut tinnitus Gallionis.* At nomen Nouati anterius ei fuiſſe, colligo ex Seneca in Conſolatione: qui filiam huius agnoſcit à nomine veteri Nouatillam.

*Falſa lectio in Seneca patre.*

Non item locus me mouet initio libri II. Controu. de Fabiano philoſopho: *Scio futurum*, inquit, *vt auditis ſententiis eius, multas cupiatis audire. ſed nec ille diu declamationibus vacabat: & ego multo minor natu quàm ipſe erat, audiebam quotiens inciderat, non quotiens volebam.* Qui ſi rectè haberet; vana omnia quæ dixi de ætate

*Fabiani ætas.*

huius ſenis. Fabianus enim auditor Cæſtij Pij & Arellij Fuſci fuit; ac ſub Tiberio præcipua illi fama. Quo ſi multò minore natu hic ſcriptor: *cur non piſtrino trador ego atque aſino?* Sed non recta lectio, & emendo, *multò maiore natu.* Cauſſa enim vera non auditi Fabiani, quòd ille iuuenis, Seneca iam grandi; vt homo ſenex frequentare declamationes adoleſcentuli honeſtè non poſſet. Hæc dixi de hoc ſcriptore. plura illuſtrandæ ætatis & ſtemmatis, addam in libro ſingulari, quem, De vita Annæi Senecæ & ſcriptis, ſtudioſè compoſui.

## CAPVT II.

*Stipendij militaris initia, & progreſſus. Quis primò modus. quæ deinceps acceſſio. Aliud denarium eſſe, aliud denos aſſes. Tacitus explicatus. Liuius correctus. item Suetonius in loco tenebroſo.*

*Initium ſtipendij ex Liuio.*

De ſtipendio militari apud Romanos, deque eius progreſſu, plus quàm Metonis annus eſt, cùm quæritur inter doctos. ego hoc capite audebo certum concludere, & vt Icti priſci loquebantur, ſignare reſponſum. Tria apud Romanos pro ſtipendio, pecunia, frumentum, veſtis. Pecuniæ, inſtitutum anno vrbis CCCXLVII. de quo Liuij libro IIII. corruptus locus: *Additum deinde, vt ante vllam mentionem plebis Tribunorúmve decerneret Senatus, vt ſtipendium miles de publico acciperet, cùm ante id tempus de ſuo quiſque functus eo munere eſſet. Nihil vnquam acceptum à plebe tanto gaudio traditur. concurſum itaque ad curiam eſſe, prehenſaſque exeuntium dextras, & patres verè appellatos: effectum eſſe fatentibus, vt nemo pro tam munifica patria corpori aut ſanguini ſuo parceret; cùm commoditas iuuaret rem familiarem. ſaltem acquieſcere eo tempore, quo corpus addictum atque operatum reip. eſſet.* quem emendo, *cùm commoda ita iuuaret: rem familiarem ſaltem accreſcere eo t. q.* Modus eius pecuniæ initio exiguus fuit. Polybij quidem ætate, id eſt, ſub bellum Punicum ſecundum, in peditem oboli duo: centurionem duplex: equitem triplex. Ita Polybius ipſe libro VI. Duo oboli tertia, vt ſcimus, drachmæ pars. Ad nummum Romanum ſi exigimus; dico fuiſſe tres aſſes. eamque ſummam non dubiè per duos obolos expreſſit nobilis hiſtoricus. Doceo ex Plauto. cuius loco primus do lucem, in Moſtellaria:

*Locus eius correctus.*

*Quis modus & quã exiguus primi ſtipendij.*

*Plauti locus illuſtratus.*

> *Vbi ſunt iſti plagipatidæ, ferritribaces viri?*
> *Iſti qui trium nummorum cauſſa ſubeunt ſub falas?*
> *Vbi aliqui quindenis haſtis corpus transfigi ſolent.*

Nam tres nummi hîc, tres aſſes, & ad * ſtipendium militare diſerta alluſio Comici ſerui, irridentis quòd tam exiguo pretio auctorati caſtella & turres ligneas hoſtium (id enim falæ) ſubirent, haſtis aliquot configendi. Et mehercle ſtipendium vile. eò magis, quòd illa ætate non veſtis, non frumentum, gratuita militi erant: ſed Quæſtor, ſiquid horum dediſſet, certũ ſtatutumq; pretium eo nomine de pecunia detrahebat. Auctor idem Polybius lib. VI. Quod obtinuit ad tempora G. Gracchi, qui primus lege cauit, vt veſtis è publico militi daretur: pecuniamque totam accipe-

** Etſi ad Circum etiam referre poſſis.*

*Quando primùm militi gratuita veſtis.*



acciperet, ſine vlla, quod aiunt, deductione. Plutarchus in Graccho his verbis, τῶν δὲ νόμων οὓς εἰσέφερε τῷ δήμῳ χαριζόμενος, ὁ μὲν ἦν κληρουχικὸς, ἅμα νέμων τοῖς πένησι τὴν δημοσίαν. ὁ δὲ στρατιωτικὸς, ἐσθῆτα τε κελεύων δημοσίᾳ χορηγεῖσθαι, καὶ μηδὲν εἰς τοῦτο τῆς μισθοφορᾶς ὑφαιρεῖσθαι τῶν στρατευομένων. Et veſtis ſaltem Plutarchus meminit: priori aliqua lege gratiam etiam factam de frumento, non ambigo, Etſi de veſte, irritum iterum factum videtur, ſiue ab Auguſto, ſiue antè: quia nec in hiſtoriis mentio miſſæ vltrà ad exercitum veſtis, & milites apud Tacitum clarè queruntur, *Denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari: hinc veſtem, arma, tentoria redimi.* Nec vltrà de acceſſione aliqua reperio ante bellum Cæſaris ciuile. *Cæſar,* inquit Suetonius cap. XXVI. *legionibus ſtipendium in perpetuum duplicauit.* Ait, duplicauit: vt credibile ſit factos à Cæſare ſex, aut ſi fortè, ſeptem aſſes. Niſi tamen acceſſio aliqua ſub Cimbricum bellum facta quod ex Aſconio haud vanè ſuſpicère, in eam pro Cornelio: *Iunius Conſul rem malè geſſit, ac plures leges quæ per eos annos latæ erant, quibus militiæ ſtipendia minuebãtur, abrogauit.* Fruſtrà enim imminutũ ſtipendium, niſi præter morem auctum. Etiam per bella ciuilia poſteà, veriſimile in illa ambitione ducum pretium auctum, militibus conciliandis. Sed hæc obſcura vel ambigua. at Auguſtus conſtituta rep. & imperij iam certus, *quicquid vbique militum eſſet* (verba Suetonij ſunt cap. XLIX.) *ad certam ſtipendiorum præmiorúmque formulam adſtrinxit.* Formula Auguſti laxior Iuliana, videlicet in diem deni aſſes. Certum & clarum ex Tacito, apud quem lib. 1 Annal. conqueruntur milites, *Denis in diem aſſibus animam & corpus æſtimari.* & id ſtatim ab exceſſu Auguſti. Id ſtipendium parum diſconueniebat à Græco, apud quos drachma, diurna in militem merces: vti colligere eſt ex Thucydidis libro tertio. Dixi denos aſſes: qui denarium ipſum accipiet, errabit. Nam Denarij permutatio pluris ſub Tiberio, ſub Auguſto: & fortaſſe XII. aſſium aut præterpropter. Teſtantur iidem apud Tacitum milites, qui decem aſſibus non contenti, flagitant, *Vt denarius diurnum ſtipendium foret: neu veterani diutius ſub vexillo tenerentur,* prorſus ridiculo poſtulato, ſi idem denarius & deni aſſes. Ergo æſtimatione duodena illa quam dixi, menſtruum militis ſub Auguſto denarij circiter XXV. id erat, aureus vnus, quod notari mihi volo, ad ea quæ mox dicam. Poſt Auguſtum, tenebræ ſunt ad Domitianum. De quo monuit Suetonius cap. VII. *Addidit & quartum ſtipendium militi, aureos ternos.* paucis, ſed di boni, turbulentis verbis! Ex quibus neceſſe habeamus fateri; menſtruum vnum militis aureos tres fuiſſe: & ante Domitianum quidem nouem aureos datos, ab ipſo adiectos ternos. Ita ſub Domitiano gregarius miles acceperit aureos XII. in menſem. Aureos dico Romanos, quorum vera æſtimatio, denariûm XXV. Ij eſſent noſtratis monetæ aurei circiter XXIIII. Non aliter ad hunc locum omnes interpretes: & id nobis pluribus verbis perſuadere conantur viri docti. Quis ſanus credet, aut pro ſano? Tantíſne ſumptibus vllam remp. parem fuiſſe? Adde duplum centurionis, triplum equitis: adde Præfectos, & Tribunos: ſumma quot mẽſibus in legionem tam improba excreſcet, vt eam verear exprimere. Sed videant me. fœdum illum hiſtoriæ errorem

*Prima acceſſio ad ſtipendium.*

*Acceſſio ſecunda.*

*Stipendij Græcanici modus.*

*Vide ibi Scholiaſtē.*

*Denarius, quanti ſub Auguſto.*

*Taciti nodus euolutus.*

*Iterum acceſſio.*

*Obſcurus Suetonij locus.*

*Is emendatus.*

 leui

leui & vera correctione tollo ego, legoque; *aureis ternis*. id eſt, Aureis illis tribus quos antè capiebant, addidit quartum aureum Domitianus. In furcam peccantem illam litteram, quæ dedit has turbas. At mea lectione quid poteſt clarius aut verius? Aureus Romanus, vt notaui, menſtruum militis ſub Auguſto fuit, & id ſtipendium vnum. Adiecit alterum ſeu Caligula, ſeu Claudius: tertium fortaſſe additum per bella ciuilia Vitellij & Othonis. Quartum nunc à Domitiano. Ita in vniuerſum miles acceperit quattuor ſtipendia, ſiue aureos quattuor: duplum ferè quàm miles hodie. Tolerabilis ſumma præ illa aureorum XII. Rem non ambiguam confirmo teſtimonio Zonaræ, cuius eadem in re hæc verba: Τοῖς ϛρατιώταις ἐπηύξησε τὴν μισθοφορὰν, τάχα διὰ τὴν νίκην. πέντε γὰρ καὶ ἑβδομήκοντα δραχμὰς ἑκάϛου λαμβάνοντος, ἑκατὸν ἐκέλευσε δίδοσθαι. id eſt, *Militibus ſtipendium auxit, fortaſſe ob victoriam. Cùm enim ſingulis ſeptuagenæ quinæ drachmæ ſoluerentur, centenas dari iuſſit.* Quæſo, LXXV. drachmæ (ita denarium Græci vertunt) quid aliud quàm aurei tres? Addidit XXV. Domitianus, ex Zonara: ergo aureum vnum. Homo non ſim, ſi verbum vltrà addam in re clara firmanda.

## CAPVT III.

***Iuuenalis verſus correctus & illuſtratus. Mos antiquus de lucernis ad ianuas, ad feneſtras, ad arbores, ad lupanaria noua. Vates præferebant lucernam. Tertullianus, Xiphilinus, Seneca, Perſius, & Prudentius explicati.***

IVVENALIS verſus ſunt, lætitiam diei feſti deſcribentis, quorum lectionem aut mentem non viderunt interpretes: cum venia dixerim, vidi ego, Sat. XII.

> *Hic noſtrum placabo Iouem, Laribúſque paternis*
> *Thura dabo, atque omnes violæ iactabo colores.*
> *Cuncta nitent, longos erexit ianua ramos,*
> *Et matutinis operatur feſta lucernis.*

*Ridicula in Iuuen. verſibus ſententia.* Aiunt in his verſibus, Operandi verbum referri ad ſacra, & per lucernas ſignificari diem. itaque hoc velle poëtam, ob reditum incolumis amici, ſacra ſe facturum tempore matutino. Albæ mentes, ſiue qui hæc ſcribunt, ſiue qui credunt! Scilicet ianua operari ſacris potuit (de illa enim loquitur:) aut exemplo probabunt lucernam, quæ noctis nota, ſignificare diem. Rideo albis dentibus, cùm hæc lego. At vocis vnius correctione, quàm plana res? Nam ſcribendum,

> *Et matutinis operitur feſta lucernis.*

Operitur, id eſt, tegitur, veſtitur. vt alibi;

> *Legitimè fixis veſtitur tota tabellis*
> *Porticus.* ———

*Ritus appendēdi lucernas in die feſto.* Morem ſæculi ſui expreſſit Iuuenalis; quo in omni publica priuataque lætitia receptum, ianuam ornari lauro & lucernis. Quem ornatum intellexit Seneca, Epiſt. LXVIII. *Quid tu exiſtimas ea tantùm optabilia eſſe, quæ per voluptatem & otium veniunt? quæ excipiuntur foribus ornatis?* Et Tertullianus clarè in Apologetico, *Cur die læto non laureis poſtes adumbramus? nec lucernis diem infringimus? Honeſta res eſt ſolemnitate publica exigente inducere domui tuæ habitum alicuius noui lupanaris.* Appuleius lib. IIII. *Domus tota lauris obſita, tædis lucida, ſtrepebat hymenæum.* Nec aliter explico Xiphilinum in Nerone, de aduentu Teridatis, Καὶ πᾶσα μὲν ἡ πόλις, inquit, ἐκεκόσμητο, καὶ φῶσι καὶ ϛεφανώμασιν. & pòſt, de reditu è Græcia Neronis, Ες τὸ καπιτώλιον ἀνέβη, καὶ ἐκεῖθεν ἐς τὸ παλάτιον, πάσης μὲν τῆς πόλεως ἐϛεφανωμένης καὶ λυχνοκαυτούσης καὶ θυμιώσης. Intelle- *Quales ea lucernæ.*
git enim vrbis ædes ornatas lauru ac lucernis. Qui ritus Chriſtianorum etiam æuo non prorſus fugit: & lego in Vita vetere Fulgentij Epiſcopi Afri, *Populum per omnes prolixi itineris vias in occurſum* (ab exſilio redeuntis) *eius tetendiſſe cum lucernis & lampadibus & arborum frondibus.* Eiuſmodi autem lucernæ penſiles erant, ſuſpendebanturque catenulis, accenſæ ad ædium ſingularum ianuas aut feneſtras. Ideo eleganter Iuuenalis ait ianuam operiri lucernis: & addit, matutinis, non ſine Satyrico *Ad ianuã appendi ſolent.*
morſu, quaſi claro luci opus eſſet alia luce. Vidimus ipſi in Italia æreas eiuſmodi lucernas complures, quas intellexit etiam poëta princeps,

> ——— *pendent lychni laquearibus aureis.*

Quòd ad ianuam hæ lucernæ, præter Iuuenalem, Tertullianus docet ad vxorem lib. II. *Moratur Dei ancilla in laribus alienis, & inter illos omnibus honoribus dæmonum, omnibus ſolemnibus regum, incipiente anno, incipiente menſe, nidore thuris agitabitur: & procedet de ianua laureata & lucernata, vt de nouo conſiſtorio libidinum publicarum.* Ecce, ianua, ait, lucernata. Quòd ad feneſtras, Perſius, *Ad feneſtras.*

> ——— *vnctáque feneſtra*
> *Diſpoſitæ pinguem nebulam vomuere lucernæ.*

Vbi Scholiaſtes: *Herodiani obſeruant ſabbatha. quo die lucernas accenſas, & violis coronatas, in feneſtris ponunt.* Notetur de Violis. Porrò tangit & Se- *Sabbathis accendi ſolent.*
neca hunc morem, ſabbathis accendendi lucernas Epiſt. XCV. *Accendere aliquem lucernas ſabbathis prohibeamus; quoniam nec lumine dij egent, & ne homines quidem delectantur fuligine.* Nec ſolùm ædibus, ſed etiam ar- *Etiam ad arbores.*
boribus appenſas reperio has lucernas. arboribus quidem ſacris, & quibus vellent exhibitum cultum. Prudentius contra Symmachum,

> *Et quæ fumificas arbor vittata lucernas*
> *Suſtinuit, cadit vltrici ſucciſa bipenni.*

*Vatibus lucerna.* Sed & ſacrificuli ac vates præferebant lucernam ac laurum: credo, vt auguſtiores ſe facerent ornatu illo feſto & quaſi ſacro. Tale aliquid ex Seneca haurio De vita beata, cap. XXVII. *Cùm ſiſtrum aliquis concutiens ex imperio mentitur; cùm aliquis ſecandi lacertos ſuos artifex brachia atque humeros ſuſpenſa manu cruentat; cùm aliqua per viam genibus repens vlulat, laurúmque linteatus ſenex & medio lucernam die præferens, conclamat iratum aliquem deorum: concurritis, & auditis, & diuinum eſſe eum inuicem mutuum alentes ſtuporem adfirmatis.* Nec diſſimilis priſcorum vatum in Græcia mos, qui ignem præferebant: de quo Theon, & Suidas in πυρφόρος. Cùm res ergo tam ſacra, lucerna: mirum pollutam eam fœdiſ-

*Ad noua lupanaria lucernæ ſuſpenſa.*

fœdiſſimo vſu, & ſolitam ſuſpendi ad lenonias ædes, notam noui lupanaris. Id enim Tertullianus apertè dixit locis duobus, quos non repeto. Sed credo morem cum natum inde, quòd ſcorta olim ſub veſperam proſtabant & ad lucernas. Non enim ante nonam diei, fas eis facere in publico copiam ſui: quod notant interpretes priſci ad Perſium; qui ab hac cauſſa Nonariam dixit meretricem. Lucernarum in Lupanaribus mentio apud Iuuenal. *Obſcuriſque genis turpis, fumóque lucernæ.*
& Horatium, ——*ſub clara nuda lucerna.* vbi nollem viros doctos ſcribere, *lacerna*, pro pallio, aiunt, meretricio.

## CAPVT IV.

*Aquam calidam antiquitùs ad potum fuiſſe. imò ad delicias. Thermopolium Plauti quid? Dio explicatus. Calida vino mixta. Plautus illuſtratus, & Tacitus. Plautus correctus. Seneca ex Athenæo data lux.*

HOC caput Nymphis ſacratum erit; & dicam de Aquis, earúmque apud veteres vſu. Duplicis aquæ mentio in cœnis Romanis, Frigidæ, Calidæ. Et frigidam ad potum fuiſſe, clarum eſt: de calida, non nemo nuper in me pugnauit. Ideo ſubtiliter de ea, &, vt Salluſtius ait, cum cura diſſeram: vt retrahere morem fugitiuum poſſim, & deſitum ſæculo noſtro. In vſu frequenti calidam ad conuiuia fuiſſe; teſtes mihi, vt in ſacris dicitur,

*Vſus calidæ frequēs.*

—— πολλοί τ' ἀγαθοί τε παρεισιν. Iuuenalis,

*Quando vocatus adeſt calidæ gelidæq́; miniſter?*

Seneca De Ira lib. I. cap. XII. *Iraſcuntur boni viri pro ſuorum iniuriis: ſed idem faciunt ſi calida non bene præbeatur, ſi vitrum fractum, ſi calceus luto ſparſus eſt.* Paullus Ictus l. XVIII. de inſtr. & inſt. leg. *Nec multum refert inter cacabos & ænum, quod ſupra focum pendet. his aqua ad potandum caleſit; in illis pulmentarium coquitur.* Martialis,

*Caldam poſcis aquam, ſed nondum frigida venit;*
*Alget adhuc nudo clauſa culina foco.*

Varro lib. IV. *Calix à caldo: quòd in eo calida puls apponebatur, & calidam eo bibebant.* Seneca De Ira lib. II. cap. XXV. * *Parum agilis eſt puer, aut tepidior aqua potui erogata, aut turbatus thorus, aut menſa negligentiùs poſita: ad iſta concitari, inſania eſt.* Ammianus lib. XXVIII. *Ita autem pauci inter eos ſeueri vindices delictorum, vt ſi aquam calidam tardius attulerit ſeruus, trecentis adfligi verberibus iubeatur: ſi hominem occiderit, dominus hactenus exclamet, Quid faciat manioſus & nequam?*

* Similem prorſus in Arriano locum vide lib. I. Diſſert. cap. XIII.

Martialis iterum,

*Frigida non deſit, non deerit calda petenti.*

Et exempla plura. Etiam apud Græcos idem mos: præceptumq́; apud Athenæum eſt lib. II. cap. II. παρατιθέναι ὕδωρ, ἐν μὲν χειμῶνι καὶ ἦρι θερμὸν ὡς μάλιστα, ἐν δὲ τῷ θέρει ψυχρόν. Apud eumdem lib. III. cap. III. quæritur vtrùm aqua calida an frigida poſt ficus bibenda ſit; & vtrim-

*Græcis vſus calidæ.*

que



que dat cauſſas. Vide & lib. III. cap. XXI. Nec in vſu ſolùm antiquitùs calida; ſed, quod miremur, in deliciis fuit. Inde apud Plautum Thermopolij mentio, cùm hilarior inuitatio deſcribitur aut ſolutior luxus. vt Curculione, de ebrioſis,

*Deliciæ veterum in hoc potu.*

*Quos ſemper videas libentes eſſe in thermopolio.*

In Trinummo, ——*ſatin' in thermopolio*
*Condalium es oblitus, poſtquam thermopotaſti gutturem?*

Item Rudente,

*Ne thermopolium quidem vllum ille inſtruit,*
*Ita ſalſam præbet potionem & frigidam.*

Vbi thermopolia, non herclè aliud quàm cauponæ in queis hæc calida veniret. Calidam dico puram putam: non potionem neſcio quam dulcem & cõfectam; quod ſine auctore veteri ponit & vulgus interpretum, & eximius Turnebus. Philo ad hunc ritum egregiè de vita Theoretica: οἶνος ἐν ἐκείναις ταῖς ἡμέραις οὐκ εἰσκομίζεται, ἀλλὰ διαυγέστατον ὕδωρ, ψυχρὸν μὲν τοῖς πολλοῖς, θερμὸν δὲ τῶν πρεσβυτάτων τοῖς ἁβροδιαίτοις. Vbi vides palàm, deliciarum fuiſſe hunc potum. Itaq; Thermopolia Romæ Claudius ſuſtulit, & bonus cenſor quaſi curua correcturus, calidã in cauponis proſtare ſeriò interdixit. Dio Caſſius his verbis, τά τε καπηλεῖα ἐς ἃ συνιόντες ἔπινον, κατέλυσε, καὶ προσέταξε μήτε κρέας τι ἑφθὸν, μήθ' ὕδωρ θερμὸν πιπράσκεσθαι, καὶ τινας ἐπὶ τούτῳ μὴ πειθαρχήσαντας ἐκόλασεν. Etiam apud Ammianum, lib. XXVIII. Ampelius Præfectus vrbi: qui ſtatuit, *ne taberna vinaria ante horam quartam aperiretur, néue aquam vulgariam calefaceret quiſquam.* Ea re Caius Caligula cauponem quemdam interfecit, quòd per dies funeris Druſillæ, calidam vendidiſſet. Idem Dio, Τὸν, inquit, πωλήσαντα θερμὸν ὕδωρ ἀπέκτεινεν, ὡς ἀσεβήσαντα. ſcilicet quaſi hominem impium, & laſciuiæ adminiſtrum in publico luctu. Nec prætereundus Dionis locus de Druſo Tiberij filio, quem ebrietatis accuſat, quòd aliquando cum Prætorianis ad ignem reſtinguendum è conuiuio excitatus, Aquam illis poſcentibus, calidam infundi iuſſerit. nimirum quaſi conuiuij res eſſet, non incendij. Verba Græca ſunt, quorum ſententiam non expreſſit interpres: τῇ τε μέθῃ κατακορὴς οὕτως ἐγίγνετο, ὥστέ ποτε νυκτὸς ἐμπρησθεῖσί τισιν ἐπικουρῆσαι μετὰ τῶν δορυφόρων ἀναγκασθεὶς, ὕδωρ αὐτῶν αἰτούντων, θερμὸν σφίσιν ἐγχέαι κελεῦσαι. Nec ab alia cauſſa agnominatio illa Tiberij Imperatoris, Biberius Caldius Mero. Caldius videlicet, à frequenti calidæ potu. Reliquum quæri eſt, pura hæc aqua in deliciis fuerit, an mixta? Cenſeo mixtam. Non quin duplicem calidæ vſum non agnoſcam: (bibebatur enim & ſolitaria, & infuſa vino) ſed quia gulonibus expetitam maximè & laudatam comperior cum vino. Credo, quia procliuius & iucundius potio feruens, quàm frigida, iret in bulgam. idque noſipſi, aliquotiens experti, non abhorremus. Appuleius deſcriptione nequitiæ ſuæ lib. II. *Fotis mea, iam domina cubitum reddita, arripit poculum, ac deſuper aqua calida iniecta porrigit vt bibam.* Martialis,

*Thermopolium quid.*

*Thermopolia vetita Claudio.*

*Calida vino miſceri ſolita.*

*Me conuiua leget miſto quincunce, ſed antè*
*Incipiat poſitus quàm tepuiſſe calix.*

Alibi,

Alibi,

*Iam defeciſſet portantes calda miniſtros,*
*Si non potares Sextiliane merum.*

qui verſus diſertè probant mixtionem. Sed clariſſimè Plautus, qui vinum ita mixtum intellegens, Calidi nomine vti, non Calidæ voluit. Curculione,

*Plautus explicatus.*

*Vbi quid ſurripuêre, operto capitulo calidum bibunt,*
*Triſtes atque ebrioli incedunt.*

Et Milite, eleganter potionem eam exprimit puer ebrius:

*Neque equidem heminas octo exprompſi in vrceum,*
*Neque ille hic calidum exbibit in prandio.*
PA. *Neque tu bibiſti?* LV. *di me perdant, ſi bibi,*
*Si bibere potui.* PA. *quid iam?* LV. *quia enim abſorbui.*
*Nam nimis calebat, amburebat gutturem.*

*Tacitus & Plinius.*

& quæ ſequuntur. neque enim eſt vt ſcena ea intellegatur, ſine hoc more. Calidæ potionis mentio etiam apud Tacitum, Annali XIII. incertum meræ, an mixtæ. *Illic epulante Britannico, quia cibos potúſque eius delectus ex miniſtris guſtu explorabat: ne omitteretur inſtitutum, aut ne morte vtriuſque proderetur ſcelus, talis dolus repertus eſt. Innoxia adhuc & præcalida & libata guſtu potio traditur Britannico: dein poſtquam feruore aſpernabatur, frigida in aqua affunditur venenum.* Et apud Plinium lib. VII. cap. LIII. de M. Ofilio Hilaro. *Qui*, inquit, *cùm populo admodum placuiſſet natali die ſuo, conuiuiúmque haberet: edita cæna, calidam [potionem]* (deleuerim eam vocem, vt gloſſema) *in pultario popoſcit, ſimúlque perſonam eius diei acceptam intuens, coronam è capite ſuo in eam tranſtulit, tali habitu rigens nullo ſentiente, donec accubantium proximus tepeſcere potionem admoneret.* Eamdem Plautus intellexerat, verſu, qui nunc corruptus in Perſa:

*Plautus correctus.*

*Ite foras, hic volo ante oſtium & ianuam meos participes bene accipere.*
*Statuite hîc lectulos, ponite hîc quæ aſſolent. hîc ſtatui volo primum.*
*Vnde ego omnes hilaros, ludentis, lætificantis faciam vt fiam aliqua mihi.*

quæ confuſa compono & emendo, *hic ſtatui volo primum aquilam mihi. Vnde ego omnes hilaros, lubentes,* (ita Douza emendabat, pro *ludentes*) *lætificantes faciam vt fiant.* Ita propemodum, præter duos manuſſ. etiam priſca editio Aldi. Verba illa, *aliqua mihi*, tranſpoſita & corrupta erant; retrahenda quò poſui, & legenda, *aquilam mihi*, ſiue, *aquilam.* Correctio certa & clara. Aquam enim duplicem in menſæ initio ſtatim poni mos erat, Calidam, Frigidam. Lucianus, Τράπεζα δὲ τῇ κλίνῃ παρεστήκει, ποτήριον ἔχουσα, καὶ ὕδωρ ἕτοιμον καὶ ψυχρὸν καὶ θερμόν. Faceta autem alluſio Comici ſerui, quaſi ad aquilam etiam militarem. Nec plura de Calida. cuius vſum Plinius hoc oraculo damnauit, *Notandum nullum aliud animal,* (præter hominem ſcilicet) *calidos potus ſequi: ideóque non eſſe naturales.* Renitente tamen Plutarcho: qui De tuenda valetudine, Calidæ potum laſſis commotiſque valde approbat & commendat.

*Aqua duplex in initio menſæ.*

*Calidæ vſus nocuus.*

CAPVT



## CAPVT V.

*Carmen poëtæ veteris, non antea viſum. De ſcriptore quæſitum. multa in eo emendata, & illuſtrata.*

VT Plautina illa mulier in Truculento, alienam prolem: ſic ego hoc capite

*Alienos ibo labores ſuppoſitum mihi.*

Carmen vulgabo, quod clariſſ. Ic^tus^ P. Pythoëus munus mihi miſit: ſed carmen non viſum antea, non lectum, & cui meritò præfabor, Fauete linguis. Repperit vir doctiſſimus & diligentiſſimus harum rerum, in vetuſto eoque vnico exemplari: & inde qua fide ille tranſcripſit, eadem inſeram his libris: Sine fraude quidem. quia iſta quaſi adoptio, volente amico noſtro eſt, imò iubente. Carmen ſic habet:

*Cras amet qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.*
*Ver nouum, ver iam canorum, ver natus orbis eſt.*
*Vere concordant amores, vere* [a] *nubent alites.*
*Et nemus comam reſoluit de maritis imbribus.*
*Cras* [b] *amorem copulatrix inter vmbras arborum*
*Implicat* [c] *gazas virentes de flagello myrteo.*
*Cras Dione iura dicit, fulta ſublimi* [d] *trono.*
*Cras amet qui numquam amauit, quíque amauit, cras amet.*
*Tuno * quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo*
*Cærulas inter cateruas, inter & bipedes equos*
*Fecit vndantem* [e] *Dione de maritis imbribus.*
*Cras amet qui numquam amauit, quíque amauit, cras amet.*
*Ipſa* [f] *gemmas purpurantem pingit annum floribus*
*Ipſa ſurgentis papillas de Faboni * paritu*
*Vrguet in totos * pentes, ipſa roris lucidi*
*Noctis aura* [g] *quem relinquit ſpargit vmentis aquas.*
*Et me * canat lacrime trementes detadum * pondere.*
*Gutta præceps orbe paruo ſuſtinet caſus ſuos.*
*In pudorem florulentæ* [h] *prodiderunt purpuræ:*
*Vmor ille quem ſerenis aſtra rorant noctibus*
*Mane* [i] *virgineas papilla ſoluit vmenti peplo.*
*I piuſſit * mane tuæ virgines nubant roſæ*
*Fuſta * prius de cruore, déque amoris* [k] *oculis,*
*Déque gemmis, déque flammis, déque ſolis purpuris.*
*Cras ruborem qui latebat veſte tectus ignea*
*Vnica* [l] *marito nodo non pudent ſoluere.*
*Cras amet qui numquam amauit, quíque amauit, cras amet.*
*Ipſa nimfas diua* [m] *loco iuſſit ire myrteo*
[n] *Et puer comis puellis. nec tamen credi poteſt*
*Eſſe amorem feriatum, ſi ſagittas vexerit.*
*Ite nimfæ, poſuit arma, feriatus eſt Amor,*
*Iuſſus eſt inermis ire,* [o] *durus ire iuſſus eſt,*

a Scribo, *nubunt.*
b Pyth. *amorum.*
c Pyth. *caſas.* verè.
d Malim, *thoro.*
e Lego, *Dionem.*
f Pyth. *gemmans.* poteſt etiã *gemmeis*
g Legerim, *quom reliquit.*
h Pyth. *prodierunt.*
i Scribo, *virgines papillas* nõdũ cõpreſſas & maritas.
k Pyth. *oſculis.* & antè, *Ipſa iuſſis.*
l Pyth. *Vnico mariti n. n. pudebit.*
m Idem, *luco*
n Pyth. *Eſt p. comes.* ego, *It puer comes.*
o Pyth. *nudus*



UNIVERSITARIA

rectè ad ſententiam nihil habeo.
a Benc idem, *in armis.*

*Neu quid arcu, neu ſagitta, neu quid igne læderet.*
*Sed tamen nimfæ cauete, quòd Cupido pulcer eſt,*
*Totus eſt* [a] *incrmis idem, quando nudus eſt Amor.*
*Cras amet qui numquam amauit, quique amauit, cras amet.*
*Compari Venus pudore mittit ad te virgines:*
*Vna res eſt quam rogamus, cede Virgo Delia*
*Vt nemus ſit incruentum de ferinis ſtragibus.*
*Ipſa vellet vt venires, ſi deceret virginem:*
*Iam tribus choros videres feriatos noctibus,*
*Congreges inter cateruas ire per ſaltus tuos,*
*Floreas inter coronas, myrteas inter caſas.*
*Nec Ceres nec Bacchus abſunt, nec poëtarum deus,*

b Pyth. *peruigilanda.*

*Detinent * & tota nox eſt* [b] *peruigila cantibus.*
*Regnet in ſiluis Dione, tu recede Delia.*
*Cras amet, qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.*
*Iuſsit hiblæis tribunal ſtare diua floribus,*
*Præſens ipſa iura dicit, adſederunt Gratiæ.*

c Pyth. *annus.*
d Idem, *quãtus Ætnæ campus eſt*, Fortaſſe ſic, *Hibla florum prome veſtẽ q. Ennæ c. eſt.*
e Pyth. *alitus*
f Idẽ, *nudo.*

*Hibla totos funde flores, quicquid* [c] *annis attulit,*
*Hibla florum * rumpereſt equant'* [d] *ethne cãp-*
*Ruris hic erunt puellæ, vel puellæ montium,*
*Quæ'que ſiluas, quæ'quæ lucos, quæ'que montes incolunt.*
*Iuſsit omnis aſsidere pueri mater* [e] *alitas,*
*Iuſsit &* [f] *nullo puellas nil Amori credere.*
*Cras amet, qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.*
*Et rigentibus vergentes ducat vmbras floribus.*

g Fortè, *quo.*

*Cras* [g] *erit qui primus æther copulauit nuptias,*
*Vt pãt * totis crearet vernis annum nubibus,*

h Pyth. *fluxit almæ.*
i Idẽ, *venas,*

*In ſinum maritus imber* [h] *fluctus alma & coniugis.*
*Vt fletus immixtus omnis aleret magno corpore.*
*Ipſa* [i] *vernas atque mentem permeante ſpiritu*
*Intus occultis gubernat procreatrix viribus,*
*Pérque cælum, pérque terras, pérque pontum ſubditum,*
*Peruium ſui tenorem ſeminali tramite*
*Imbuit, iuſsítque mundum noſſe naſcendi vias.*
*Cras amet, qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.*

k Pyth. *Latinos.*

*Ipſa Troianos nepotes in* [k] *Latino tranſtulit:*
*Ipſa Laurentem puellam coniugem nato dedit.*

l Scribo, *Romuleas.*

*Móxque Marti de ſacello dat pudicam virginem.*
[l] *Romuleas ipſa fecit cum Sabinis nuptias:*
*Vnde Rames & Quirites, próque prole poſterûm*
*Romoli matrem crearet & nepotem Cæſarem.*

m Lego & diſtinguo, *Hũc ager, cũ parturiſſet ipſa, ſuſcepit ſinu: Ipſe florum.*

*Cras amet, qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.*
*Rura fecundat voluptas: rura Venerem ſentiunt:*
*Ipſe Amor puer Dionæ rure natus dicitur.*
*Hunc ager* [m] *cum parturiret, ipſa ſuſcepit ſinu,*
*Ipſa florum delicatis educauit oſculis.*





*Cras amet, qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.*

a Pyth. *aëdõ.*
b Fortaſſe, *Quiſque cœtus continetur.*

*Ecce iam ſuper geneſtas explicat* [a] *aonij * latus*
[b] *Quiſque tuus quo tenetur coniugali fœdere.*
*Subter vmbras cum maritis ecce balantum gregem:*
*Et canoras non tacere Diua iuſsit alites.*
*Iam loquaces ore rauco ſtagna cigni perſtrepunt:*

c Eleganter Pyth. *Terei.*
d Lego *putes*, & deleo vbique notam rogandi.

*Adſonant* [c] *aërei puellæ ſubter vmbram populi*
*Vt* [d] *putas motus amoris ore dici muſico?*
*Et neges queri ſororem de marito barbaro?*
*Illa cantat, nos tacemus. quando ver venit meum?*
*Quando * faciam vt celidon vt taceret deſinam.*
*Perdidi Muſam tacendo, nec me Phœbus reſpicit.*
*Sic Amyclas cùm tacerent perdidit ſilentium.*
*Cras amet, qui numquam amauit; quíque amauit, cras amet.*

EXPLICIT PERVIGILIVM VENERIS.

*Argumentum & occaſio huius Carminis.*

Elegans mehерclè & quantiuis pretij carmen; molle, tenerum, ſed Romanis, vt ſic dicam, non Alexandrinis deliciis. In eo aliquot menda: quæ priuſquam tollam, quæram de Titulo & de Scriptore. Titulus fuit, *Peruigilium Veneris*. Colligo facilè ex ſubſcriptione, *Explicit peruigilium Veneris*. Ex titulo non ignotum argumẽtum. Laudatio enim Veneris fuit, compoſita quaſi per occaſionem Peruigilij, quod tres ipſas noctes in honorem deæ agebant. Faciunt illuc verſus in hoc Carmine,

*Peruigilia, variis diis.*

*Ipſa vellet vt venires, ſi deceret virginem.*
*Iam tribus choros videres feriatos noctibus.*

Et illa Plauti Curculione,

*Quid? tu Veneri peruigilare te vouiſti Phædrome?*
*Nam hoc quidem haud multo pòſt luce lucebit.*

Sed & peruigilandi honos vulgatus in ceteros deos. Fortunæ peruigilium eſt apud Suetonium in Galba, cap. IIII. *Fortunæ ſimulacrum in parte ædium conſecratum, mẽſtruis deinceps ſupplicationibus & peruigilio anniuerſario coluit*. Cereri, apud Tacitum: *Lectiſternia & peruigilia celebrauere feminæ quibus mariti erant*. Incertum cui deo, deæ, apud Liuium lib. XXIII. per tres item noctes. *Triduum ſacrificatum ad Hamas. Nocturnum erat ſacrum, ita vt ante mediam noctem compleretur. Gracchus caſtra Campana, vt in peruigilio, neglecta ſimul omnibus portis inuadit*. Peruigilij meminit iterum Suetonius in Caligula, cap. LIIII. & Vitellio, cap. X. Titulum ergo inuêni: ſcriptorem quæram, & non inueniam. Ducti elegantia carminis quidam Catullum Veronenſem eſſe cenſuerunt: alij, in queîs Scaliger, Catullum vrbicarium poëtam, nominatum Iuuenali,

*Quæſitũ de ſcriptore.*

—— *clamoſum ageret cùm phaſma Catulli.*

*Quando videatur id Carmen ſcriptum.*

Neuter poteſt. niſi me fallit ratio temporum, quam ſubduxi non vanis coniectúris. Natum enim comperio hoc Carmen in imperio Auguſti. Argumento horum verſuum,

*Vnde Rhamnes & Quirites, próque prole poſterûm*
*Romoli, patrem crearet & nepotem Cæſarem.*

*Pater Cæſar de D. Iulio.*

Ita legendum, nõn *mãtrẽm*, doceo infrà. Pater Cæſar, Diuus Iulius eſt; nepos, Auguſtus. Sæpè ita diſcriminandi cauſſa hiſtorici. Sueton. *Cæſario, quem ex Cæſare patre concepiſſe Cleopatra prædicabat.* & alij ſæpius. At hæ tam quæſitæ blanditiæ aduerſus Auguſtum, quomodo conuenient niſi in hoc æuum? Non ergo Catulli Veronenſis. Dico amplius: poſt Virgilium vixit hic ſcriptor. Certè locus ille totus,

*Poſt Virgilium ſcriptum.*

*Vt Pãt * totis crearet vernis annum nubibus*
*In ſinum maritus imber fluxit almæ coniugis*
*Vt fetus immixtus omnes aleret magno corpore.*

non abeſt, quin è Virgiliano iſto expreſſus ſit,

*Tum pater omnipotens fecundis imbribus æther*
*Coniugis in lætæ gremium deſcendit, & omnes*
*Magnus alit magno commiſtus corpore fetus.*

poſtremo quidem vèrſu etiam ad verbum, vt ego reſtitui. Niſi tamen Virgilius hæc ab illo: quod non cenſeo. Sanè quiſquis ſcriptor, non ambigo quin extrema ſub tempora genitum hoc carmen Auguſti. Ita Catulli illius germani non erit; quia ætate relinquitur. non illius minuti vrbicarij; quia anteit. Cetera videbit Phœbus. ego tranſeo ad verſus ipſos, quos ſanabo, cum Homero, Ες πόδας ἐκ κεφαλῆς. Principio carminis non dubium quin multa deſint. Illo verſu,

*Ver, nouus orbis.*

*Ver nouum, ver iam canorum, ver natus orbis eſt.*

eleganter Pythoëus, *vere natus orbis eſt.* nec malè ego, *ver renatus orbis eſt.* ſententia gemina huic Plinianæ, *Arborum flos eſt pleni veris indicium & anni renaſcentis.* Verſu IX.

*Venus nata è ſpuma & ſanguine.*

*Tuno quiuore deſuper huc ſpumeo pont' de glouo.*

Amicus ille noſter, *Iuno rore de ſupernis.* Mihi correctio apud Ianum Douzam fabulanti feliciter ſub manu nata, *Tunc cruore de ſuperno ac ſpumeo ponti è globo.* Nihil clarius. Tangit fabulam qua fingitur Venus è ſpuma maris nata, & è ſanguine prolium (vt honeſtè dicam) Cæli. Tibullus,

*—— is ſanguine natam,*
*Is Venerem è rabido ſentiet eſſe mari.*

Arnobius, *Nunquid à nobis dicitur ex pelagi ſpuma & ex Cæli genitalibus amputatis Cythereæ Veneris concretum coaluiſſe candorem?* Paulo pòſt etiam ſcribe, *Fecit vndantem Dionem de maritis imbribus.* Maritos imbres appellat Spumam & Cruorem, ſanequàm eleganter. Deſunt autem hîc minimum ſeni aut ſepteni verſus, quod apparet ex verſu intercalari præproperè poſito. Verſu XIIII.

*Ipſa ſurgentis papillas de Faboni paritu*
*Vrguet in totos * pentes.*

Truncatam vocem arbitror, & ſcribo, *Vrguet in thoros tepentes.* Priori etiam verſu malim, *Turgentes papillas.* Fauonij ſpiritum vere inuenit & ingenioſè Pythoëus.

Verſu XVII.

*Et me canat lacrime trementes ne tadum pondere.*

Videor pro parte emendare poſſe, *Et micant lacrimæ trementes.* Intellegit



legit autem guttulas illas è rore ſubſilientes & laſciuientes. Cetera non poſſum. Lernutius noſter, *decadino pondere.*

Verſu XXII.

*I piuſſit manè tuæ virgines nubant roſæ.*

*I. Douzæ vera laus.*

Pythoëus, *Ipſa iuſſit.* rectè. Reliqua ſic Ianus Douza: Douza, inquam, meus, non iterum in tranſcurſu dicendus. Tot mihi in illum iuſti amoris cauſſæ, tot admirationis ſunt. Omitto poëſin, & cum poëſi ſupra hoc ſæculum doctrinam: probitas, & ingenui mores, &, quæ nihil gratiæ cauſſa facit, gratia, di boni, in quo homine paria ſunt, aut erunt! Vt verè de illo hoc elogium & ad præſtationem, quod dicitur, ſcripturus ſim, Vera proles Muſarum, & alumnus Gratiarum. Nec abripit amor me. iudicio hoc ſcribo, ſiquid vmquam: & peto quæſóque (vita tantùm mihi aut fama apud poſteros ſit) ita hæc legant, non quaſi laudem ab amico; ſed ſententiam à iurato teſte. Redeo in viam. Douza, inquam, legebat, *mane vt vdæ virgines nubant roſæ.* rectiſſimè. Venus iuſſit; ait poëta, vt manè virgines tegant ſe ornentque vdis ab humore noctis & quaſi ebriis roſis. Nec fallet lectorem Nubendi hîc verbum, priſca ſignificatione, Velandi. Verſu XXIII.

*Fuſta prius de cruore, déque amoris oculis.*

*Roſæ tinctæ cruore Adonis.*

Non diu, ſed intentè mihi quæſita correctio. quam repperi, & lego, *Fuſæ aprino de cruore.* Ab hiſtoria hæc lectio, vel à fabula potius. Nam roſas à ſanguine Adonis, quem aper occiderat, traxiſſe ruborem vulgò volunt poëtæ. Fuſæ ergo, tinctæ ſiue perfuſæ. niſi quis eligit, *Fuſcæ.* Bion de hac re, Αἷμα ῥόδον τίκτει, τὰ δὲ δάκρυα τὰν ἀνεμώναν. Ouidius, & alij. Verſu XLV.

*Detinent & tota nox eſt peruigila canticis.*

*Detumere.*

A fine lego, *peruigil à canticis.* ſyllaba præter vulgi morem ſcilicet producta, vt iambum vitemus. Ad principium emendandum conor, *Detument.* id eſſet, tumorem & faſtum dij illi ponunt, effuſi in iocos, & ſolitam peruigilio hilaritatem. Scio Statium Papinium non abſimiliter ea voce vſum: tamen adhuc delibero.

Verſu XLIX.

*Præſens ipſa iura dicit, adſederunt Gratiæ.*

Bene Douza, *Præſes. i. iura dicet, adſidebunt Gratiæ.* Et lepida herclè fictio eſt, vt Venus in illo tribunali quaſi Præſes Quæſitorque ſit: Gratiæ, adſeſtrices. Verſu LX.

*In ſinum maritus imber fluctus.*

Lego, *fluxus.* Ita apud Lucanum:

*—— æther defluxus in Auſtrum.*

Verſu LXI.

*Vt fletus immixtus omnis aleret magno corpore.*

Dixi, & non muto, legendum *fetus:* ex ſententia, & Virgilio quem expreſſit. Turbat me tamen, quòd inſolens eo loco poëtæ noſtro Spondeus eſt. itáque per me ſanè legatur, *Vtq; fetus mixtus omnes.*

Verſu LXXII.

*Vnde Rames & Quirites proque prole poſterûm*

*Romoli matrem crearet, & nepotem Cæſarem.*

Falſa lectio. Quid? an ex nuptiis Sabinarum cum Romanis creata mater Romuli? Atqui Romulo iam regnante iunctæ illæ innuptæ nuptiæ: nedum vt ex illis Romulo mater. Perſeuero ergo legere, *próque prole poſterûm Romoli, patrem cr. & n. Cæſarem.* ſententiam non dubiè in gratiam Auguſti; Venus, inquit, conciliatrix fuit Romanorum Sabinarumque nuptiis, vt ex iis Rhamnes & Quirites crearet, & in poſtera ſæcla vtrumque Cæſarem, patrem cum nepote.

Verſu LXXX.

*Ecce iam ſuper geneſtas explicat aonij latus.*

Aut ego me amo, aut Phœbus me amauit, cùm correxi, *explicant agni latus*. Nec ſanè ſignificantius exprimi potuit decubitus ille ouium in latus, quaſi apricantium. Id enim ſolent ſuper geniſtas, myricas, & humiliores frutices. Nec plura de hoc Peruigilio, ne ipſe peruigilem. Addam alterius rei, poëtæ tamen, vt videntur, eiuſdem verſus; quos neſcio quis baro indigitauit, *Floridum de Qualitate vitæ.* Repperit in hiſdem ſchidis ſuis Pythoeus.

FLORIDI DE QVALITATE VITAE.

*Bacche vitium repertor plenus adſis vitibus,*
*Effluas dulcem liquorem comparandum nectari,*
a Pyth. *venulis.* *Conditúmque fac vetuſtum, ne malignis* [a] *ſuenulis*
b Pyth. *ducat.* & ſtatim, *verſum.* *Aſperum* [b] *dicat ſaporem verſus vſus in alteros.*

*Omnis mulier intra pectus celat virus peſtilens.*
*Dulce de labris loquuntur, corde viuunt noxio.*

*Sic Apollo: deinde Liber, ſic videtur ignifer.*
*Ambo ſunt flammis creati, proſatíque ex ignibus.*
hc Pyt. *& radics ambo c.* *Ambo de comis calorem &* [c] *radio* * *conſerunt:*
*Noctis hic rumpit tenebras, hic tenebras pectoris.*

*Quando ponebam nouellas arbores mali & pyri,*
*Cortici ſummæ notaui nomen ardoris mei:*
*Nulla ſit exinde finis vel quies cupidinis.*
d Pyth. *ardor.* *Creſcit arbor, gliſcit* [d] *arbor, ramus implet litteras.*

*Qui mali ſunt non fuere matris ab aluo mali:*
*Sed malos faciunt malorum falſa contubernia.*

e Idem, *offucias.* & *per orbem.* *Sperne mores tranſmarinos, mille habent* [e] *offugia.*
*Ciue Romano per* [f] *vrbem nemo viuit rectius.*
*Quippe malim vnum Catonem, quàm CCC. Socratas.*
*Tam malum eſt habere nummos, non habere quàm malum eſt.*
g Scribe, *pauor.* *Tam malum eſt audere ſemper, quàm malum eſt ſemper* [g] *pauere.*
*Tam malum eſt tacere multum, quàm malum eſt multum loqui.*
*Tam malum eſt foris amica, quàm malum eſt vxor domi.*
*Nemo non hac vera dicit, nemo non contra facit.*

*Conſules*



*Conſules fiunt quotannis & noui Proconſules:*
*Solus aut rex, aut poëta non quotannis naſcitur.*

Nihil hæc ad venuſtatem prioris illius carminis: ſed ſunt haud dubiè imperiti alicuius ſarcinatoris ablecta. Primum illud de Baccho inſipidum: nec florem vini olet, ſed floces eorum quos non nomino. Tamen emendo, *Ne malignis vernulis, Aſperum duat ſaporem*. intellegi vult, Ne vinum acetum fiat, & potui præbeatur ſeruis admixta aqua. Duat enim pro Det. Poſca autem vernularum & ſeruorum, ex aceto. Ablecto tertio, *& radio* * *conſerunt*: mutilum verſum expleo repetita voce, quæ delituit, vt ſolet, in fine prioris, & ſcribo, *radio dio conſerunt*. Vterque calorem, inquit, à diuino radio conſerit, & Phœbus, & Bacchus. Græca phraſis eſt, Conſerere calorem. Fruere, mi lector, quiſquis poëſim amas, hoc Pythoëi dono, fruere.

## CAPVT VI.

*Ritus collocandi cadaueris. Suetonij nouus & verus intellectus, & Virgilij Conlocatio. Cærimonia in ea adiuncta. Perſius illuſtratus. Seneca etiam emendatus. Amictus in corpore mortuo. Appuleius, Iuuenalis, Martialis explicati.*

FVNEBRES aliquot ritus explicare mihi animus eſt, temporibus tam funeſtis. Angunt me fatales Belgicæ turbæ: & in hac confuſione rerum non ſolùm quid ſperemus non eſt, vix quid optemus. Tamen vt ij qui in carcere detinentur, ludunt interdum teſſeris: ſic mihi fas tractatione harum rerum, abducere pauliſper animum à præſentibus malis. *Collocatio ad ianuã.*

Mos funebris fuit, vt poſt efflatam animam cadauer cubiculo efferrent, & in veſtibulo ædium collocarent ad ianuam ipſam. Id proprio verbo dicebatur Collocatio. Gloſſæ priſcæ, *Conlocatio*, εἶδος νεκρῦ. Suetonius in Auguſto, cap. C. *Corpus Decuriones municipiorum & coloniarum à Nola Bouillas vſque deportarunt, noctibus, propter anni tempus: cùm interdiu in baſilica cuiuſque opidi, vel in ædium ſacrarum maxima reponeretur. A Bouillis equeſter ordo ſuſcepit, vrbíque intulit, atque in veſtibulo domus collocauit.* Illuſtris locus. &, quod interpretes adhuc fugit, clarum veſtigium huius moris. Corpus enim ablutum, vnctum, coronatum ad ianuam deponebant: donec poſt legitimos dies efferretur ad buſtum. Lucianus περὶ πένθους μετὰ ταῦτα δὲ λούσαντες αὐτοὺς, καὶ μύρῳ τῷ καλλίστῳ χρίσαντες τὸ σῶμα, καὶ στεφανώσαντες τοῖς ὡραίοις ἄνθεσι προτίθενται. Bene προτίθενται. nam quod Collocatio Latinis, πρόθεσις in hac re Græcis, & collocare προτίθεσθαι. Dio lib. De Liuiæ exceſſu, καὶ αὐτὴν, ὁ Τιβέριος οὔτε νοσοῦσαν ἐπεσκέψατο, οὔτε ἀποθανοῦσαν αὐτὸς προέθετο. *Filij collocabant.*

Ita enim eum locum emendauit Scaliger, [redacted], eam collocationem à filiis, aut certè heredibus ſolitam fieri. Plato etiam in Phędone eleganter, parum adhuc animaduerſo *Plato explicatus.*

aduerſo loco: vbi Socrates negat ſe totum moriturum: Μήδε λέγει, inquit, ἐν τῇ ταφῇ, ὡς ἢ προτίθεται Σωκράτη, ἢ ἐκφέρει, ἢ κατορύττει. id eſt: *Nec in ipſo funere dixeris collocari Socratē, aut efferri, aut terra obrui.* Ita enim ea vertenda propriè. Hunc morem tāgit, vt ſolet, occultè vates magnus, lib. XI.

*Virgilij occultior ſenſus.*

*—— recipitque ad limina greſſum.*
*Corpus vbi exanimi poſitum Pallantis Acœtes*
*Seruabat ſenior.*

Nam quòd ad limina cadauer Pallantis poſuit; non dubiè intellegi voluit ſolemnem hanc ad ianuam poſitionem.

*Situs cadaueris, vt pedes in viam ſpectarent.*

In hoc ritu collocandi, cerimonia quædam adiuncta fuit & cautus. Seruabant enim vt corpus mortui foràs ſpectaret, & facie pedibuſque eſſet in publicum verſis. fortaſſe eo ſitu abitionem illam poſtremam ſignificantes. Eleganter Perſius,

*—— tandémque beatulus alto*
*Compoſitus lecto, craſſiſque lutatus amomis*
*In portam rigidos calces extendit. ——*

Homerus item clarè, in funere Patrocli,

Ὅς μοι ἐν κλισίῃ δεδαϊγμένος ὀξέϊ χαλκῷ
Κεῖται, ἀνὰ πρόθυρον τετραμμένος.

Id eſt: *Qui mihi in tabernaculo confoſſus acuto ære,*
*Iacet, ad veſtibulum conuerſus.*

*Illuſtratus Senecæ egregius locus.*

Ibique interpretes: εἰς τὸ πρόθυρον, inquiunt, βλέπων. τοιοῦτο γὰρ τὸ σχῆμα τῆς τῶν νεκρῶν προθέσεως. Ab vtroque hoc ritu Senecæ dabo lucem, Epiſtola XII. *Quis eſt, inquam, iſte decrepitus, & merito ad oſtium admotus? Foràs enim ſpectat. Vnde iſtum nactus es? quid te delectauit alienum mortuum tollere? At ille, Non cognoſcis me? ego ſum Felicio, cui ſolebas Sigillaritia adferre: ego Philoſiti villici filius, deliciolum tuum. Perfectè, inquam, delirat iſte vetulus: etiam deliciolum meum factus eſt. Prorſus poteſt fieri: dentes illi cùm maximè cadunt.* Locus herclè argutus. & cuius ſententia, quis neget, quin diſertè ad hunc ritum? Nam ait, illum ſenem meritò ad hoſtium admotum. quare? quia ludere ei viſum. & in officium hominis: hoſtiarius enim erat: & in ſenium. quaſi iam in extrema tegula ſtaret ſemimortuus, & ideò iure ad ianuam collocandus. Ait etiam, Foràs illum ſpectare. quid, niſi alludens ad illum corporis mortui ſitum, foràs & in publicum obuerſi? Interfuit profectò iuuentutis explicari eum locum: at ego addam etiam correctionem. Nam vbi vulgò, *Perfectè, inquam, delirat iſte vetulus*; libri manuſſ. quos vidi, *iſte pupulus.* Non dubitabis ſcribere & interpungere, *Perfectè, inquam, delirat iſte: pupulus & iam deliciolum meum factus eſt.* Pupulus, paruus pupus. vera lectio, & venuſta præ vulgata.

*Idem correctus.*

*Toga in mortuis.*

Ita igitur cadauer ſitum; & amictus illi, in Italia, toga erat; in Græcia, pallium. Appuleius Floridorum lib. I. *Nam illic quoque videret hominem præſidere, hominem depugnare: togam quoque parari & voto, & funeri. Item pallio cadauera operiri, & philoſophos amiciri.* Iuuenalis Sat. III.

*Pars magna Italiæ eſt, ſi verum admittimus, in qua*
*Nemo togam ſumit, niſi mortuus.*

Martia-



Martialis, *Et pallens toga mortui tribulis.*

*Plutarchus explicatus.*

Plutarchus in Cauſſis, τὸ σῶμα, inquit, τοῦ τεθνηκότος ἀμφιεννύουσι λευκοῖς. Artemidorus lib. II. cap. III. Ἀνδρὶ νοσοῦντι λευκὰ ἔχειν ἱμάτια, θάνατον προαγορεύει. διὰ τὸ τοὺς ἀποθανόντας ἐν λευκοῖς ἐκφέρεσθαι. candidas eas veſtes, non aliud capies, quàm togas, quæ vulgò albæ. Nam cadauera in honeſtiſſima veſte efferri mos. quæ in vulgo ciuium & in tacito funere, toga vulgata fuit: in magiſtratibus, toga prætexta: in Cenſoribus, purpurea tota. Polybius lib. VI. οὗτοι προσαναλαμβάνουσιν ἐσθῆτας. ἐὰν μὲν ὕπατος ἢ στρατηγὸς ᾖ γεγονώς, περιπορφύρους. ἐὰν δὲ τιμητής, πορφυρᾶς. ἐὰν δὲ καὶ τεθριαμβευκώς, ἤτοι τοιοῦτον κατειργασμένος, διαχρύσους. Liuius lib. XXXIIII. *Purpura viri vtemur: prætextati in magiſtratibus, in ſacerdotiis. nec id vt viui ſolùm habeamus inſigne, ſed etiam vt cum eo cremenur mortui.* Plura de his rebus in libro ſingulari, De Funeribus, quem habeo adfectum.

*Variæ veſtes pro conditione mortuorum.*

## CAPVT VII.

*In Agellio complura emendata. Rumices. Trifaces, Caupuli. Priſca aliquot verba, Claudere, Imparientia. Secus pro ſexu. Exterrationes. Catonis fragmentum correctum: Conſipere, probum verbum: item, Deſpreti. & plura alia.*

SCRIPTORI Noctium Atticarum medebor hoc loco; & ille, cuius cenſura vtilis in pleroſque ſcriptores vetuſtos fuit, cenſuram nunc meam ſubibit: hoc eſt, ipſi medico faciam medicinam. Quid refert? ſi conuenit in eum Græca parœmia,

Ἄλλων ἰατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύει.

In enumeratione telorum lib. X. cap. XXV.

*Haſta, pilum, falarica, ſemifalarica, ſolliferrea, geſa, lancea, ſpari, rumigeſtri, falces, tragulæ, frameæ.*

*Rumex, genus teli.*

Quis feret vocem Rumigeſtri? quis legit? Turnebo viſum reponere, *rumæ, ceſtri.* Me cenſore vera lectio hæc, *rumices, trifaces.* diuulſis vocibus quæ turpiter cohæſerant. Et auctores credendi libri veteres, in quibus *faces* reperio, non *falces.* Nimium blanditur coniectura, & artem diuinandi in perpetuum deſino, ſi hîc erro. Feſtus, *Rumex genus teli, ſimile ſpari Gallici. meminit Lucilius.* Idem, *Trifax telum longitudinis trium cubitorum, quod catapulta mittitur.* Eodem capite de nominibus nauium,

*Et Trifax.*

*Parones, myoparones, lintres, capulica, mareplacidæ, cidarum, ratariæ, cataſcopium.*

*Caupulus, genus cymbæ.*

Verba non ſine formidine legentium. Emendo, *lintres, caupuli, camaræ.* De Camaris, quod nauium Ponticarum genus, ſatis notum ex Tacito & Strabone: de Caupulis, eruimus partim ex priſcis libris, qui referunt, *caupulica*: partim ex Iſidoro: *Lembus,* ait, *nauicula breuis quæ alia appellatione dicitur & cymba, & caupolus, & lintris.* Notandus locus. & ſine quo, ætatem in vitio & quæſtione ſint Agelliana verba. Lib. I. cap. VII.

*At ſi Explicuit, diceret, imperfecto & debili numero verborum ſonus clauderetur.*

 Scri-

Claudere, priſca vox in Terentio.

Scripſerim, *ſonus clauderet*; antiquo verbo, deficeret. Repoſui olim in Terentij verſu, —— *nuncubi meam*

*Benignitatem ſenſiſti in te claudere:*

nec perſuaſi multis. credo, quia audacior quàm pro ætate coniectura erat. Itaque comiter admonuerunt etiam me quidam, vt mutarem. Pepo, non homo, ſi id faciam. Quid enim ſi fundus ſubſcriptorq; eius correctionis Donatus mihi eſt? quid dicent mei Critici? Eum ergo adeant, & niſi mutili illi Commentarij apertè à me ſunt: admutiler ſanè ego. Sed & Apuleium nunc in eapſe voce corrigo, lib. III. Florid. ſub initium: *Vtinā mihi pro amplitudine auditorij prolixa oratio ſuppeteret, ac nō hîc maximè clauderetur, vbi me facundiſſimū cuperem.* Lego, *clauderet*, ex vet. manuſcripto quem benignitas mihi adtribuit mei Giſelini. Libro I. cap. XIII.

*Nequaquam putauerint contra dictum eius eſſe faciendum, etiamſi repentinus aliquis caſus rem commodius agi poſſe polliceretur: ne ſi ſpes fefelliſſet, culpa impatientiæ & pœna indeprecabilis ſubeunda eſſet.*

Impariētia & parientia.

Diſputatio eſt de mandata re, omninóne facere quod mandatum & vti mandatum eſt oporteat: an fas ſit interdum deflectere, pro re aut caſu aliquo repentè nato. Hæc verba quæ adtuli, in eam partem valent, non eſſe deflectendum vſquam: & ratio, *ne ſi ſpes*, inquit, *fefelliſſet, culpa impatientiæ & pœna indeprecabilis ſubeunda eſſet.* Sed profectò, quicquid ego video, ſcribi ſententia flagitat, *culpa imparientiæ.* inſolitum huic æuo verbum, ſed vetus & probum. Ita parientiam accommodare, pro parêre, in Iuſtinianeo codice reſtituit Iacobus Cuiacius; vir, de quo non aliud dixerim, quàm quod de Carthagine olim Criſpus. Et parientiæ vox aliquotiens in Caſſiodori Variis eadem ſententia occurrit, ſed ferè corrupta. Vide vnicum illum Aſtrææ & Muſarum ſacerdotem, lib. I. Obſeruation. cap. VI. & Agellium ipſum, qui hoc argumentum quaſi diluens, ſtatim addit, *Neque timendum exemplum non parendi tradiderunt*; περιφραζόμενος quod antea imparientiam dixerat. Lib. II. cap. XXVIII.

*Fas ferias ſi quis polluiſſet, piaculoq; ob eam rem remotus eſſet.*

Scribendum, *ob eam rem opus eſſet.* puero clarum. Lib. III. cap. X.

*Mox eumdem equum qui Dolabellæ fuerat, C. Caſſium, qui Dolabellam obſederat, abduxiſſe. Quem Caſſium poſtea ſatis notum eſt victis Parthis, fuſóque exercitu ſuo, miſeram mortem oppetiiſſe.*

Partes quid propriè.

Suetonius obiter correctus.

Quorſum hic Parthorum mētio, cùm intellegat exitium Caſſij in campis Philippicis bello ciuili? Audacter ego emendo, *victis partibus.* Partes ſunt, factiones, αἱρέσεις. & id verbi in diſſenſione ciuili vſurpant plerique ſcriptores. Suetonius in Auguſto, cap. XII. *Sed vt cognouit Antonium ceteroſq; duces & exercitus conſentire pro patribus.* lege, *partibus.* intellegit partes contra remp. Antonianorum. Seneca in Epiſtolis, de Catone: *Hoc eius bonum, quo victis partibus non poteſt vinci.* Plinius, *Scribonianus arma in Illyrico contra Claudium mouerat: fuerat Pætus in partibus, & occiſo Scriboniano Romam trahebatur.* lib. III. cap. X.

*Poſt deinde quarta hebdomade, quòd eius virile fetus futurum eſt, caput & ſpina quæ eſt in dorſo informatur.*

Secus, priſca vox, pro ſexu.

Lego, *virile ſecus.* Vide Scaligeri ad Auſonium Notas. Lib. XV. cap. II.

*Atque*



*Atque etiam hoc Plato ibidem dicit, non defugiendas eſſe neque reſpuendas huiuſcemodi exhortationes, [aduerſum propulſandam vini violentiam:] neque vllum prorſus continentem ac temperantem ſatis fideliter viſum eſſe, cuius vita victúſque non inter ipſa errorum pericula, & in mediis voluptatum illecebris explorata ſit.*

Fortaſſe & hoc totum à gloſſa inſitum eſt.

Exerratio, & exerrare.

Aduerſum Philoſophum quempiam diſſerit hæc Agellius, qui Platonis verbis & exemplo adoleſcentes vocabat ad potandum. & ſubdit deinde quatenus, & quâ fini, permiſſa à Platone vini aliqua copia. Sed enim Exhortationum verbum prorſum à ſubiecta ſententia alienum: & ſpernūt libri veteres, qui, *exercitationes*, oſtendunt. Lego ego, *huiuſcemodi exerrationes.* Ita appellat eleganter mentis illos errores, & quaſi primas alucinationes, ante plenam ebrietatem. Exerrandi verbo vſus Quadrigarius, *Deinde Gallus irridere cæpit, atq; lingua exerrare*: vt quidem ſcribunt fideliſſimi libri. Et Statius VI. Theb. *Flectitur in gyros, dexterq; exerrat Arion.*

Quadrigarius correctus. vulgò eſt, linguam exertare.

Lib. VII. cap. III.

*Atque Rhodienſes tamen Perſen publicè numquam adiuuêre. Cogitate quanto nos * noſtri natini cautius facimus. Nam vnuſquiſque noſtrûm, ſiquis aduerſus rem ſuam quid fieri arbitratur, ſumma ope nititur ne aduerſus eam fiat. quod illi tamen perpeſſi.*

M. Cato emendatus.

Verba ſunt ex oratione M. Catonis pro Rhodiis dicta: ſed verba mendi manifeſta. Lego, *Cogitate quāto nos priuatim cautius facimus.* acciſis iis quę ex inepta repetitione ſyllabæ redundarant. Quin vera hæc correctio ſit, non ambiget, quiſquis ſententiam & cetera Catonis verba peruidebit.

Cap. eodem:

*Nam cùm obiiceretur, inquit, Rhodienſibus, quòd bellum populo Ro. facere voluiſſent: negauit pæne. Sed ignoſci popoſcit, quia id non feciſſent, etſi maximè voluiſſent.*

Expleta Agellij verba.

Scribe & interpunge, *nec negauit plenè: ſed ignoſci.* retracta ſyllaba, quæ effugerat. Ibidem:

*Vereri ſe oſtendit ne patres gaudio atque lætitia rerum geſtarum proſperè, de ſtatu mentis ſuæ deturbati non ſatis conciperent, neque ad rectè intellegendum conſulendumq; eſſent idonei.*

Conſipere, in Agellio & Liuio.

Scripſerat, *conſiperent*; verbo antiquis vſitato, vt Adſipio, Præſipio. Viſum aliter imperitis, qui idem verbum in Liuio non concoxerunt. lib. V. *Romani ex arce plenam hoſtium vrbem cernentes, cum alia atq; alia parte noua aliqua clades oriretur, non ſolùm mentibus conſipere, ſed ne auribus quidem atque oculis ſatis conſtare poterant.* nam vulgò vbique leges, *concipere.*

Libro VII. cap. XVIII.

*Hæc eorum fraudulenta calliditas, tām eſſe turpis æſtimata eſt, vt contempti vulgò diſcerptiq; ſint: Cenſoréſque eos poſtea omnium notarum & damnis & ignominiis affecerunt.*

Deſpreti. & falſa hiſtoria ex lectione vulgi.

Loquitur de captiuis duobus qui fraudulento in caſtra reditu, ſolutos ſe religione iuramenti interpretabantur, quod Annibali præſtiterāt. Sed quid? diſcerptine illi & interfecti? Falſa hiſtoria, ex Liuio lib. XXIII. & Agellio ipſo. Scribamus, *contempti vulgò diſpretiq; ſint.* Diſpretus ſiue Deſpretus, priſca vox. Feſtus, *Deſpretus, valdè ſpretus.*



Lib.

Lib. IIII. cap. IX.

*Maſſurius autem Sabinus in Commentariis quos De Indigenis compoſuit, Religioſum eſt, inquit, quod propter ſanctitatem aliquam remotum ac ſepoſitum à nobis eſt.*

*Titulus libri repoſitus.*

Probabilius, me iudice, Maſſuriani libri titulum fecero, *De indigitamentis.* qui aptus ad religionem & ſacra. Ita certè C. Flacci librum nominat Cenſorinus cap. II. argumento ſcilicet eodem. Quæ præterea notata mihi in hunc ſcriptorem, dicam alio loco.

## CAPVT VIII.

*De Frumentatione, accurata conlectanea. Eius origo prima. Indicatum in Liuij loco mendum. Appiani in Gracchi lege apparens error. Salluſtij inſignis emendatio. Menſtruum ſeruorum. Clodij Annonaria lex. Recenſus populi, & in ea voce Suetonius correctus. Dionis error in tempore Recenſus Auguſti. Perſius explicatus & Plinius. Ambigua Capitolini lectio. Cælius in Epiſtolis ad Cicer. correctus bis. De origine Præfecti & Curatorum annonæ. Minutia Frumentaria. Appuleius emendatus. Panis gradilis, & alia compluria.*

SIQVA res alia, ex qua intellegi magnitudo & opes populi Romani poſſit: ea, me iudice, Frumentatio eſt. ſic appello gratuitam in plebem annonam, Greçis σιτηρέσιον dictam. Is mos quia non planè innotuit, & intereſt vt innoteſcat: quæ de eo ſparſim legi, proponam hoc capite, & complectar vno velut faſce.

*Origo Frumentationis.*
*Qui primi dederint.*

Frumentaria largitio antiquiſſima apud Romanos, & ferè ſemper conciliandæ plebi. Liuius adhibitam oſtendit ſtatim poſt reges eiectos. *Multa,* inquit libro II. *blandimenta plebi per id tempus ab Senatu data. annonæ in primis habita cura, & ad frumentum comparandum miſſi alij in Volſcos, alij AEquos.* Plinius libro XVIII. eius originem ad Manium Marcium Ædilem refert. *Manius Marcius,* ait, *AEdilis plebis primum frumentum populo in modios aſſibus donauit.* lego, *primus.* Et idem fecit non multo pòſt in cæde Mæliana Minutius: de quo ſic Liuius libro IIII. *L. Minutius boue aurato extra portam Trigeminam eſt donatus, ne plebe quidem inuita, quia frumentum Mælianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diuiſit.* Vbi bouem auratum non ſine ſuſpicione corrupti loci lego. primùm, quia Plinius duobus locis, non boue, ſed ſtatua donatũ eum ſcribit extra portam Trigeminam, ſtipe collata: deinde, quia non perſuadeor rudi illa ætate ſtatuas fuiſſe auratas; quas multis annis pòſt Romæ non legimus. Imò Liuius libro XL. Valerius lib. II. Ammianus XIV. notant, *Statuam auratam nec in vrbe nec in vlla Italiæ parte viſam, priuſquam à M. Acilio Glabrione patri poneretur in æde Pietatis.* Id fuit anno V. DLXII. Addo vetuſtum meum codicem, qui præfert, *Minutius bũ auro.* correctionem tamen nunc non eruo. niſi

*Suſpectus de mendo Liuij locus.*

*Lib. XVIII. cap. III. & l. XXXIIII. cap. V.*



niſi ſi, *boue & agro.* Poſtea diuiſum frumentum ſæpius, & ferè ſemper ab Ædilibus: quorum videtur fuiſſe ea cura. Liuius lib. XXXI. *AEdiles frumenti vim ingentem, quod ex Africa proconſul Scipio miſerat, quaternis æris populo cum ſumma fide & gratia diuiſerunt.* Eodem libro, *Annona quoque eo anno peruilis fuit. Frumenti vim magnam ex Africa aduectam AEdiles curules binis æris in modios populo diuiſerunt.* Libro XXXIIII. *AEdiles curules Fuluius Nobilior & C. Flaminius tritici decies centum millia binis æris populo diuiſerunt.* Hæc antiquitùs. cùm largitio ea omnis voluntaria adhuc eſſet, & in arbitrio, vt opinor, Senatus.

*Diuiſio frumenti per AEdiles.*

Exorti mox Tribuni, qui per hanc occaſionem, gratiam & opes ſibi quæſiuerunt apud plebem. Leges tulerunt, quibus non incerta, vt anteà, ſed perpetua ſtataq; frumentatio eſſet. Princeps eius facti C. Gracchus; qui præter alias, vulgo nó optimatibus gratas leges, vnã tulit, vt frumentum plebi è publico daretur, modico aliquo pretio definito. Pretium dico definiiſſe Gracchum: aliter quàm ſenſiſſe videtur Appianus lib. I. Bellorum ciuil. καὶ περιφανέστατα, inquit, αἱρεθεὶς εὐθὺς ἐπεβούλευε τῇ βουλῇ, σιτηρέσιον ἔμμηνον ὁρίσας ἑκάστῳ τῶν δημοτῶν ἀπὸ τῶν κοινῶν χρημάτων, οὐ πρότερον εἰωθὸς διαδίδοσθαι. Errat Græcus ſcriptor, ſi putat idem Gracchi ætate fuiſſe, quod ſua: nec pretium vllum dictum publico frumento. Errat nam pretium ea lege in modios definitum ſemis & triẽs. Epitoma Liuij LX. *C. Gracchus Tiberij frater pernicioſas aliquas leges tulit, inter quas Frumentariam, vt ſemiſſe & triẽte frumentum plebi daretur.* Nec alia rè tam popularis Gracchi lex, quàm quòd ex incerta largitione fecit certam: & in perpetuum proſpexit alimentariæ plebi. Plutarchus breuiter eam legem attigit. & vim tamen expreſſit. Nam ait latum à Graccho σιτικὸν νόμον ἐπευωνίζοντα τὴν ἀγοράν, *frumentariam legem, qua pretium imminuit annonæ.* Tenuit, vt exiſtimo, ea Gracchi lex ad tempora Sullæ. is Dictator, vt iura pleraque Tribunatus, ſic videtur ſuſtuliſſe hanc Tribuniciam legem. Colligo, quoniam mortuo eo, & Tribunis reſtitutis, alia aliqua ſimilis lex ab optimatibus lata videtur, placandæ plebi. At opus alia non fuiſſet, illa permanente. Marcius tr. pl. in Oratione apud Salluſtium ſic loquitur: *Mithradatem, Sertorium, & reliquias exſulum perſequantur cum imaginibus ſuis: abſit periculum & labos, quibus nulla pars fructus eſt. Niſi fortè repentina iſta frumentaria lege munia veſtra penſantur: cùm tamen qui his modis libertatem omnium æſtimauere, hi profectò non amplius poſſunt alimentis carere. namque vtilis exiguitate mors prohibetur. ſeneſcunt vires, ſic vt neque abſolui cura familiari tam parua res poſſit: & ignauiſſimi quique tenuiſſima ſpe fruſtrantur.* corruptiſſimus locus: cui feliciter medebor pro parte. Scripta lectio; *qua tamen quin is modis libertatem omnium æſtimauere, qui profectò non amplius poſſint alimentis carceris.* Emendo, *qua tamen quinis modiis.* egregiè, & magno momento ad hiſtoriam. Lex illa frumentaria mẽſtruum definiebat in capita, non plus quinque modios. id calumniatur Tribunus: & ait exiguum eum modum eſſe, ferè comparandum cum alimentis carceris, quorum tenuitas vt mortem prohibet, ita vires non auget. Conſtat mihi de hac ſententia, non prorſus de reliqua ſcriptura: quam ſic concipio: *qua tamen quinis modiis libertatem omnium æſtimauere.*

*Primæ Frumentariæ leges.*

*C. Gracchi lex.*

*Appiani parum cauta ſcriptio.*

*Sulla abrogat frumẽtaria legẽ.*

*Optimates aliã ferunt.*

*Salluſtius correctus.*

*qui profectò non amplius proſint alimentis carceris. namque vt illis, exiguitate mors prohibetur, ſeneſcunt vires, &c.* reliqua enim non poſſum. at in iſtis ſcio me aut attigiſſe veram emendationem, aut habere ſub ictu. De alimentis carceris, quæ Diaria item dicebant, vide Senecam patrem lib. IX. controuerſia quarta. Et herclè de quinque modiis non iniuria indignatur, Tribunus: quoniam id menſtruum etiam viliſſimorum ſeruorum. Seneca Epiſt. LXXXI. *Ille qui in ſcena elatus incedit, & hæc reſupinus dicit,*

*Diaria, iis qui in carcere.* *Menſtruum ſeruorum quale.*

*Imperito Argis, regna mihi liquit Pelops*
*Quà ponto ab Helles atque ab Ionio mari*
*Vrgetur Iſthmos.* ———

*ſeruus eſt, quinque modios accipit & quinque denarios.* Sed iſta ipſa lex, de qua Marcius, ambigo an perlata. Vix videtur. quia non ita multo pòſt alia Frumentaria exorta, cuius ferundæ auctor M. Cato. Plutarchus id notauit duobus locis, cuius verba digna adſcribi. In Catone, ὁ Κάτων φοβηθεὶς ἔπεισε τὴν βουλὴν ἀναλαβεῖν τὸν ἄπορον καὶ ἀνέμητον ὄχλον εἰς τὸ σιτηρέσιον. ἀναλώματος μὲν ὄντος ἐνιαυτοῦ * χιλίων καὶ διακοσίων καὶ πεντήκοντα ταλάντων. Et iterum in Cæſare, ὁ Κάτων ἔπεισε τὴν σύγκλητον ἀπονεῖμαι σιτηρέσιον ἔμμηνον. ἐξ οὗ δαπάνης μὲν πεντακόσιαι πεντήκοντα μυριάδες ἐνιαύσιοι προσεγίνοντο τοῖς ἄλλοις ἀναλώμασι. Notanda Plutarchi verba, & in iis ſumma pecuniæ annua in frumentum. Addit idem ſcriptor ſuaſam eam legem à Catone, metu C. Cæſaris. qui cùm, oppreſſa coniuratione Catilinæ, plebem ſpectaret & res nouas; viſum Catoni potius, honeſta largitione plebem facere Senatus. Sed ea ipſa optimatium lex aut lata non fuit, aut certè non rata. Succeſsit enim P. Clodij ſub idem tempus Tribunicia: de qua Aſconius in Miloniana his verbis: *Annonariam legem tulit, quæ ſummè popularis fuit, vt frumentum populo quod antea ſemiſſe æris ac trientibus in ſingulos modios dabatur, gratis daretur.* Clarum ex iis Aſconij, poſt Gracchi legem, Frumentariam nullam firmam fuiſſe: & cùm ea poſt Sullam iacuiſſet, ſucceſſiſſe hanc Clodij, quæ largitione vicit omnes ſuperiores.

*Irrita optimatiũ lex.* *Frumentaria lex, à Catone.* * id eſt, trecenties ſeſtert. ſum. & poſterior locus ad hanc ſummam redigendus. *Eadem lex vana.* *Clodij annonaria lex.*

Ita ventum ad Imperatores. Ij Clodianam legem re tenuerunt, ſpreto nomine: & inſtituta Romæ perpetua Frumentatio, non alibi tam effusè vſurpata in vlla rep. vllius æui. Varia tamen addita & mutata. In primis de numero accipientium, certum aliquid ſub Impp. reperio, non antè. Clodij lege an omnes ciues acceperint, an certo numero incluſa ea liberalitas fuerit, ignoro: Iulius Cæſar ſanè Dictator numerum definiuit, quem expreſſit Suetonius cap. XLI. *Recenſum populi nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atque ex viginti trecentisq; millibus accipientium frumentum ad centum quinquaginta retraxit. ac ne qui noui cœtus recenſionis cauſſa moueri quandoque poſſent, inſtituit quotannis in demortuorum locum ex his qui recenſiti non eſſent, ſubſortitio à Prætore fieret.* Ex eo loco videtur Cæſar reduxiſſe veterem numerum: qui per bella ciuilia confusè creuerat, & in immenſum. Nam vt homo popularis minus fecerit quàm priſca lege & more ſolitum: non credo. Dio Caſſius lib. XLIII. eleganter, Καὶ τοῦ πλήθους τοῦ τὸν σῖτον φέροντος ἐπὶ μακρότατον, οὐ κατὰ δίκην, ἀλλ' ὥσπερ ἐν ταῖς στάσεσιν εἴωθε γίνεσθαι, ἐπαυξηθέν-

*Frumentaria res ſub Imp. & capientiũ numerus.* *Numerus frumentantium ſub C. Cæſare.*





τος, ἐξέτασιν ἐποιήσατο, καὶ τούς γε ἡμίσεις ὁμοῦ τι αὐτῶν προαπήλειψε. Nota etiam mihi, quòd Suetonius ait, Recenſum. Bene & propriè, vt amat, ille ſcriptor. non enim cenſum aut luſtrum egit Cæſar, (& Plutarchus qui id putat, nec plura quàm centum quinquaginta millia ciuium ſuperfuiſſe ciuilibus bellis, deus bone, quàm errat!) ſed recenſum, id eſt, examen & diſquiſitionem breuem in eos qui iure aut iniuria capiebant publicum frumentum. Ita obſeruo Suetonium vti eo verbo. Vt in Auguſto, cap. XL. *Populi R. cenſum vicatim egit: ac ne plebs frumentationum cauſſa,* &c. ſcribe omnino, *Populi recenſum.* nam ſubdit ſtatim de frumentatione. Cenſum, contra morem veterem, nec Cæſar nec Auguſtus egerunt vicatim, vt aliàs clarè docebo, & tollam errorem hiſtoriæ communem. Recenſum hunc Auguſti, quem verbo attingit Suetonius, nimium clarè explicat Dio lib. LV. ὁ δὲ Αὔγουστος, inquit, τὸ τοῦ δήμου τοῦ σιτοδοτουμένου πλῆθος ἀόριστον ὂν ἐς εἴκοσι μυριάδας κατέκλεισε, καὶ ὥς γέ τινες λέγουσι, καθ' ἕνα ἑξήκοντα δραχμὰς ἔδωκε. Ita Auguſtus, qui inter firmamenta imperij habuit Annonam (Tacitus id arcanum non tacuit lib. I. *Vbi militem donis,* inquit, *populum annona, cunctos dulcedine otij pellexit.*) auxit numerum eorum qui frumentum caperent, & reduxit ad millia ducenta. Id, præter in Dione, diſertè ſcriptum aut ſcalptum in lapidibus priſcis qui Ancyræ conſpiciuntur in Aſia minori; quibus compreħenſum Breuiarium rerum geſtarum Auguſti. Ait ibi de ſe Auguſtus: CONSVL. TERTIVM. DECIMVM. SEXAGENOS. DENARIOS. PLEBI. QVAE. TVM. FRVMENTVM. PVBLICVM. ACCEperat. DEDI. EA. MILLIA. HOMINVM. PAVLLO. PLVRA. QVAM. DVCENTA. FVERVNT. Vide quàm hæc conuenienter ad Dionem, etiam in pecuniæ ſumma, quam tamen vt ambiguam ponit Dio. Tempus etiam eius recenſus ex lapide clarum, videlicet in XIII. conſulatu Auguſti. at Dio aliquot annis antè poſuit, C. Antiſtio Vetere, & D. Lælio conſulibus. Mirum, niſi Auguſto de ſe credendum, præ Dione. Ducenta igitur millia frumentantium ſub Auguſto. Ingens numerus: nec tamen in eo omnes ciues. multùm abeſt; vix, inquam, decima ciuium pars. Nam cenſus illa ætate ordinarius, ad quadragiens centum millia ciuium. Auguſtum ſecutus Tiberius, qui videtur ad eum numerum aliquid addidiſſe. Colligo ex Taciti loco lib. V. Annalium, *Iſdem Conſulibus grauitate annonæ iuxta ſeditionem ventum. multaq; & plures per dies, in theatro licentius efflagitata, quàm ſolitum aduerſum Imperatorem. quis commotus, incuſauit magiſtratus patréſque, quòd non publica auctoritate populum coërcuiſſent, addiditque quibus è prouinciis, & quanto maiorem quàm Auguſtus rei frumentariæ copiam aduectaret.* Si auxit numerum frumenti; ergo & frumentantium. Credo idem feciſſe alios Imperatores, & ſine diſcrimine paullatim admiſſos omnes tenuiores ciues. Affirmare id Seneca videtur, De Beneficiis lib. IIII. cap. XXVII. *Frumentum publicum tam fur, quàm periurus, & adulter accipiunt: & ſine delectu morum, quiſquis ciuis eſt.* Admiſſos, dico, ciues: nec ingenuos ſolùm, ſed etiam libertos. Ea ſententia eſt horum Perſij verſuum, Sat. V.

*Quid propriè Recenſus.* *Suetonius emendatus. in eo explicando vulgi error.* *Auget numerũ frumentantiũ Auguſtus.* *Is numerus ex Dione & lapide oſtenſus.* *Dionis in tempore error.* *Non omnes ciues in recenſu.* *Tiberius auget iterũ.* *Tandẽ omnes tenuiores ciues capiunt.* *Etiam liberti.*

*Perſius explicatus.*

*Libertate opus eſt. non hac, qua, vt quiſque, Velina,*
*Publius emeruit, ſcabroſum teſſerula far*
*Poßidet.*

Emeruit, Publius Velina: id eſt, ex ſeruo factus eſt liber. Nam liberti, prænomen patroni capiebant, & à fine tribum: vt P. Licinius, Velina. Simul igitur, inquit, ac liber factus: poſſidet teſſerulam frumenti. Scholiaſtes: *Romæ erat conſuetudo, vt qui ex manumißione ciues efficiebantur, in numero ciuium Romanorum frumentum publicum acciperent.* Sicut & in congiario non minus libertorum habita ratio, quàm ingenuorum. Adi Suetonium in Aug cap. XLII. Qui in Iudæos ipſos admiſſos ad frumentarias donationes ab Auguſto, Philo tradidit in Legatione ad Caium.

*Etiã Iudæi.*

Creuit hic numerus multo magis ſub Traiano optimo principum. qui etiam pueros admiſit ad publica frumenta. Id factum eius Plinius dilaudat multis, in Panegyrico: *Tu ne rogari quidem ſuſtinuiſti. & quamquam lætißimum oculis tuis eſſet, conſpectu Romanæ pubis impleri, omnes tamen antequam te viderent, recipi, incidi iußiſti; vt iam inde ab infantia parentem publicum munere educationis experirentur.* Quod ait, *recipi & incidi*; ſatis liquet tabulas publicas fuiſſe, in quibus nomina deſcripta eorum quibus deberentur frumenta. quas tabulas Iulius Cæſar commiſiſſe curæ Prætoris vrbani videtur, ex verbis Suetonij quæ ſuprà: poſteà, niſi fallor, depoſitæ fuerũt apud Præfectum annonæ.

*Traianus etiam pueros addidit.*

*Plinius explicatus, & Tabulæ frumentariæ.*

Numerus puerorũ, quos aluit Traianus, expreſſus ab eodem Plinio. *Paullo minus*, inquit, *quinque millia ingenuorum fuerunt, quos liberalitas Principis noſtri conquiſiuit, inuênit, adſciuit.* Hadriano placitum id exemplum: qui etiam *pueris ac puellis* (verba Spartiani ſunt) *quibus Traianus alimenta detulerat, incrementum liberalitatis adiecit.* Et Antonino, qui numerum videtur auxiſſe: ſi rectè intellego Capitolini hæc verba, *Ob hanc coniunctionem pueros & puellas nouorum hominum frumentariæ perceptioni adſcribi præcepit.* Dubito, num ibi legendum, *pueros & puellas nouem annorum.* Moueor loco altero eiuſdem Capitolini, in Pertinace: *Alimentaria compendia, quæ nouem annorum ex inſtituto Traiani debebantur, obdurata verecũdia ſuſtulit.* Poteſt intellegi, fateor, deberi alimenta à nouem retrò annis: ſed blanditur mihi altera expoſitio, quæ firmari videtur Suetonij loco in Aug. cap. XLI. *Congiaria populo frequenter dedit: ac ne minores quidem pueros præteriit, quamuis non niſi ab vndecimo ætatis anno accipere conſueuiſſent.* Si annorum numerus definitus ad congiaria: quid ni ad frumenta? Et pono hoc tamen ambigens, non adfirmans. De numero, & iis qui acciperent, hactenus ſcio.

*Puerorum numerus.*

*Auxit Antoninus.*

*Ambigua Capitolini lectio.*

*Per quos distributũ id frumentum. Olim per Ædiles.*

Dicam nunc de iis qui diſtribuerunt. Lubricus locus, & quem velim percurſum ſine lapſu. Antiqua rep. diſtributio frumenti penes Ædiles: clarum ex locis Liuij qui ſuprà. Etiam cuſtodia. Liuius lib. XXXIII. *Sardiniam perdomitam nunciat Patribus: & ſtipendium Quæſtoribus, frumentum, AEdilibus, captiuos Fuluio Prætori tradidit.* Mutatum id videtur lege Gracchi: certè Clodij. argumẽto firmo ex lege quadam quam C. Curio propoſuit ſub bellum Cæſaris ciuile. Cælius in Epiſtola ad Ciceronem, *Legémque Viariam, non diſsimilem agrariæ Rulli, & Alimentariam, quas iubet AEdiles metiri, iactauit.* vbi ſcripſerim, *Vineariam*; vt lex Curionis ad diuiſionem vinearũ pertinuerit (quæ in Italia & Campania præſertim multæ) ſicut illa Rulli ad agrorum.

*Cælius correctus bis.*

*Lex vinaria.*

ſionem



Aliis placet, *Vinariam.* ſed quæ comparatio erit vini ad agros? & repugnat ipſa res, ſicut in viis. Lego etiam, *qua iubet AEdiles metiri.* Ecce. menſionem frumenti ad Ædiles reuocat lex Curionis: fruſtra, ſi Gracchi aut Clodij lege apud eos relicta. Verius eſt, per Tribunicias eas leges, rem ad Frumentarios tranſlatam, aut ad certos, quos elegiſſent, Curatores. At C. Cæſar potens rerum, Curionis legem veſtigiis perſecutus, ſupra legitimum numerum creauit Ædiles duos qui frumento præeſſent: quos ea re dixit, Cereales. Pomponius auctor, De origine iuris, & Dio lib. XLIII. Sed non diuturna iis hæc cura, ſucceſſitq; Præfectus annonæ. Eius origo non dubiè (vt ego quidem ſentio) anno vrbis DCCXXXII. M. Marcello & L. Arruntio Coſſ. Cùm enim tunc candefacta annona, & iam fames eſſet, plebs cùm XXIIII. faſcibus accurrit ad ædes Auguſti, & magna vi dictaturam obtulit, & exemplo Cn. Pompeij Præfecturam annonæ. Dictaturam ſpreuit: admiſit Præfecturam: & eo iure præditus, Duumuiros creari iuſſit ex iis qui Prætura ante quinquennium functi, quorum eſſet diuiſio & diſtributio annonæ. Dio Caſſius libro LIIII. initio, Καὶ Αὔγουστος τοῦτο μὲν (intellege ἐπιμέλειαν τοῦ σίτου) ἀναγκαίως ἐδέξατο, καὶ ἐκέλευσε δύο ἄνδρας τῶν πρὸ πέντε που ἐτῶν ἐστρατηγηκότων πρὸς τὴν τοῦ σίτου διανομὴν κατ' ἔτος αἱρεῖσθαι. Ita eodem anno inſtituta etiam Cura frumenti diuidendi. Intellegi hoc nouum munus Suetonius voluit, in Aug. cap. XXXVII. *Quò plures partẽ adminiſtrandæ reip. capeſſerent, noua officia excogitauit, Curam operum publicorum: Viarum: Aquarum & aluei Tiberis: Frumenti populo diuidendi.* Nec aliud ſenſit in Tiberio, cap. VIII. *Interq; hæc duplicem curam adminiſtrauit, Annonæ, quæ arctior inciderat: & repurgandorum tota Italia ergaſtulorum.* niſi tamen, abdicante Auguſto, Præfectum fuiſſe volumus Tiberium.

*Initium Præfecti annonæ.*

*Duo Curatores annonæ diuidendæ.*

*Coniectura in Suetonio.*

Sæpe etiam in lapidibus inciſum, CVRATOR. ANNONÆ. His lictores & accenſi, & imago magiſtratus fuit: ex Frontino, De Aquæductib. lib. II. *Lictores binos, & ſeruos publicos, & ſcribas, & librarios, accenſos præconéſque totidem habeant, quot ij per quos frumentum plebei datur.* Manſit id munus ad extrema tempora, numero tamen ab Auguſto aucto. Quadriennio enim pòſt, cùm duo non viderentur huic functioni pares, Quatuoruiros ſorte eligi iuſſit ex iis qui ante triennium Prætores: eoſq; ordine præeſſe voluit frumento publicè diuidendo. Vide, ſi lubet, Dionem eodem libro LIIII. Hæc origo Præfecti annonæ, hæc Curatorum. Et exemplum quidem ab antiquis. apud quos L. Minutius, & Cn. Pompeius eo titulo ac magiſtratu: ſed hoc interfuit, quòd illis extra ordinem & ad breue tempus data ea dignitas; quæ ab Auguſto ordinaria facta & perpes. Succeſſit, vt opinor, Auguſto C. Turranius: de quo ſic Tacitus lib. I. Annalium: *Sex. Pompeius & Sex. Appuleius Conſules primi in verba Tiberij Cæſaris iurauere: apudq; eos Seius Strabo, & C. Turranius, ille Prætoriarum cohortium præfectus, hic Annonæ.* Ex quibus verbis, & ex ordine iurandi ſatis clarum, inter primas fuiſſe eam dignitatem. Caſſiodorus ſanè eam proximam facit à præfectura vrbis. Sed euiluit tamen poſteà: & ſcribit ecce Boëthus lib. III. De Conſolat. *Siquis quondam populi curaſſet annonam,*

*Quatuor facti Curatores, & plures.*

*Præfectura annonæ ſumpta ab antiquis.*

*Eius dignitas.*

*Poſteà vilitas.*



*magnus*

*Et munera.* *magnus habebatur: nunc ea Præfectura quid abiectius?* Munera Præfecti annonæ Caſſiodorus explicat lib. VI. Variar. & Seneca De Breuitate vitæ, cap. XVIII. & XIX. eleganter. Alloquitur Paulinum, qui Præfectus Annonæ (etſi ambigua ea hiſtoria) ſub Claudio: *Tu quidem*, inquit, *orbis terrarũ rationes adminiſtras, tam abſtinenter quàm alienas, tam diligenter quàm tuas, ſed tamen, mihi crede, ſatius eſt vitæ ſuæ rationem, quàm frumenti publici noſſe.* Et ſtatim, *Simile tu putas eſſe, vtrum cures vt incorruptum à fraude aduehentium & negligentia frumentum transfundatur in horrea, ne concepto humore vitietur, & concaleſcat, vt ad menſuram pondusq́; reſpondeat: an ad hæc ſacra & ſublimia accedas, &c.* Alterutrum ſanè eſt, aut Præfectus frumenti hic Paulinus fuit, aut Curator.

*Paulinus, præf. annonæ.*

*Quomodo diſtribuerint.* *Teſſeræ frumentariæ.*

Diſtribuebant igitur Curatores. Ratio diſtribuendi per teſſeras erat. Non enim frumentum ipſum à Curatoribus, (vile id & magnarũ moleſtiarum munus fuiſſet) ſed teſſeras frumentarias ſiue ſymbola quędam in ligno aut plumbo capiebant: quibus acceptis, ire iis licebat ad horrea publica petitum frumentum. Et de ligno quidem in Teſſeris ludorum palàm eſt in Dione bis terque: de plumbo aut alio metallo cur non liceat ſuſpicari? Certè lex quinta Cod. Theodoſ. de *Annonis Ciuicis* oſtendit & ex ære fuiſſe. Atque iſtæ Teſſeræ: quas, ſi frumenti non egerent, aut aliâ de cauſſâ, vendebant. Iuuenalis,

*Summula ne pereat, qua vilis teſſera vênit*
*Frumenti.*

De hiſdem teſſeris, aliquot locis Iuriſconſulti: vt Vlpianus, *Si libertis ſuis teſſeras frumentarias emi voluerit teſtator: apparet ex genere comparationis Romæ id fideicommiſſum præſtandum.* Et Paullus, *Si Titio teſſera frumentaria legata ſit.* Neſcio an has teſſeras ſoliti accipere ad Minutiam frumentariam. Veriſimile quidem eſt certum ei rei deſignatum locum: & de Minutia, ſuſpicandi auctor nobis Appuleius, libello De mundo: *Alius ad* Minutiam frumentatum venit, & aliis in iudiciis dicitur dies. Reus ita purgandi ſe neceſſitate, vt ſectandi ſtudio accuſatur. Venit ille moriturus, ad ſupplicij locum ducitur: hic ad conuiuij repotia veſpertinus commiſſator aduentat.* quem emendo, *Reus ita purgandi ſe neceſſitate, vt ſectandi ſtudio accuſator venit. Ille moriturus ad ſ. l. ducitur.* Sanè cognomen ipſum indicat, eò loci aliquid fuiſſe frumentariæ rei. Nam duplex Minutia, ſiue Minitia (anceps enim in libris ſcriptura eſt) nominatur Victori & Sex. Rufo: Minutia vetus, & Minutia frumentaria, vtraque regione IX. vrbis ad Circum Flaminium. Lampridius etiam in Commodo, *Herculis ſignum æneum in Minutia per dies plures ſudauit.* Nomen ei videtur ſiue à Minutio primo Frumẽtariæ rei Præfecto, ſiue à Deo Minutio cuius inibi ara. de qua vide Feſtum. Lego & in lapidibus priſcis, CVRATOR. AQVARVM. ET. MINICIAE. TIBERIS: nec ſatis intellego quid velint. Hoc de loco.

*Locus, vbi ceperint.* *Minutia frumẽtaria* *Piſcina ibi publica & ſcorta. vide Socr. Eccleſ. Hiſt. V. c. XVIII. *Appuleius correctus.*

*Quãdo diſtribuerint.* *Nonis cuiuſque menſis.* *Suidæ ridiculum acumen.*

Tempus diſtribuendi eas teſſeras, principium cuiuſque menſis. Iam inde à Graccho, vt opinor. quia largitio eius menſtrua fuit; & Appianus diſertè ait, definiiſſe cum σιτηρέσιον ἔμμηνον. Ex Suida colligimus ſolitum id fieri ſub ipſas Nonas. Satis enim putidè Annonas deriuat à Nonis, ὡς ἀνὰ τὰς Νόνας, inquit, διδομένας. Mutare eam conſuetudinem tentauit Augu-



Auguſtus, ſed deſtitit propter aduerſam populi voluntatem. Sueton. cap. XL. *Ac ne plebs frumentationum cauſſa frequentius à negotiis auocaretur, ter in annum, quaternûm menſium teſſeras dare deſtinauit: ſed deſideranti conſuetudinem veterem conceſſit rurſus vt ſui cuiuſque menſis acciperet.* Locum dixi & Tempus: vellem poſſem Modum. qui non in Græca, non in Latina hiſtoria, vſquam expreſſus. Si coniecturis agendum ſit: crediderim, vt minimum, ſex modios ſiue medimnum Atticum accepiſſe eos in menſem. Quidni credam? Tribunus certè apud Salluſtium optimates criminatur propter exilem largitionem modiorum quinque. Amplius ergo aliquid. Obiici mihi menſtruum militis poteſt: quod non plus quatuor modiis fuiſſe videtur, Polybij quidem ætate. Eſto. quis præſtat, non id poſtea, ſicut ſtipendium ipſum, auctum? Denique quid pagano, cum milite? Quatuor modij ſatis militi, qui ſolus, non circumducta vxore aut liberis: quomodo ſatis proletario ciui, cui eo frumento paſcenda domus tota? In Suetonij Iulio lego, cap. XXXVIII. populo diuiſiſſe eum frumenti denos modios, & totidem olei libras. Ego valdè vereor, ne ea menſtrua largitio, ſed extra ordinẽ fuerit. In lapide illo qui Ancyræ, gloriatur Auguſtus his verbis, CONSVL. VNDECIMVM. DVODECIM. FRVMENTATIONES. FRVMENTO. PRIVATIM. COLVMPIO. EMENSVS. SVM. Res facta eſſet, ſi expreſſiſſet frumentationis modum. non fecit, quia notus. In lapide illo exſcribendo, vt pluriens, aberratum: & lego, FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO.

*Quantũ diſtribuerint.* *Coniectura anceps de modo.* *Militis menſtruum quantum.*

Teſſeris acceptis dixi itauiſſe eos ad horrea: & verum eſt. Nam Romæ horrea, ad capiendum frumentum publicum, in quaque regione vrbis complura. Numerum ex P. Victore iniui ad Trecenta & nouem. Cognomina etiam pleriſque addita ab auctore, *Horrea Aniceti, Varguntei, Galbiana, Domitiani Auguſti, Seiani:* quæ & in Deſcriptione vrbis reperies, & in ſpectionibus antiquis. Frumenta hic repoſita, poſterior ætas ἁπλῶς dixit, Condita. Titulus eſt lib. X. Codicis, *De conditis in publicis horreis.* Ibidem Valentinianus Imp. *Non prius ad id frumentum extendatur expenſio, quod ſub Præfectura tua Vrbis horreis infertur, quàm vetera condita fuerint erogata.* Corrige Spartianum ea voce, in Hadriano, *Laborabat præterea vt condita militaria diligenter cognoſceret.* vulgo, *condicta*, & interpres ibi Egnatius, verè dicam, blattit nugas. Condita enim militum, in horreis prouincialibus: vt ciuium, in vrbis. His horreis appoſiti Frumentarij menſores, qui populo admetiebantur: ſic tamen, vt quiſque, opinor, ad horrea iret ſuæ regionis. Lucilius,

*Horrea publica Romæ.* *Condita, quid.* *Correctus Spartianus.* *Frumentarij.*

*Frumentarius eſt, modium hic ſecum atque rutellum*
*Vnum habet.*

Paullus De Excuſat. tutorum, ait, *Frumentarios menſores excuſari à tutela, idq́; Præfecto annonæ Imperatores reſcripſiſſe.* Frumentarij alia etiam ſignificatio fuit; & ſic dicti, qui vltrò citrò curſitabant per prouincias, per domos, ad frumenta conquirenda conuehendaq́;. Græci eos Πυροφόρους dixerunt, Latini alio nomine, Agentes in rebus. Adi de iis Turnebum lib. XIII. & Cuiacij ad Codicem Notas.

*Panis diſtributio loco frumēti.*
*Quando eius initiū.*

Et olim quidem frumentum ipſum datum ciuibus: poſtea cœpit panis. credo, quia id commodius viſum in egenam plebem: quæ hac ratione operas & impenſas piſtorias faciebat lucri. Quando cœperit, non diſertè ſcio: ſuſpicor, in imperio Traiani. Præeunt mihi ad coniecturam verba Aurelij Victoris hæc, *Romæ à Domitiano cœpta fora, atque alia multa, magnificè coluit ornauítque. & annonæ perpetuæ mirè conſultum, reperto firmatóque Piſtorum collegio.* Si collegium piſtorum à Traiano, ad commodandum annonæ: ergo & panis. Iuuat aliquantum & Iuuenalis, qui illi ætati compar:

*Vide de piſtoribus Cuiaciū ad lib. XI. Cod.*

*—— atque duas tantùm res anxius optat*
*Panem & Circenſes.*

nominat enim ecce, panem. In Epiſtola Aureliani Imp. ad Præfectum annonæ ſcriptum eſt, *Inter cetera, quibus, dis fauentibus, Romanam rem iuuimus, nihil mihi eſt magnificentius, quàm quòd additamento vnciæ omne annonarum vrbicarum genus iuui.* Et in eius vita, *Panibus vrbis Romæ vnciam de AEgyptio vectigali auxit.* Zoſimus de hoc ipſo: *Præter hæc & panum honorario munere populum Rom. donauit.* Caſſiodorus lib. VI. Variar. in Formula Præfecti annonæ, ſolum panem agnoſcit. *Tui ſiquidem ſtudij eſt,* inquit, *vt ſacratiſſimæ vrbi præparetur annona, vbique redundet panis copia, & tam magnus populus tamquam vna menſa ſatietur. Per officinas piſtorum ciboſq; diſcurris, penſum & munditiā panis exigis: nec vile iudicas, vnde te poſſit Roma laudare.* Hic panis, qui vicarius frumenti, diſtribui in gradibus ſolitus: vnde panis gradilis dictus. Titulus eſt lib. XIV. Codicis Theodoſiani, *De annonis ciuicis & pane gradili.* ſed ſcio quàm id ſequius interpretati magni viri. Prudentius lib. I. contra Symmachum:

*Vbi diſtribui ſolitus hic panis.*
*Panis gradilis vnde dictus.*

*Omnis qui celſa ſcandit cœnacula vulgus,*
*Quiq; terit ſilicem variis diſcurſibus atram,*
** Et quem panis alit gradibus diſpenſus ab altis.*

*Adde Caſſiodor. lib. IX. Variar. epiſt. V.

A tribus notis deſcribit humilem plebem, quòd in alto habitaret. quod pedibus incederet, non lectica ferretur; quòd aleretur publico pane gradili. Idem Poëta:

*Quis venit eſuriens magni ad ſpectacula Circi?*
*Quæ regio gradibus vacuis ieiunia dira*
*Suſtinet? aut quæ * Ianiculo mola nota quieſcit?*

*Procopius lib. I. De bello Goth. notat omnes molas ad Ianiculi radices in Tiberi fuiſſe.

*Congiaria in gradib.*

Vnde amplius diſco, videri in ſingulis regionibus vrbis (XIV. fuerunt) gradus erectos fuiſſe vbi hęc diuiſio. Nec ſcio tamen an in gradibus ipſius Palatij. In Suida enim lego genus panum, Palatinos ab hac cauſſa dictos. Παλάτινοι, inquit, εἶδος ἄρτων. οὓς ἐφιλιτιμήσατο τῷ δήμῳ Κωνσταντῖνος ὁ μέγας καθ᾽ ὃν ὑπάτευε χρόνον, οὕτως ὀνομάσας αὐτούς, οἷα ἐκ τοῦ παλλατίου χορηγουμένους. Siue etiam in aliis: quia omnia congiaria & donatiua ſic dari ſolita, vt videmus in Nummis. Res ipſa id ſuadebat, vt ſcilicet in loco altiori exempti & ſecreti diſtributores eſſent à premente turba. Neſcio an huius ſententiæ ſit, quod Romæ legi in marmore, hortis Medicæis,

COLLEGIO. DENDROPHOR.
ROMANOR. QVIBVS. EX
S. C. COIRE. LICET. ARGEN

T. I.



TI. P. X. ET. HS. X̄. MILIA. N̄.
REDDEDIT.
QVAE. DIVISA. SVNT. POPVLO. PER. GRADVS
KAL. AVG. N. COLLEGI.

*Vnde aduehi ſolitum id frumentum.*

Dixi omnia, quæ ad diſtributionem. quæres non immeritò, vnde hæc tanta his frumenti? Dico, è prouinciis, è Sicilia, Sardinia; & præſertim Africa atque Ægypto, quæ bina horrea populi Romani. Tacitus lib. XII. Annalium, *At herculè olim ex Italiæ regionibus longinquas in prouincias commeatus portabant: nec nunc infecunditate laboratur, ſed Africam potius & AEgyptum exercemus, nauibuſq; & caſibus vita populi Rom. permiſſa eſt.* Eleganter Varro, lib. II. De R. R. * *Igitur quod nunc intra murum ferè patres familiæ correpſerūt, & manus mouere maluerunt in theatro ac circo, quàm in ſegetibus ac vinetis: frumentum locamus qui nobis aduehat, qui ſaturi fiamus ex Africa & Sardinia, & nauibus vindemiam condimus ex inſula Coa & Chia.* Ægyptum tacuit Varro, quia tunc nondum in prouinciam redacta. At tributaria illa facta ab Auguſto: vnicum fuit ſubſidium habitum annonæ. Plinius in Panegyrico: *Percrebuerat antiquitùs vrbem noſtram niſi opibus AEgypti ali ſuſtentariq; non poſſe: ſuperbiebat ventoſa & inſolens natio, quòd victorem quidem populum paſceret tamen quodq; in ſuo flumine, in ſuis manibus vel abundātia noſtra, vel fames eſſet. Refudimus Nilo copias ſuas, recepit frumenta quæ miſerat, deportataſq; meſſes reuexit. Diſcat igitur AEgyptus, credatq; experimento, non alimento ſe nobis, ſed tributa præſtare.* Ideo claſſis Alexandrina, vt exiſtimo, inſtituta ab ipſo Auguſto, quæ quotannis aduheret frumentum. De ea claſſe, præter alios, Seneca Epiſtola LXXVIII. *Subitò nobis hodie Alexandrinæ naues apparuerunt, quæ præmitti ſolent, & nunciare ſecuturæ claſſis aduentum. tabellarias vocant. Gratus illarum Campaniæ adſpectus eſt. Omnis in pilis Puteolorum turba conſiſtit, & ex ipſo genere velorum, Alexandrinas, quamuis in magna turba nauium intellegit: Solis enim licet ſupparum intendere, quod in alto omnes habent naues. Cùm intrauere Capreas, & promontorium ex quo*

*Simillima querela Columellæ lib. I. Præfat.

*Ægyptus tributaria facta, damnata in magnum numerum frumenti.*

*Claſſis Alexandrina ab Auguſto, argumento cap. XCIX. in Suetonij Aug. vide.*

*Alta procelloſo ſpeculatur vertice Pallas:*

*ceteræ velo iubentur eſſe contentæ, ſupparum Alexandrinarum inſigne* [indicium] eſt.* Et ſatis indicat Puteolos ſolere appellere: ſicut & Statius in Propemptico Metij Celeris,

**Gloſſema. & ideo tolle.*

*—— modò nam, trans æquora, terris*
*Prima Dicarchæis Pharium grauis attulit annum.*
*Prima ſalutauit Capreas, & margine dextro*
*Sparſit Thyrrenæ Mareotica vina Mineruæ.*

Hæc claſſis ſeruiit poſteà Byzantio: relicta Romanis ſola Africana. Apud Claudianum De bello Gildonis, Roma ipſa facundè ſic queritur:

*Tot mihi pro meritis Libyam Nilumq; dedêre:*
*Vt dominam plebem bellatoremq; Senatum*
*Claſſibus æſtiuis alerent, geminoq; viciſſim*
*Litore diuerſi complerent horrea venti.*
*Stabat certa ſalus; Memphis ſi fortè negaret,*



Penſa-

*Penſabam Pharium Gætulis meßibus annum.*
*Frugiferas certare rates, lateq́; videbam*
*Punica Niliacis concurrere carbaſa velis.*
*Cùm ſubitò par Roma mihi, diuiſaq́; ſumpſit*
*AEquales Aurora togas. AEgyptia rura*
*In partem ceſſere nouam: ſpes vnica nobis*
*Reſtabat Libyæ.*

*Diuiſio frumenti facta inter Romanos et Byzãtinos. A Conſtantino Magno*

Quæ diuiſio indubiè inſtituta ab ipſo Conſtantino cùm imperiũ transferret. Zoſimus libro II. *A bellorum curis vacuus, populo publicam annonam diſtribuit, quam & ad hoc æui ſemper habuit.* Sed vicem tamen detractæ Ægypti ſuppleſſe Macedonia ſæpe videtur, vt colligo ex Symmachi Epiſtola LV. libri III. *Ager qui me tenet Tiberim noſtrum iuncto aquis latere proſpectat. Hinc libens video quid æternæ vrbi indies frugis accedat, quid Romanis horreis Macedonicus adiiciat commeatus.* Et de modo quidem frumenti, qui ex Ægypto tempore Auguſti, Aurelius Victor mihi ſuggerit in Principis eius vita: *Huius tempore*, inquit, *ex AEgypto, vrbi annua ducenties centena millia frumenti inferebantur:* vbi vox vel littera potius M. inſerenda, quæ Modium notet. Etiam de Africano, Plutarchus in Cæſare, Ἀλλὰ γὰρ ὡς ἐπανῆλθεν εἰς Ῥώμην ἀπὸ Λιβύης, πρῶτον μὲν ὑπὲρ τῆς νίκης ἐμεγαληγόρησεν πρὸς τὸν δῆμον, ὡς τοσαύτην κεχειρωμένος χώραν, ὅση παρέξει καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν εἰς τὸ δημόσιον, σίτου μὲν εἴκοσι μυριάδας ἀττικῶν μεδίμνων, ἐλαίου δὲ λιτρῶν μυριάδας τριακοσίας. Frumenta tamen ea, claſſem propriam non habebant: primus inſtituit Commodus. Lampridius, *Claſſem Africanam inſtituit, quæ ſubſidio eſſet, ſi fortè Alexandrina frumenta ceſſaſſent.* Nec verò ſolùm è tributis hæc frumenta; ſed ſi ſterilitas alibi aut grauior annus, reſp. emebat. Nũmi argentei ſunt Piſonis & Cœpionis, in quibus cernuntur duo viri inter ſpicas ſedentes, cum inſcriptione, AD FRV. EMV. EX. S C. Plinius in Panegyrico: *Deuehunt ipſi quod terra genuit, quod ſidus aluit, quod annus tulit, nec nouis indictionibus preßi ad vetera tributa deficiunt. Emit fiſcus quidquid videtur emere; inde copiæ, inde annona, de qua inter licentem vendentemq́; conueniat.* In Auguſti lapide ſuprà, FRVMENTO. PRIVATIM. COEMPTO.

*Ægyptij frumenti modus.*

*Africani modus.*

*Id eſt, frumenti CC. M. medimnũm: olei, tricies centena millia librarum.*

*Claſſis Africana.*

*Emi ſolet à rep. frumentum.*

*Vniuerſa frumentatio quot modiorum.*

E prouinciis ergo id frumentum. Sed modus vniuerſæ huius largitionis quis fuit? Videor ſanè eum colligere poſſe ex verbis Spartiani in Seuero, *Moriens ſeptem annorum canonem, ita vt cottidiana* LXXV. *millia modiorum expendi poſſent, reliquit.* Cottidiana, ait, LXXV. millia modiorum. Quid dicam? immenſum, incredibile: & qui non ſtupeat ad has opes populi Romani, ipſe ſtipes. Et tamen variè Canon is poſtea auctus. Canonem autem poſterior ætas dixit, certum eum numerum frumenti qui in vna aliqua vrbe quotannis abſumeretur. Ita Canon Alexandrinus, Canon vrbis Romæ, vrbis Conſtantinopolitanæ, paſſim apud hiſtoricos inferioris æui, & iuriſconſultos.

*Canõ, quis.*

*Oleũ etiam ciuib. datũ.*

Nec verò frumentum ſolum gratuitum ciuibus fuit, ſed etiam oleum & caro. Olei creber vſus Romæ, propter balnea cottidiana: ideo largitio ea antiqua. Liuius lib. XXV. ait Scipionem, cui pòſt Africano cognomen fuit, *cùm AEdilis eſſet, congium olei in vicos ſingulos dediſſe.* Suetonius, Cæſa-



Cæſarem, poſt Africanam victoriam, in capita denas olei libras. Dio libro XLIX. M. Agrippam in Ædilitate ſalem & oleum in populum diſtribuiſſe. Vt iure mirer, cur quaſi rem nouam in Nerone narret id Tacitus, lib. XIIII. *Gymnaſium eo anno publicatum, præbitumq́; oleum equiti ac Senatui, Græca facilitate.* ſed dicam ibi. Quis perpetuum oleum illud fecerit, non inueni. puto non vanè Seuerum Imp. Lampridius in Alexandro, *Oleum quod Seuerus populo dederat, quodq́; Elagabalus imminuerat, turpißimis hominibus Præfecturam annonæ dando, in integrum reſtituit.* Spartianus in Seuero, *Olei tantum reliquit, vt per quinquennium non ſolùm vrbis vſibus, ſed totius Italiæ, quæ oleo egeret, ſufficeret.* Carnis diuidundæ principium ab Aureliano. Flauius Vopiſcus in eius vita, *Idem & carnem porcinam populo Rom. diſtribuit, quæ hodieq́; diuiditur.* Ideo Suarij ſubiiciuntur Præfecto annonæ apud Caſſiodorum: *Suarij quoque*, inquit, *Romanæ copiæ cauſſa reperti, tuo deputati videntur examini.* quorum mentio in lapidibus vrbis, & Cod. lib. XI. Imò & vinum idem Aurelianus dare conceperat. *Statuerat*, inquit Vopiſcus, *& vinum populo gratuitum dare, vt quemadmodum oleum, panis, & porcina gratuita præberentur, ſic etiam vinum.* En, quò largitio.

*Quando id cœperit.*

*Caro porcina item diuiſa. Suarij.*

Non ergo mirum ſi multi appeterent ciuitatem Romanam; & ſi inter cauſſas frequentatæ vrbis Appianus poſuit τὸ σιτηρέσιον ἐν μόνῃ τῇ Ῥώμῃ τοῖς πένησι χορηγούμενον: (nam his quidem inuitamentis facile ſit frequentare vel Libyæ deſerta:) tamen diſplicita omnis hæc largitio graui auctori Salluſtio, cuius, De Rep. ordinanda, præceptum ad Cæſarem exſtat: *Igitur prouideas oportet, vt plebs largitionibus & publico frumento corrupta habeat negotia ſua, quibus ab malo publico detineatur.* etiam Auguſto ipſi, qui aliquotiens cogitauit de tollenda, ſi fides Suetonio cap. XLII. *Vt tandem annona conualuit, impetum cepiſſe ſe ſcribit, frumentationes publicas in perpetuum abolendi, quòd earum fiducia cultura agrorum ceſſaret: neque tamen perſeueraſſe, quia certum haberet, poſſe per ambitionem quandoque reſtitui.* Nec plura ad hunc morem. in quo ſi quid bene & non è triuio ſumptum dixi; gratia aliqua eſto: ſi quid aliter, & ſi peccaui; quod olim Lentulus, præbeo ſuram.

*Cur frequentata Roma.*

*Salluſtij de his annonis iudicium.*

## CAPVT IX.

*E Statij Papinij Siluis decermina. Sacerdotes Salij repoſiti. Statuæ in honorem Cæſaris ex teſtamento.*

DIVERTI nuper, laxandi animi cauſſa, ad Statij Papinij Siluas: & eas lentè perambulans decerpſi has quaſi ἐπιφυλλίδας. Libro V. Epicedio in patrem:

*Mox & Romuleam ſtirpem, proceréſque futuros*
*Inſtruis, inque patrum veſtigia ducere pergis.*
*Sub te Dardanius facis explorator opertæ,*
*Qui Diomedæi celat penetralia furti,*
*Creuit, & inde ſacrum didicit puer arma probare,*
*Monſtratis alis, præſagúmque æthera certis*

Augu-

*Auguriis, cui Chalcidicum fas voluere carmen,*
*Lanea cui Phrygij coma flaminis, & tua multum*
*Verbera ſuccincti formidauere Luperci.*

Egregius & è media antiquitate locus: ſed partim confuſus turpiter, partim corruptus. Emendo,

*Creuit, & inde ſacrum didicit puer. arma probare*
*Monſtraſti Saliis.* Clara correctio. Laſciuit ſcilicet in laudes ſui patris Statius. Et è tuo, inquit, ſinu Romani proceres prodierunt, rei diuinæ periti & humanæ. Tu Pontificem, cui cura & magiſterium Veſtalium, docuiſti ſuos ritus: tu Salios, tu Quindecimuiros, tu Flamines & Lupercos. Hos enim omnes ſacerdotes verſibus aliquot περιφράζεται: qui non obſcuri deinceps ex vna hac nota. Ibidem,

Sacerdotes Salij.

*Protinus ad patrij raperis certamina luſtri,*
*Vix implenda viris, laudum feſtina: ſed vt dux*
*Ingenij ſtupuit, primæua ad carmina plebes*
*Eubœa, & natis te monſtrauere parentes.*

Qui ſententiam videt, facilè ſequetur me emendantem,

Poëticæ phraſes, Feſtinus laudum, & Audax ingenij.

*—— laudum feſtinus, & audax*
*Ingenij. ſtupuit primæua ad carmina plebes.* Eodem libro, carmine cui index, Abaſcantij pietas, *—tu limite cœpto*
*Tende libens, ſacrumq́ latus geniumq́ potentem*
*Irrequietus ama, nunc quod cupis ipſe videri,*
*De Capitolinis æternum ſedibus aurum.*
*Quo niteat ſacri centeno pondere vultus*
*Cæſaris, & propriæ ſignet cultricis amorem.*

Verba ſunt Priſcillæ morientis: ſed reuera, vt nunc leguntur, gloſſaria mortualia, ſine mente, ſine ſenſu. Corrigo,

*Irrequietus ama. nunc quod cupis ipſe iuberi,*
*Da Capitolinis æternum ſedibus aurum,*
*Quo niteant ſ.* Res vera eſt, quam tangit poëta, & viſum illi innectere carmini ſuo partem teſtamenti Priſcillæ. Damnauerat enim moriens maritum, vt ſtatuam Cæſaris in Capitolio collocandam curaret ex auri pondo centum. Mos ſiue adulatio illa ætate ſatis frequens. Lapis in Hiſpaniis, Coloniæ Aug. Gemellæ:

Mos ponēdi ſtatuas, ex teſtamēto.

PIETATI. AVG.
L. LVCRETIVS. FVLVIANVS. FLAMEN
COL. IMMVNIVM. PROVINTIAE
BAETIC. PONTIF. PERPETVVS
DOMVS. AVG. T. P. I. EX. ARG. P.

Id eſt, Teſtamento poni iuſſit ex argenti pondo. Numerus deeſt. Alius in eadem prouincia lapis:

P. NVMERIVS. MARTIALIS. ASTIGITANVS
SEVIRALIS. SIGNVM. PANTHEI. TESTAMENTO
FIERI. PONIQVE. EX. ARGENTI. LIBRIS. C.
SINE. VLLA. DEDVCTIONE. IVSSIT.

Quas



Quas inſcriptiones, cum pluribus aliis, acceptas fero à ſe & à maioribus nobiliſſimo viro, Augerio Busbekio, Cæſaris apud Gallorum r. gem legato. cuius eximias laudes ne vt attingam quidem, fiducia mihi eſt in hoc loco.

## CAP. X.

*Correctiones aliquot in Seneca. Elogium eius de Publij verſu emendatum. gloſſema ſublatum. alia quædam notæ melioris.*

De Seneca philoſopho diuerſi plerique abeunt ab arbitrio, quod, verè dicam, parum candidum eſt in Noctium ſcriptore. Et hercle meum iudicium ſit; auſim dicere ad formulam priſcam, Bene appellatum, malè iudicatum. Placet legitimis Cenſoribus ille vir. nec rebus ſolùm, (cui enim non, ſi placet ipſa virtus?) ſed phraſi & genere dicendi. Quod aliud, ab optimo eſſe, non infiteor: cui tamen ſua Venus ſit, vel acumine ſententiarum, vel frequentia & breuitate. In eo genere quia multa hodie non ſana: quædam hoc capite

De Seneca Agellius falsò iudex.

*Sanatum iri, mea ego id promitto fide.*

Fide paullò meliori, quàm in illo medico Plautino.

De Conſolatione ad Martiam cap. IX.

*Quidquam tu putas non futurum, quod multis ſcis poſſe fieri? quod multis vides eueniſſe? Egregium verſum & dignum audiui, eſt enim è populo:*
*Cuiuis poteſt accidere, quod cuiquam poteſt.*

Publij Mimographi verſus eſt. ſed corruptum de illo Senecæ elogium. Et ſanè nimium diuerſa librorum vett. lectio, *& dignum audiui qui non è populo heri & cuiuis poteſt accidere.* Emendo, *& dignum audiui, qui non in populo periret: Cuiuis poteſt accidere.* Vera coniectura, & quam non recuſo exigi ad obruſſam. Dolet videlicet Senecæ egregium verſum & ex intima philoſophia, perire in theatris inter plauſus & adclamationes vulgi, dignum ſcholis & aure ſeueriori. Vide non abſ[illegible]m locum eiuſdem Senecæ, De Tranq. vitæ, cap. XI. At Pincianus appoſuerat iis verbis hanc notam: *Deprauatiſſimus locus, ſi quis in toto opere, non tantùm verbis vitiatis, ſed ordine etiam inuerſo.* Legit deinde, *Egregium verſum audi, & dignum qui non eſſet Publij Syri: Et cuiuis poteſt.* coniectura audaciori, non prorſus tamen ſpernenda.

Is emendatus.

Pinciani coniectura non ſpreta.

Eodem libro, cap. XII.

*Vtrùmne malles degenerem aliquem & numerum tantum nomenq́ filij expleturum habuiſſe: an tantæ indolis, quantæ tuus fuit? Iuuenis citò prudens, citò pius, citò maritus, citò pater, citò omnis officij curioſus, citò ſacerdos, omnia tam præpropera.*

Non concoquo illa verba, *citò omnis officij curioſus*: & audeo adfirmare eſſe à mala manu. Scalpellum adhibeo, & lego: *citò pater, citò Curio, citò ſacerdos.* Curio maximus inter ſacerdotes, & ſuffragiis populi legebatur: eiuſque rei frequens mentio apud Liuium. præerat reliquis curionibus, qui totidem numero, quot curiæ erāt. Hoc ſacerdotium credo equidem conſecutum Martiæ filium; & faciunt verba quæ infrà, cap. XXIIII.

Curiones, qui.



Hac

*Hac ſanctitate morum effecit, vt puer admodum dignus ſacerdotio videretur, materna ſine dubio ſuffragatione: ſed ne mater quidem niſi pro bono candidato valuiſſet.* Verba illa inepta intruſa in Senecam miremur? Non ego. qui ſcio plura eiuſmodi emblemata addita ſcriptori huic à grege ſacro. Alioqui, quid eſt officij alicuius eſſe curioſum? Sanè, vt phraſim condonem, conſtat ex hoc ipſo ſcripto planè adoleſcentem mortuum hunc Cremutij nepotem, nec ad aliud munus publicum admotum. De Beneficiis lib. II. cap. XII. cùm narrat factum Caligulæ, qui Pompeio Pœno (malim ſcribi, *Penno*) oſculandum ſiniſtrum pedem dedit:

*Examinata Seneca verba.*

> *Parum iudicauit, ſi Senator ſenex, ſubmiſſis honoribus* (lego, *ſummis honoribus*) *in conſpectu principum ſupplex ſibi eo more iacuiſſet, quo victi hoſtes victoribus iacuere. inuenit aliquid infra genua, quò libertatem detruderet. Non hoc eſt remp. calcare? Equidem dicit aliquis: Non poteſt ad rem pertinere, ſiniſtro pede. Parum enim fœdè furioſéque inſolens fuerat, qui de capite conſularis viri ſoccatus audiebat, niſi in os ſenatoris ingeſſiſſet Imperator pigros ſuos.*

Cedò, quis Palæmon hæc capiet? Sed acutam ſententiam vera emendatione eruo ego, *Non hoc eſt remp. calcare, & quidem (licet aliquis non putet ad rem pertinere) ſiniſtro pede?* Argutatur non inſolens. Non ſolùm, inquit, pedem oſculandum præbuit, ſed quod fœdius, ſiniſtrum. Ex *dicit*, feci, *licet*, non abnuentibus aliquot libris, qui *litiget*, & *licitet*, referunt: & pro *poteſt*, ſcripſi, *putet*.

*Acuta ſententia repoſita.*

De Beneficiis lib. I. cap. XIIII.

> *Nemo ſe ſtabularij aut cauponis hoſpitem iudicat, aut conuiuam dantis epulum: vbi dici poteſt, Quid enim in me contulit? Nempe hoc quod in illum & vix bene notum ſibi, quòd in illum etiam inimicum & turpiſſimum hominem. Nunquid enim me dignum iudicauit? Morbo ſuo morem geſſit.*

Quare hîc de morbo? Non paullò melius & acutius legeris, *Moribus morem geſſit.* atque ita ſpondeo Senecam ſcripſiſſe. Malim etiam ſcribi, *in illum etiam* [illegible]*micum*, non *inimicum*.

*Duplex correctio.*

Conſolatione ad Martiam cap. III.

> *Illum ipſum iuuenẽ digniſſimũ quiete, ſemper nominãs cogitanſq́; facies, meliore pones loco, ſi matri ſuæ qualis viuus ſolebat hilaris & cũ gaudio occurrit.*

Excidit vox, quam repono: *digniſſimum quiete, quietum ſemper nominans cogitanſq́; facies.* Summa votorum apud manes (loquor ad morem Rom.) vt quieti eſſent, & ne quis ſe ſolicitaret. Eam opinionem vulgi, ad conſolandam Martiam aptans Seneca: id, inquit, futurum filio tuo eſt, ſi placata tu & quieta memoriam eius & nomen conſerues. In fine etiam ſcribo, *hilari: &, occurret.*

*Vota manium.*

In Conſolatione ad Polybium, cap. XXXI.

> *Rectorem Romano imperio filium longa fide approbet, & ante illum conſortem patris quàm ſucceſſorem accipiat.*

Inuoluta ſententia, quam verbi correctione euoluo, *ante illum conſortem pater, quàm ſucceſſorem accipiat.* Britannicus, inquit, Romanum imperium diu cum patre regat: & antè illum collegam pater accipiat, quàm ſucceſſorem. Poëtica adulatio.

*Correctus & explicatus Seneca.*

De



De Tranquillitate lib. I. cap. II.

> *Tarentum petatur laudatúſque portus, & hiberna cæli mitioris, & tecta vel antiquæ ſatis opulentæ turbæ.*

Vide totum locum, qui diſertè faſtidium illud exprimit ſe fugientium. Quæ adduxi, fœdè interpolata ſunt: in parte ſanare poſſum, *tecta Veliæ Antiíque.* Duo ea loca inter amœnos & ſalubres ſeceſſus habita. Reliqua ſanabit is cui ego do herbam.

*Velia, & Antium. Horat. Quæ ſit hiems Veliæ. de Antio frequens.*

Eodem libro, cap. XV.

> *Vt Socrates cogitur in carcere mori, Rutilius in exilio, Cato ille virtutum viua imago incumbens gladio ſimul de ſe & de rep. palam facere.*

Non ſemel moleſtus mihi locus. quid ſi legas, *de ſe & de rep. aleam iacere?* id eſt, prouerbiali quodam ſermone, in extremum diſcrimen adducere. Tamen deliberandum eſt: & neſcio quid ſimile in Suetonij Nerone legi, *Septemdecim natus annos, vt de Claudio palàm factum eſt.* In eiuſdem Tiberio: *Exceſſum Auguſti non priùs palàm fecit.* Vtrum ergo hoc dicit, eum in ſuo funere palàm feciſſe funus reip. vnà exſtinctæ?

*Intricatus Senecæ locus.*

## CAPVT XI.

### *Ritus in ſcenam producendi ſcorta. Liuio, Statio, Tertulliano, Plauto, data lux. Cur theatro adiuncta ædes Veneris: & Suetonius explicatus.*

ILLVSTRABO hoc capite ritum ſcenæ veterem, & eâdem aliquot Plauti locos, qui egere lucis videntur, nec facile eſt vt accipiant niſi ab illo. Proſtibula per ludos publicos in ſcenam introduci ſolent, & exponi omnium non libidini ſolùm, ſed licentiæ. Scilicet vt quæ perditi homines in Mimis & cetera obſcenitate fabularum paullo antè natantibus oculis viderant, ea poſt ludos in reliquo corpore peccarent. Is mos Romę vetus. Ita explico Liuium libro II. *Eo anno Romæ cùm per ludos ab Sabinorum iuuentute per laſciuiam ſcorta raperentur, concurſu hominum rixa ac propè prælium fuit.* Scorta intellegit ſcenica, vt & Statius in Siluis:

*Scorta in ſcenam.*

*Quàm antiquus ille mos.*

> *Iam noctis propioribus ſub vmbris*
> *Diues ſparſio quos agit tumultus?*
> *Huc intrant faciles emi puellæ.*

*Liuius, Statius, Iſidorus explicati.*

De eo more eleganter Iſidorus lib. XVIII. *Idem verò theatrum, idem & proſtibulum: eò quòd poſt ludos exactos meretrices ibi proſternerentur.* Et clarè ante omnes Tertullianus, *Ipſa etiam proſtibula*, inquit *publicæ libidinis hoſtiæ in ſcena proferuntur, plus miſeræ in præſentia feminarum quibus ſolis latebant. pérque omnis ætatis, omnis dignitatis ora tranſducuntur; locus, ſtipes, elogium etiam quibus opus non eſt, prædicatur.* Ex quo apparet hanc productionem ſcortorum non ſine ſolemni pompa fuiſſe, & cum prædicatione publica præconis. Ad hunc ritum accommodo verſum ex Prologo Caſinæ, non Plauti, ſed Plauto digna:

*Et Tertullianus.*

> *Ea inuenietur & pudica & libera,*
> *Ingenua Athenienſis: neque quidquam ſtupri*

*Item Plautus.*

*Faciet profectò in hac quidem comœdia.*
*Mox herclè verò poſt tranſacta fabula*
*Argentum ſi quis dederit, vt ego ſuſpicor,*
*Vltrò ibit nuptum, non manebit auſpices.*

Ecce enim perſona virginis in hac fabula opus erat. ſed ea quia nuſquam interloquitur, ſaltem, quod Græci aiunt, κωφὸν πρόσωπον: non hiſtrio adhibitus ad repræſentandum, ſed de ſcena aliquod ſcortillum. Ideò non temperat ſibi ſcriptor à ioco: Et hæc tam pudica, inquit, ſtatim poſt ludos ad ingenium redibit, & ſine vllis nuptiis nubet. Refero huc & edictum illud Imperatoris Hiſtrici in prologo Pœnuli,

*Scortum exolctum ne quis in proſcenio*
*Sedeat.*

*Theatrum Veneri ſacrum.*

ex more ſcilicet, quo theatrum, imò ſcenam & proſcenium ſcorta obſidebant. Non ergo mirũ ſi laſciuiæ illa ſedes Veneri olim ſacra. Et Pompeius ab eadem cauſſa theatro ſuo Veneris ædem ſuperpoſuit. Tertullianus, *Itaque Pompeius Magnus theatro ſolo ſuo minor, cùm illam arcem omnium turpitudinum exſtruxiſſet, veritus quandoque memoriæ ſuæ Cenſoriam animaduerſionem, Veneris ædem ſuperpoſuit: & ad dedicationem edicto populum vocans, non theatrum, ſed Veneris templum nuncupauit: Cui ſubiecimus, inquit, gradus ſpectaculorum.* Ex hoc loco clara lux data Suetonio, in Claudio cap. XXI. *Ludos dedicationis theatri Pompeiani, quod ambuſtum reſtituerat, è Tribunali poſito in orcheſtra, commiſit: cùm prius apud ſuperiores ædes ſupplicaſſet, perq; mediam caueam, ſedentibus ac ſilentibus cunctis, deſcendiſſet.*

*Suetonius aliterquàm vulgò explicatus.*

Intellegit enim ſupplicaſſe Claudium apud templum Veneris ſuperpoſitum theatro. ideò rectè, ſuperiores ædes. & quia gradus ſpectaculorum, id eſt cauea & orcheſtra, ſubiecta ædi: bene addit, deſcendiſſe eum inde per mediam caueam ad orcheſtram. Interpretibus ante me hîc caligo. Beroaldus neſcio quæ templa ædificat in illa parte vrbis quæ ſuper theatrum. Læuinus Torrentius V.C. & de Suetonio nuper, olim de vniuerſa antiquitate optimè meritus, legi mauult, *apud ſuperiores ſedes*, id eſt, inquit, in ſuperiori parte theatri. Si quid mutandum, legerim ipſe, *apud ſuperiorem ædem.* At de ſententia, quam dixi, non muto.

*Fortaſſe & emẽdatus.*

## CAP. XII.

### *E Suetonij Auguſto loci aliquot vitioſi. liberti à memoria. De compacto.*

SVETONII librum, qui eſt De vita Auguſti, legi per hos dies: & quæ obſeruaui, pro bono facturus videor, ſi cõmunicem cum iuuentute.

Cap. vlt. De Teſtamento Auguſti,

*Legauit populo Romano, quadringenties: tribubus, tricies quinquies* HS: *prætorianis militibus ſingula millia nummûm.*

Quomodo tribubus, ſi antea legauit populo Romano? Nónne hoc eſt, δὶς ταυτὸ εἰπεῖν? Certè enim omnis populus Romanus in xxxv. tribubus. Itaque mirum quantum æſtuant interpretes in hoc nodo. Viro docto nuper-



nuperrimè viſum, hoc totum de tribubus gloſſema eſſe, & ideò inducendum. Tam magnis ceruicibus non ſim ego: & potius emendem, *Tribulibus.* Idq; verũ eſt. Legauit enim vniuerſo populo Auguſtus: ſed quia propria quædam ei coniunctio cum tribulibus (φυλέτας Græci dicunt) excipuum quiddam reliquit illis. Sic ſuprà cap. XL. *Fabianis & Scaptienſibus tribulibus ſuis, die comitiorum, ne quid à quoquam candidato acciperet, ſingula millia nummûm à ſe diuidebat.* In Fabia autem tribu Auguſtus, adoptione, opinor, per gentem Iuliam: in Scaptia, per ſuam, Octauiam.

*Tribules repoſiti in legatis Auguſti.*

*Quæ tribus Auguſti.*

Cap. LXXIX.

*Naſum habuit à ſummo eminentiorem, & ab imo deductiorem: colorem, inter aquilum candidumq;: ſtaturam breuem. quam tamen Iulius Marathus libertus etiam in memoriam eius quinque pedum & dodrantis fuiſſe tradit.*

Cui bono, illa verba? *etiam in memoriam eius.* In ſilentio omnium interpretum ego ſanè confidenter emendo, *Iulius Marathus, libertus, & à memoria eius.* Operæ fuit Suetonio addere quis fuiſſet hic Marathus: Libertus Auguſti, inquit, & à memoria eius. Non ignotus mos antiquus, qui tenuit temporibus Imperatorum, vt liberti alij à Studiis, à Voluptatibus, à Libellis, ab Epiſtolis, à Memoria eſſent. Quæ omnia ſic efferebant, Polybius, à Studiis; Thallus à manu, &c. Hoc munus, quod repoſui, reperies in Alexandro Lampridij: *Poſt meridianas horas ſubſcriptioni & lectioni epiſtolarum ſemper dedit operam: ita vt ab Epiſtolis, & Libellis, & à Memoria ſemper adſiſterent.* In Herodiani libro IIII. ἦν δέ τις αὐτῷ τῶν ἀπελευθέρων Φῆστος ὄνομα, τῆς δὲ βασιλείου μνήμης προεστώς: vbi doctè Politianus *A memoria* vertit. Et in Vopiſci Caro: *Iunius Calpurnius qui ad memoriam dictabat, talem ad Præfectum vrbis ſuper morte Cari Epiſtolam dedit.* vbi τὸ *dictabat*, apparet à gloſſemate inſertum: quoniam mos illius ætatis etiam ſic loquendi, Calpurnius ad Memoriam, Malchio ad Veſtem: vt clarum ex lapidibus. Credo hos eoſdem eſſe, qui poſtea Magiſtri memoriæ dicti.

*Liberti à memoria.*

*Vel, Ad memoriam.*

Cap. XV.

*Exſtiterunt qui traderent conſultò eum ad arma iſſe, vt occulti aduerſarij facultate L. Antonij ducis præbita detegerentur, deuictisq; his & confiſcatis promiſſa veteranis præmia ſoluerentur.*

Aduerſum mentem Suetonij hæc lectio, & aduerſum libros. qui omnes paullò antiquiores, *conſpecto*, vel, *è conſpecto*: nemo, *conſulto.* Quod vidit etiam Turnebus, emendationem quomodo non viderit, miror. Clarè ſcribendum, *compecto eum ad arma iſſe.* vel potius, *eos.* Compecto valet, compacto, ſcribendi ratione tunc tralaticia, à compeciſcor; vt Appuleio Depector litium, etiam in libris vulgatis. Compacto, ἐκ συνθήματος: merum Latium. Plautus, *Omnes compacto rem agunt, quaſi in Velabro olearij.* Alibi, *Sciui extemplò rem de compacto geri.* Liuius lib. V. *Vt multo veriſimilius ſit compacto eam rem, & communi patriciorum fraude actam.* vbi item libri aliquot, *conſpecto:* & alij, *ex compoſito.* Vſus & Cicero ipſe ad Atticum. Gloſſæ veteres, *Conluſio, compactum,* συνδοιασμός.

*E cõpacto; vel è compecto, quidam.*

* Cap. XCVII.

*Atque itinere incohato, Aſturam perrexit: & inde,* * *præter conſuetudinem, de nocte ad occaſionem auræ euectus eſt.*

* Fortaſſe, *pro conſuetudine.* Vide Notas meas ad Suetoniũ.

Diſcors ſibi Suetonius; quod miremur in ſcriptore tam accurato. Cap. LXXXII. ſcribit, *Itinera lectica, ac noctibus ferè, eáque lenta ac minuta faciebat.* Ecce. ibi ait noctibus Auguſtum ſoluiſſe iter facere: hîc negat, & ponit quaſi rem inſolentem. Quid dicam? Sanè quin hæc pugnent inter ſe, non Paterpatratus impetrauerit, & omnes Fetiales. Memoriæ vitium in Suetonio ſit, an ſcripturæ in alterutro loco, nondum conſtitui.

*Pugna in Suetonij verbis clara.*

## Capvt XIII.

*De veſtitu Romano conlectanea. Color togæ albus. obiectiones remotæ duæ. Plautus, Suetonius, Perſius, Horatius, illuſtrati. De Lacernis, & Pænulis. Spartianus & Tacitus correcti. Item Seneca, eximio loco. De Tunica & Calceis.*

De colore veſtium apud Romanos, itemq; de Candidatis, Sordidatis, Pullatis, non ſatis plana hodie res eſt. Ego paullò vberius dicam, quàm qui ante me: & quidquid in his arduum aut cliuoſum explanabo, exorſus rem à capite, & quod Ariſtophanes ait, ἀπὸ βαλβίδων.

*Veſtes Rom. albæ.*

*Toga alba.*

Romanis in veſtitu placitum reperio colorem album. ſiue, quia is, vt Plato alibi vult, lætitiæ proprius, & deorum: ſiue potius agreſtis illa & prima gens, ſpretis accerſitis coloribus, lanæ natiuum retinuit, id eſt, album. Ita Toga Romanorum alba, & Tunica fuit, & Calcei, & omnis cottidiana veſtis. Toga, inquam, alba. Titinnius poëta vetus,

*Qui in togis candidis ſunt, tunicis ſordidis.*

Agellius de Africano, *Eúmq; cùm eſſet reus, neque barbam deſiſſe radi, neque non candida veſte vti, neque fuiſſe ſolito cultu reorum.* Plautus Caſina,

*At candidatus cedit hic maſtigia.*

*Plautus explicatus, & mos libertorũ in mutanda veſte.*

de Olympione, qui iam libertus. At liberti noui in toga apparebant, id eſt, communi ciuium veſte. Tertullianus de Reſurrect. carnis, *Si famulum tuum libertate mutaueris; & veſtis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine, ac tribu menſáque honoratur.* Toga igitur alba. Statius, in Siluis, ——*albentíque humeros induxit amictu.*

albentem amictum, Togam appellat virilem, ab eodem colore Græcis modò λευκὴν; modò ad diſcrimen prætextæ, dictam ὁλολευκήν. Eamdem circumſcripſit Perſius,

*Itẽ Perſius.*

——*totáque impunè Suburra*
*Permiſit ſparſiſſe oculos iam candidus vmbo.*

*Vmbones in toga.*

Candidus vmbo, συνεκδοχικῶς, pars pro ipſa veſte. Nam Vmbones in toga Tertullianus agnoſcit de pallio; & deſcribit eos eleganter Appuleius lib. XI. in palla. Martialis etiam albũ colorẽ togæ aliquot locis dat. vt, *Et toga non tactas vincere iuſſa niues.*

Item,

*Martialis preter vulgi mentem explicatus.*

*Non amet hanc vitam, quiſquis me non amat, opto:*
*Viuat & vrbanis albus in officiis.*

Albus, non ad pallorem, ſed ad veſtem: quoniam officia hæc anteambulo-



bulonum in toga alba. Ideò Iuuenalis,

——*niueóſque ad frena Quirites.*

Et exempla plura ſunt, quæ mox opportunè reddam. Obiiciunt iſta: Si togæ vulgò albæ; cur qui prenſabant induebantur toga candida, vt hac quaſi nota intellegi & excerni poſſent à reliqua plebe? Reſpondeo: Albi coloris togas vulgò fuiſſe, non candidi. Albus color, natiuus lanæ eſt: candidus propriè, ſplendens ille, & qui eſt ab arte. Ideò Polybius λαμπρὰν dicere maluit petitorum togam, quàm λευκὴν: & Latinè commodè eam dixerimus ſplendentem. Seneca, *Non ſplendeat toga, nec ſordeat quidem.* ſpernit enim à ſapiente hunc colorem eximiè candentem. Subtilia hæc videntur? ſunt vera. Nam petitores non contenti inſito lanæ colore, cretam addebant in veſtem vt candeſceret, imò ſplenderet. Hac ergo nota diſcreti à vulgo, & κατ' ἐξοχὴν dicti Candidati. Iſidorus, *Fit toga addito quodam cretæ genere candidior.* Perſius huc alludens,

*Contra colorem togæ quid dici poſſit.*

*Reſponſio.*

*Diſcrimen inter albam togam & candidam.*

*Candidatorum toga cretata.*

——*quem ducit hiantem*
*Cretata ambitio.*

Liuius libro IV. *Placet tollendæ ambitionis cauſſa Tribunos legem promulgare, ne cui album veſtimentum addere petitionis cauſſa liceret. Parua nunc res, & vix ſerio agenda videri poſſit, quæ tunc ingenti certamine patres ac plebem accendit.* Emendo, *ne cui album in veſtimentum addere,* auctoribus libris & ſententia ipſa. quoniam non alba veſtis interdicta, (abſurdum id) ſed additio albi in veſtem, id eſt, cretæ.

*Liuius emendatus.*

Obiiciunt item de diebus feſtis. Romani, inquiunt, ſaltem per dies feſtos in veſte alba erant: non ergo cottidianas togas cenſendum candidas. Horatius:

*Obiectio altera. Romani albati in die feſto.*

*Ille repotia, natales, alióſque dierum*
*Feſtos albatus celebret.*

Xiphilinus, die celebri Romæ ob ingreſſum Teridatis, Μάλιστα δὲ ἡ ἀγορὰ ἐπεπλήρωτο. τὸ μὲν γὰρ μέσον αὐτῆς ὁ δῆμος λευχειμονῶν καὶ δαφνηφορῶν κατὰ τέλη εἶχε, τὰ δ' ἄλλα οἱ στρατιῶται λαμπρῶς ὡπλισμένοι. id eſt, populus albatus & laureatus. Latinus Pacatus in Panegyrico ad Theodoſium: *Quid ego referam feſtum liberæ nobilitatis occurſum? conſpicuos veſte niuea Senatores?* Vopiſcus in Floriano, *Tantum illud dico Senatores omnes ea eſſe lætitia elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, albati ſederent.* Perſius, ——*negato*

*Iuppiter hoc illi, quamuis te albata rogarit.*

Sed expedio me ab hoc nodo, & dico non aliud fuiſſe in eo more, quàm vt per dies priuatim aut publicè lætos, togas recentes ſumerent, & vſu nondum ſordidas aut obſoletas. Pollux id exprimit, ὑπὸ νεουργῷ στολῇ, ὑπὸ νεοπλυνεῖ ἐσθῆτι. Clarè diſcimus ex Prudentio contra Symmachum,

*Solutio.*

*Exſultare patres videas pulcherrima mundi*
*Lumina, conciliúmque ſenum geſtire Catonum,*
*Candidiore toga, niueum pietatis amicum*
*Sumere.* —— & Ouidio,
*Veſtibus intactis Tarpeias itur in arces,*
*Et populus feſto concolor ipſe ſuo eſt.*

Ecce

Ecce, ait veſtes incraſtas: & bene Perſius in re ſimili, recentes,

*Scilicet hoc populo pexuſq́; togaq́; recenti*
*Et natalicia tandem cum ſardonyche albus*
*Sede leges celſa.*

Color enim ille à principio in omni toga niueus, habendo ſordes trahebat & ſquallorem: quod in vulgata toga ferebant, non ferebant per dies feſtos. More planè gemino moribus noſtris. Inde eſt quòd per ludos apud Martialem & alios Candidati leguntur: inde, quod apud Plautum Aulularia ſcribitur:

*Plauti verſus illuſtratus.*

*Qui veſtitu & creta ſe occultant, & ſedent quaſi ſint frugi.*

In homines, niſi fallor, tenuiores, quibus cùm copia mutandæ togæ non eſſet; tamen vt nitidi & melioris fortunæ apparerent, ſub dies ludorum togulam ſuam incretabant. Poteſt & referri ad ſeruos: qui vt liberos mentirentur, fortaſſe cretam addebant in veſtem, vt in cauea fallerent permixti. Nec Romani ſolùm in lætitia aut in ſacris adhibebant hunc colorem; ſed etiam, vt obſeruatum mihi, externi. Liuius lib. XLV. De Rhodiis: *Inter multas Aſiæ Græciæq́; legationes, Rhodiorum maximè legati ciuitatem conuerterunt. Nam cùm primò in veſte candida viſi eſſent (quod & gratulantes decebat, & ſi ſordidam habuiſſent, lugentium Perſei caſum præbere ſpeciem poterant) poſtquam conſulti à M. Iunio Conſule patres, &c.* Suetonius Auguſto, cap. XCIX. De Ægyptiis: *Fortè Puteolanum ſinum prætervehenti vectores nautæq́; de naui Alexandrina quæ quidem tunc appulerat, candidati coronatique & thura libantes, fauſta omnia & eximias laudes congeſſerant.*

*Veſtis alba etiã externis in vſu.*

Propter has togas albas, fullonum apud veteres crebertimus vſus; rarus tinctorum. Fullonum, qui maculas ſcilicet ac ſordes è toga eluebant, & addito ſulfure ac creta iterum candeeam faciebant. Adi Plinium de vtroque, lib. XXXV. cap. XV. & XVII. Comœdiæ plenæ fullonum: teſtes Togatæ. & eorum munus expreſſit eleganter Titinnius apud Nonium,

*Cur tam frequens mentio fullonum.*

*——terra hæc eſt, non aqua,*
*Vbi tu ſolitus argutarier pedibus*
*Cretam dum compeſcis veſtimentaq́; lauas.*

Argutationem pedum, vocat id quod Seneca, Fullonium ſaltum.

Alba igitur toga. & ea quamdiu in communi vſu, diſcrimen nullum inter ciues fuit à colore veſtis. niſi quòd diuites, munduli, elegantes, ſemper in toga ſua à fullone niuea; vulgus, ferè ſordidiores eſſent, & togis magis pallentibus, ac, vt propriè dicam, obſoletis. Ideò Seneca, Epiſt. CXV. per ſordidos intellegit vulgum: *Mirari quidem non debes*, inquit, *corrupta excipi non tantùm à corona ſordidiore, ſed ab hac turba quoque cultiore. Togis enim inter ſe iſti, non iudiciis diſſident.* Ait dilertè, Togis. Sed & viri illuſtres ac nobiles rei facti, per dies iudicij ſumebant hanc togam ſordidam, poſita niuea, vt miſerabiliores eſſent in veſtè plebeia. Itaque rei in Sordibus eſſe dicuntur, aut Sordidati: non Pullati, ne quis erret. qui color tantùm funebris. Viri etiam graues ac rigidi non amabant eximium illum candorem: & ab hac re ſimia ille apud Horatium,

*Diſcrimen à veſte: & qui Sordidati.*

*Rei ſordidati.*

*Horatij vera lectio firmata.*

*Exiguæq́; togæ ſimulat teſquore Catonem.*

Recta illa lectio. malè vulgò, *textore*. Duo enim lauti homines amabant



bant in toga, laxitatem & candorem: ſpreuerat vtrumque Cato, arcta toga contentus, & ea ſquallenti. Id enim Horatio, Teſquor.

Hæc olim. Mutata republica, & imperio labente; mirum quantum mutauerit veſtis. Toga, quæ olim neceſſaria ciuibus (certè inter exempla legimus Rabirio Poſthumo publicè obiectum in iudicio, quòd ad gratiam Ægyptij regis, ſumpto pallio, poſuiſſet togam) Imperatorum temporibus apud paucos remanſit, & non niſi honeſtiores. Vulgus, ſpreta ea, abiit ad Pænulas, Lacernas, aut Tunicas ſolas; eaſque coloris pulli. Cœpit id ſtatim ſub Auguſto; de quo Suetonij verba ſunt cap. XL. *Etiam habitum veſtitúmque priſtinum reducere ſtatuit: ac viſa quondam pro concione pullatorum turba, indignabundus ac clamitans, En ait,*

*Toga exſilium.*

*Suetonius explicatus.*

*Romanos rerum dominos, gentémque togatam.*

*Negotium AEdilibus dedit, ne quem poſthac paterentur in foro circóue, niſi poſitis lacernis, togatum conſiſtere.* Irruperant per bella ciuilia ſcilicet Lacernæ iam tum in vrbem; quæ antea militiæ, & caſtrorum. Propertius,

*Texitur hæc caſtris quarta lacerna tuis.*

Et poſt Auguſtum, vt libertas, ſic toga magis magiſque exoleuit. Hadriani quidem temporibus vix in Senatoribus & Equitibus ius ſuum tenuit, adiuta Principis edicto. Spartianus in Hadriano; *Senatores & equites Romanos ſemper in publico togatos eſſe iuſſit, niſi ſi à cœna reuerterentur.* Mentio nulla plebis, quia in illa, inſolentia hæc veſtium longo vſu iam recepta. Appianus, qui ſuppar huic ætati, hoc amplius, excludit à toga etiam Equites: & oſtendit in ſolis propemodum Senatoribus reliquum fuiſſe eius vſum. Id enim ſibi volunt hæc verba ſanè notanda, lib. I. Bellorum ciuil. Παμμιγές τε γάρ ἐστιν ἤδη τὸ πλῆθος ὑπό ξενίας, καὶ ὁ ἐξελεύθερος αὐτοῖς ἰσοπολίτης ἐστὶ, καὶ ὁ δουλεύων ἔτι τὸ σχῆμα τοῖς δεσπόταις ὅμοιος (χωρὶς γὰρ τῆς βουλευτικῆς ἡ ἄλλη στολὴ τοῖς θεράπουσιν ἐστιν ἐπίκοινος) τό τε σιτηρέσιον τοῖς πένησι χορηγούμενον ἐν μόνῃ Ῥώμῃ, &c. Nam βουλευτικὴν στολὴν, non aliud interpretari eſt quàm Togam. Imò ipſi Senatores id temporis in publico ſæpe ſine toga. Apud Agellium T. Caſtritius diſcipulos quoſdam ſuos Senatores obiurgat, quòd die feriato lacernis & tunicis & gallicis induti fuiſſent, abiecta toga. Et addit tamen, *eiuſcemodi veſtitum de multo iam vſu eſſe ignoſcibilem.* Non ergo mirum, ſi hic Appianus & alibi Seneca queruntur, liberos non fuiſſe à ſeruis veſte diſcreta. Diſcerni enim toga ſola poterant: pænulæ, tunicæ, lacernæ, communes cum ſeruis, * vt pòſt docebo.

*Soli Senatores & Equites togati.*

*Spartiano & Appiano data lux.*

*Senatoria veſtis quid.*

*Lacernæ vſitatæ etiã Senatoribus vulgò.*

*Vix diſcrimen inter liberos & ſeruos à veſte.*

** Cap. XXV.*

Lacernæ in vſu vulgi, pullæ erant. Excipio delicatos, qui amethyſtini coloris ſumebant aut coccinei, non tamen ſine nota hominum ſeueriorum. Martialis,

*Lacernarũ quis color.*

*Amator ille triſtium lacernarum*
*Et bæticatus atque leucophæatus,*
*Qui coccinatos non putat viros eſſe,*
*Amethyſtináſque mulierum vocat veſtes:*
*Natiua laudet, habeat & licet ſemper*
*Fuſcos colores, Galbanos habet mores.*

*Purpurea lacerna, delicatiorum.*

Seneca Epiſt. CXV. *Quod vides iſtos ſequi, qui aut vellunt barbam aut interuellunt, qui labra preſſius tondent & abradunt, qui lacernas coloris improbi ſumunt, qui perlucentem togam, qui nolunt facere quidquam quod hominum oculis tranſilire liceat.* Lacernæ coloris improbi, purpureæ ſunt. quoniam inſolens ille color adhuc Senecæ temporibus & audax. Simile in Pænulis; quæ vulgò item Pullæ: purpureæ tamen quædam lautiorum. Dio Caſſius lib. LVII. De Tiberio: Καὶ ἐπειδή γε πολλῇ ἐσθῆτι ἁλουργεῖ καὶ ἄνδρες συχνοί, καίπερ ἀπαγορευθὲν πρότερον, ἐχρῶντο, διεμέμψατο μὲν οὐδένα, οὐδ᾽ ἐζημίωσεν, ὑετοῦ δὲ ἐν πανηγύρει τινὶ γενομένου, φαιὰν μανδύην ἐπενέδυ· κἀκ τούτου οὐκέτ᾽ οὐδεὶς αὐτῶν ἀλλοῖον ἔσθημα λαβεῖν ἐτόλμησε. Et hinc liquet, quotiens interdictus Tyrius color, non ad Togas id referendum (albæ enim & pullæ tantùm in vſu) ſed ad Pænulas & Lacernas. In Pænulis peccat largiter Spartianus, ſi modò ita ſcripſit, in Alexandro Seuero: *Pænulis intra vrbem frigoris cauſſa vt ſenes vterentur, permiſit: cùm id veſtimenti genus ſemper itinerarium fuiſſet aut pluuiæ.* Quid? Pænulæ in vrbem primùm temporibus Alexandri? Planiſſimè falſum. Iam inde ab Auguſto Pænulis vtebantur per ludos, vtique pluuiæ tempore aut hiemis. Præter Dionis locum ſuprà, Tertullianus: *Video & theatra nec ſingula ſatis eſſe nec nuda. Nam ne vel hieme voluptas impudica ceſſaret, primi Lacedæmonij pænulam ludis* (malè vulgò *nudis*) *excogitarunt.* Et Veſpaſiani temporibus adeò vulgatæ pænulæ, vt iis in foro vterentur Oratores. Auctor Dialogi De Cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Quantum humilitatis putamus eloquentiæ attuliſſe pænulas iſtas; quibus adſtricti & velut incluſi cum iudicibus fabulamur!* Hadriani temporibus etiam Senatores. Colligo ex verbis Caſtritij apud Agellium, *Pigitum eſt cinctos ſaltem eſſe & pænulatos.* Non ergo anteà, pluuiæ tantùm aut itinerum: & vapulet Spartianus, ſi ita ſenſit. Sed crediderim herclè in Spartiano legendum, *vt ſenatores vterentur permiſit.* correctione & ſententia tolerabili. Et peccatum in hac voce aliâs ſcio: vt apud Tacitum lib. II. Annal. *Reperio apud ſcriptores Senatoréſque eorundem temporum.* Quorſum Senatores? Lege, *ſenioréſque.* de quo arbitrabuntur docti.

*Item Pænulæ.*

*Spartiani alucinatio, in vſu Pænularum.*

*Oratores cauſſas agebant in Pænulis.*

*Correctus Spartianus & Tacitus.*

Redeo ad colores. Pereunte igitur toga, ad interitum abiit color albus; & pullæ, plebeiæ omnes veſtes. Hinc Pulla paupertas Calpurnio dicta:

*O vtinam nobis non ruſtica veſtis ineſſet!*
*Vidiſſem propius mea numina. ſed mihi ſordes*
*Pulláque paupertas & adunco fibula morſu*
*Obſtiterunt.*

Hinc Pullati Suetonio, in Auguſto cap. XLIIII. *Sanxit ne quis pullatorum media cauea ſederet.* Quod edictum lucem dat Calpurnij loco quem adduxi; item iſti,

*Venimus ad ſedes vbi pulla ſordida veſte*
*Inter femineas ſpectabat turba cathedras.*

Intellegit enim caueam ſummam. Hinc diſcrimen natum inter ciues, ignotum ſæculo priori: vt alij candidati dicerentur, Pullati alij. Candidati, non ij qui peterent (vt olim) ſed honeſtioris ordinis ciues: Pullati, infima

*Pulla veſtis, tenuiorum: & Pullati.*

*Calpurnius explicatus.*





infima plebs, ſiue vulgus. à colore ſcilicet veſtium quibus vtrique vtebantur. Plinius libro VII. Epiſtolarum, *Nonne cùm ſurgis ad agendum, tum maximè tibi diffidis? tum commutata non plurima, ſed omnia, cupis? Vtique ſi latior ſcena, & corona diffuſior. Nam illos quoque ſordidos pullatóſque reueremur.* Quinctilianus lib. XI. *Collidere manus, terræ pedem incutere, femur, pectus, frontem cædere, mirè ad pullatum circulum facit.* Idem lib. VI. *Imperitis ac ſæpe pullatæ turbæ relinquunt.* Pullati vbique, vulgus. Diſcrimen hoc expreſſerat Seneca eleganter, niſi imperiti corrupiſſent, De Vita beata, cap. II. *Quæramus quid optimè factum ſit, non quid vſitatiſſimũ: quid nos in poſſeſſione felicitatis æternæ conſtituat, non quid vulgo veritatis peſſimo interpreti probatum ſit. Vulgus autem tam chlamydatos, quàm coronatos voco. Non enim colorem veſtium, quibus prætexta corpora ſunt, adſpicio: oculis de homine non credo.* Apollo fatidicè, qui iſti chlamydati aut coronati? Impunè dixerim, eximiè emendauimus, *Vulgus autem tam candidatos, quàm coloratos voco.* Diſerta enim Senecæ alluſio ad hunc veſtium colorem: vel ipſo teſte, qui ſubiunxit, *Non enim colorem veſtium aſpicio.* Coloratos vocat, Pullatos: vt alibi Voluptatem pallidam deſcribit; Virtutem puluerulentam & coloratam, id eſt, fuſcam. Vulgatam lectionem numquam erit vt explicent omnes Quindecimuiri fatalium librorum. Auctor huic emẽdationi meæ Senecæ locus alter, hoc eodem libro cap. XXV. *Nihilo miſerior ero, ſi laſſa ceruix mea in fæni manipulo acquieſcet, ſi ſuper Circenſe tomentum per ſuturas veteris lintei effluens incubabo. quid ergo eſt? malo quid mihi animi ſit oſtẽdere prætextatus & candidatus, quàm nudis ſcapulis.* At vulgò etiam hîc ad oram notarunt, *chlamydatus.* credo, quaſi emendantes. Quod ait, *prætextatus*, vide ne ſcribendũ, *pexatus.* Simile enim eſt illi Perſiano, —*pexúſque, togáque recenti:* & lautiores homines, in candida toga & pexa. Martial.

*Seneca eximius locus correctus.*

*Colorati, quid.*

*Seneca alias explicatus.*

*Et emendatus.*

*Quid pexati.*

*Pexatus pulchrè rides mea Zoile trita.*

Pexis togis aduerſæ, tritæ, Feſto Decotes dictæ. *Decotes togæ*, inquit, *detritæ.* Malim, *Decutes:* quod eſſet, ſine flocco & quaſi ſinè cute.

*In Feſto coniectura.*

Satisfactum de Toga: ſupereſt de Tunica & Calceis, quod promiſi. Tunica liberorum hominum alba. Ex Vopiſco in Aureliano, *Sciendum tamen congiaria illum ter dediſſe, donaſſe etiam populo Rom. tunicas albas manicatas ex diuerſis prouinciis.* Ex Iuuenali,

*Tunica vulgò alba.*

*Sufficiunt tunicæ ſummis AEdilibus albæ.*

Et argumento ſatis claro, Ex Cicerone; qui Verri obiicit quòd in officina ſedere ſolitus ſit cum pallio & tunica pulla. Viro docto, qui nuper adfirmauit, tunicas omnes purpurei coloris fuiſſe, credam ego? non ſi credendi auctor mihi Phœbus ipſe. Argumenta quæ adfert, facilè aliâs ſoluam. Calcei item albi. Martialis,

*Calcei, albi.*

*Sordidior cœno cùm ſit toga, calceus autem*
*Candidior prima ſit tibi Cinna niue:*
*Deiecto quid ineptè pedes perfundis amictu?*

Spartianus in Alexandro: *Faſceis ſemper vſus eſt: baccas albas habuit, non coccineas, vt prius ſolebant.* Emendo, *baxeas albas.* Baxeæ pro Calceis apud Plautum, & Appuleium lib. II. *Iuuenem quempiam linteis amiculis*

*intectum, pedéſque palmeis baxeis indutum.* In Floridis, *Veſtem de texterna emere, baxeas iſtas de ſuterna præſtinare.* Ciuile autem illud, quòd Alexander Calceis albis vſus more ceterorum; non coccineis, vt ante eum Imperatores, & homines aliquot delicatiores. Malè ergo in Vopiſci Aureliano calcei albi damnantur, vt parum viriles: *Calceos mulleos, & cereos, & albos, & ederatios viris omnibus tulit, mulieribus reliquit:* & cenſeam ſcribendum, *& cereos, & galbos.* Galbus color in veteri gloſſario, χλωρὸς, id eſt, herbacei coloris, qui idem galbeus, & galbanus. Et is ſanè color femineus. Iuuenalis,

*Vopiſcus emendatus.*

*Galbei calcei, & quis ille color.*

*Cærulea indutus ſcutulata, aut galbana raſa.*

Martialis, —*galbanos habet mores:* huc reſpiciens, quod non obſeruant interpretes. Eumdem colorem intellegi credo Martialis verſu,

*Herbarum fueras indutus Baſſe colores.*

Sed hactenus: ne abeam, quod Græci dicunt, ἐκτὸς τῶν ἐλαιῶν. Explicaui colorem togæ, ritum in Candidatis, in diebus feſtis: interitum togæ, & mutationem veſtis: addidi de Pænulis, Lacernis, Tunicis. & hæc, ſatis ſcio, non omnia protrita vulgò. Quæ præterea ad lucem ſunt veſtiariæ rei, cum Deo, alibi dicam.

## CAPVT XIV.

### *E Cornelio Nepote vetus mendum ſublatum in vita Attici. Statuas inſcribendi mos.*

SERENO quondam, vel, vt veteres loquebantur, terſo die, ambulabam cum Iacobo Suſio, viro nobili, &, ſi quis alius in Belgica noſtra, doctrinæ huius priſcæ amanti & ſcienti. In ſermonem venit Cornelij Nepotis locus, de vita Attici, *Quamdiu adfuit, ne qua ſibi ſtatua poneretur, reſtitit: abſens prohibere non potuit. Itaque aliquot ipſi & Phidiæ locis ſanctiſſimis poſuerunt.* Cenſui emendandum ego, *ipſi & Fidei.* Prorſus idem Suſio iam antè viſum. At non Manutio & Lambino, qui Piliam pro Phidia ſubſtituunt, Attici vxorem. Non perſuadent. recedunt à libris, & peccant in ſanctiſſimos Attici mores, à cuius moderatiſſimo ingenio nimium abfuit hæc ambitio. Scio equidem & feminis ſtatuas olim poſitas: Plinius libro XXXIIII. *Exſtant*, inquit, *Catonis in cenſura vociferationes mulieribus Romanis in prouinciis ſtatuas poni*: ſed hoc inſolens in Prætoribus ipſis, nedum in homine priuato. Ad ſummam, ſi Atticum noui; crucem ille potius ſibi, quàm ſtatuam vxori. Emendatio noſtra à ritu veteri eſt. quo receptum, vt in ſtatuis inſcribendis, cum nomine, cauſſam exprimerent habiti honoris. Adde quòd inuidia minor, ſi virtutes ipſæ quaſi conſecrarentur, non ij qui exercuiſſent. Sic Aram Clementiæ, & Adoptioni in Tacito: Prouidentiæ Tiberij Cæſaris, Pietati Augusti, Clementiæ, Securitati, & ſexcenta id genus legimus in nummis & ſpectionibus vetuſtis. Nec alia mens verborum Ciceronis, eximia illa epiſtola ad Q. Fratrẽ: *Quare cum iſtis in vrbibus cum ſummo imperio ac poteſtate verſeris, in quibus tuas virtutes conſecratas & in Deorum numero collocatas vides.* Fidei igitur T. Pomponij Attici inſcripta ſtatua. titulo merito, quia Athenienſes pecunia, frumento, aliiſque rebus iuuerat, ſumma comitate & fide.

*Feminis ſtatuæ poſitæ.*

*Mos vetus inſcribendi ſtatuas.*

*Cicero explicatus.*



## CAPVT XV.

### *Veterum legum de re agraria aliquot capita, niſi fallor, publicè nondum viſa. Ea ad priſcam ſcripturam variè correcta.*

PVLCHRÆ, ita me Deus amet, reliquiæ in manus meas venerunt, celebris illius legis Mamiliæ, Fabiæ, Roſciæ, & aliarum aliquot, quæ ad rem agrariam, legum. quas, iniquus ſim, ſi debeam diutius ſtudioſæ iuris & antiquitatum iuuentuti. Excerpſi eas è libro manuſcripto, in quo coniunctim varij De Finibus & Re agraria ſcriptores. qui lucem adhuc toti non viderunt, & ſpero viſuros breui, opera C. V. Franciſci Nanſij amici noſtri: apud quem ſcio adſeruari ſimile volumen. Nam ea Frontini & Ageni Vrbici quæ exſtant, mera nugamẽta ſunt præ iſtis. Codicem quem ego vſus ſum, is, pleraque in parte, fuit grandi littera Romana: & in eo, ordine inſerti libri iſti & ſcriptores:

*Index ſcriptorum Agrariæ rei.*

*M. Iuni Nilſi.*
*Aprofoditi.*
*Betruui Ruſi Architectonis.*
*Iuli Frontini* (aliâs *Frontonis*) *De agrorum qualitate.*
*Hygini Conſtitutio.*
*Ageni Vrbici, De controuerſiis agrorum.*
*M. Varronis, De Geometria.*
*Hygini De limitibus.*
*Hygini De diuiſionibus agrorum.*
*Hygini liber Gromaticus.*
*Balbi liber ad Celſum. Expoſitio & ratio omnium formarum.*

Capita hæc legum electa ſunt è libro Hygini De limitibus. qui caſu bis in eodem volumine deſcriptus: & ideò, quidquid altera lectio mutabat, notatum mihi cum fide infrà. Eum Hyginum referre aliqui videntur ad ætatem Augusti: ego clarè colligo vixiſſe eum in imperio Traiani. Nam ſcribit ecce ipſe: *Nuper quidam euocatus Auguſti, vir militaris diſciplinæ, profeſſionis quoque noſtræ capaciſſimus, cùm in Pannoniam agros veteranis ex voluntate & liberalitate Imperatoris Traiani Auguſti Germanici adſignaret.* Nominat Traianum, vt vides; & ait, Nuper. Nunc pono leges ipſas: & ad oram, quæ digna nota.

*Aetas Hygini indicata.*

## LEX MAMILIA. ROSCIA. PEDVCAEA. ALIAENA. FABIA. [a]K. III.

*Quae*[b] *coloniae lege deducta, quo iure municipium, praefectura, forum & conciliabolum conſtitutum erit, qui ager*[c] *inter adfines eorum erit, qui termini in eo agro ſtatuti erunt, quo in*[d] *lo terminus non ſtabit, in eo loco*[e] *his cuius* S S. *ager erit, terminum*[f] *reſtituendum*[g] *curatoque recta autum actum eſſe vellit. idque mageſtratus qui in ea colonia, municipio, praefectura, iuriſdicundi praeerit,*[h] *facto vti fiat.*

K. IIII. *Qui limites*[i] *decimani qui in lege deducti erunt,*[k] *quacumque poſſe limites in eo agro erunt, qui ac lege ager*[l] *cundatus adſignatus erit, niquis eos limites*[m] *decimanos non obſequi, neuae quit in eis molitum nec eo quit ibi oppoſitum habet, neuae eos arato, neuae eas foſſas optorato. neuae qui ſepito quo minus*[n] *ſuit tener aquai replere poßit. Siquis aduerſus ea quid fecerit, in*[o] *res ſingulas quotiens cumque fecerit,* VIII. S. *colonis, municipibus*[p] *eis aque in quorum agro id factum erit,*[q] *deinde eſto. pecunieque qui volet petitio ac lege eſto.*

K. V. *Qui ac lege coloniam deduxerit, municipium, praefecturam, fora, conciliabola conſtituerit, in eo agro, qui ager intra fines*[r] *eius qui coloniae, municipij, fori, conciliaboli praefecturae*[s] *erint, limites decimanoque vt fiant terminique ſtatuantur curato. quique fenes ſtatuerit, fines*[t] *orum ſua acto, dum ne extra agrom colonicum*[u] *territorium vt fines ducat. quique terminias lege ſtatuti erunt, nequis eorum quem*[x] *cicito, neuae loco moueto inſciens dolo malo. ſiquis aduerſus ea fecerit, in terminos ſingulos*

quos

a id eſt, Kaput tertium. ita enim priſci ſcribebant. ſic mox, K. IIII. & K. V.
b Ex alia lectione ſcribend. *colonia hac lege deducta, quodue.*
c Lege, *intra fines.* vel potius ad ſcripturam veterem, *intera* ita dicebant, vt apud Lucret. non ſemel, *ſupera.*
d *loco*, ſcribe.
e Valet, *is cuius ſupraſcriptus.*
f Melius, *deſtituendum.*
g Non facilè me extrico: tamen puto ſic, *curato. vtique recta actum pactum eſſe velit.* Tale aliquod geminatum verbum fuit.
h *facito.*
i Fortè, *decimaniq;.*
k Legerim, *quacumque foſſæ, limites.* idem Hyginus alibi agros finit, terminis, arboribus, ſuperciliis, vepribus, foſſis. Alia tamen lectio, *quicumque poſſis.* Fortè, *quicumque poſiti.*
l Scribo, *cumque datus.*
m Me iudice hæc omnia ſcribenda, *decimanóſue obſepito, néue quid in eis inolitum, néue quid ibi opſitum habeto.* Inolitum, ad arbores pertinet; obſitū, ad fruges. Vide infrà.
n Lego *ſuo itinere, aqua ire fluere poſſit.* vt apud Frontinum in S C. *quò minus ea aqua ire, fluere, cadere.*
o Malim, *in ter. ſingulos.* id eſſet, terminos ſingulos. vt hac ipſa lege, infrà.
p Alia ſcriptura, *eis adque.* puto antiquos vſurpaſſe, Eis atque, pro Eiſque.
q Facilis emendatio. Notæ enim fuerant, *d. d eſto.* id eſt, *dare damnas eſto.* Formula priſca, quam non cepit quiſquis hic exſcriptor.
r Lego, *eiuſce colonia.*
s Verius, *erit:* & ſtatim, *decimaníque.*
t Similis alia lectio, niſi quòd *horum* habet. Ego hîc prorſus nihil video.
u Scrib. *territoriúmue, fines.*
x Fuit, *eicito.* & ſtatim, *ſciens*, non *inſciens*, ex altera ſcriptura & ſententia.



*quos eiecerit loco mouerit*[a] *inſciens D. M. hoc eſt dummodo SS. V. M. N. in publicum eorum quorum intra fines his ager erit*[b] *adeſto. deque ea re*[c] *curatores quae hac lege rit iuriſdictio*[d] *reciperatorumque ratio adicitio eſto. Cum curator hac lege non erit, tum quicumque magiſtratus in ea colonia, municipio, foro, conciliabolo, praefectura, iuriſdicundi praeerit, eius magiſtratus de ea re iuriſdictio iudiciſque datio adictio eſto. inque eam rem his qui hac lege iudicium dederit teſtibus publicis dumtaxat*[e] *inter ſingulas* S S. X. *milia*[f] *denuntiandi haeceſſantem facito, ita vti è rep. fideque ſua videbitur. & ſi duo*[g] *ſunt de ea pecunia petierint condemnatus erit, eam pecuniam ab*[h] *eodem vt denique eius primo quoque tempore exigito. eiuſque pecuniae quod receptum erit, partem dimidiam*[i] *& huius vnius operam maximè his condemnatus erat, partem dimidiam in publico redigito. quo in loco terminus*[k] *haberit ſi quis in eum locum terminum*[l] *reſtituere volet,*[m] *ſumma & ſine fraude ſua licito facere, neuae quid cui his ob eam rem hac lege damnas eſto.*

a Imperitum gloſſema. Concepta lex fuit, *ſciens d. m.* S S. V. *M. N.* Id eſt. *dolo malo, ſeſtertium quinque millia nummum.* Boni viri, D.M. dummodo interpretabantur; & inde in contextum venit gloſſa, quam eiicies.
b Error qui ſuprà. ſcribe, *d. d. eſto.* dare damnas eſto.
c Lego, *curatoris qui h. l. erit.*
d Alia lectio, *reciperatorumque.* XX. *datio.* ſcribe etiam, *addictio.*
e Legerim, *in ter. ſingulos.* id eſt, in terminos, vt ſuprà.
f Non tolero hoc mõſtrum lectionis. Aliàs ſcribitur, *denuntiandi atteſtante.* Lego, *denuntiandi poteſtatem.* Apud Probum de Notis: *Quanti ea res erit, tanta pecuniæ iudicium recuperatorium dabo, teſtibuſque dumtaxat decem denuntiandi poteſtatem faciam.*
g Iterum nodus, quem conabar ſic euoluere: *& ſi duo ſimitu de ea p. petierint condemnatiue erunt.* vel potius, *de ea pecunia petita condemnati erunt.* Nam altera lectio, *petita erint* habet, pro *petierint.* Alij hæc ſcribunt, *& ſi is vnde ea pecunia petita erit, condemnatus erit.* fortaſſe rectius.
h Etiam hæc ad priorem ſententiam ſic aptabam, *ab eodem aut denique eis, primo.* Diſcrepat tamen ſcriptura alia, *ab eodem vt bonis ſub eius.* Quidam, *ab eodem déue bonis eius.*
i Emendo, *ei cuius vnius opera maximè.*
k Cenſeo leg. *haud erit:* vel, *aberit.*
l Melius, *deſtituere.*
m Subolet error ex notis. & ſcriptum fuit, *S, M. & ſine fraude.* id erat, *Sine malo.* Tale quid ſanè ſententia flagitat. Et ſtatim, *liceto.*

Dixi ad hanc legem quæ ſciui, quæ potui. Repoſui ſuprà vocem Inolitum, *neue quit in eis inolitum, neue quit ibi opſitum habeto.* tamen alia lectio, *moleſtum*, ſed vera, puto, emendatio mea: quam ad hunc Liuij locum velim pertingere, lib. XXXIX. *Aquam publicam omnem, in priuatum ædificium fluentem aut agrum, ademerunt: & quæ in loca publica inædificata immolitáue priuati habebant, intra dies* XXX. *demoliti ſunt.* ſcribique, *inædificata, inolitáue.* Agellius lib. XII. *Natura, quæ nos genuit, induit nobis inoleuítque amorem noſtri & caritatem.* Etſi Immoliendi etiam verbum ſpernam haud vſquequaque. Videntur ſanè ea verba ſolemnia in legibus ad vetandum, nequid ædium priuatarum, neu quid arborum, in loco publico eſſet.

CAPVT

## CAPVT XVI.

*Ex Annæi Senecæ Epiſtolis complures loci. Ladas curſor. Exſaniare. De Turdo, prouerbium. Oculiſera. & alia plura.*

LEGEBAMVS nuper Annæi Senecæ librum, qui Epiſtolarum inſcriptus eſt; & compluria in eo offendimus digna nota, nec notata prioribus Ariſtarchis. Ea ego hoc capite, non diſtinctè nec per partes, ſed vna, quod dicitur, pertica admetiar.

Epiſtola LXXXIIII.

*Marcum Antonium quæ alia res perdidit, & in externos mores ac vitia non Romana traiecit, quàm ebrietas? Nec minor vino Cleopatræ amor. Hæc illum res hoſtem reip. hæc hoſtibus ſuis imparem reddidit, hæc crudelem fecit, cùm capita principum ciuitatis cœnanti referrentur, cùm inter apparatiſſimas epulas luxuſq; regales ora ac manus proſcriptorũ recognoſceret, cùm vino grauis, ſitiret tamẽ ſanguinem. Intolerabile erat quod ebrius faciebat, ſi ſobrius faceret: quanto intolerabilius, quod hæc ipſa in ebrietate faciebat?*

*De M. Antonio acutus locus.*

Diſertus locus; vt Seneca in reprehenſionibus plerumque. Poſtrema nulli rei, quæ emendo, *Intolerabile erat quod ebrius fiebat: quanto intolerabilius, quod hæc ipſa i. e. faciebat?* Præiuit mihi vnicus liber, in quo veſtigium non eſt peſſimarum vocum quas eieci. Sententia patet. Intolerabilis, in Antonio, & in Triumuiro reip. conſtituendæ, ebrietas: quanto intolerabilior in ebrietate crudelitas?

Epiſt. LXXXVI.

*Quantulum autem ſapienti damus, ſi imbecillimis fortior eſt, & mæſtiſſimis lætior, & effrenatiſſimis moderatior, & humillimis maior? Quid ſi miretur velocitatem ſuam laudans, ad claudos debiléſque reſpiciens?*

*Ladas curſor.*

Noli dubitare quin ſcripſerit, *velocitatem ſuam Ladas*. Ladæ curſoris prouerbio celebrata velocitas eſt: & per hanc vocem vide quàm acutior ſenſus.

Epiſt. LXXXVII.

*At nunc quis eſt, qui ſic lauari ſuſtineat? pauper ſibi videtur ac ſordidus, niſi parietes magnis & pretioſis orbibus refulſerint, niſi Alexandrina marmora Numidicis cruſtis diſtincta ſint, niſi Thaſius lapis, quondam rarum in aliquo ſpectaculum templo, piſcinas noſtras circumdederit, in quas multa ſudatione corpora noſtra exinanita demittimus.*

*Exſaniare, proba vox.*

Verbum vetus præferunt aliquot mei libri, *corpora noſtra exſaniata*. Exſaniare, ſaniem tollere. Celſus de morſu rabidi canis, *Sal enim exſaniat.* Indubiè Seneca ita ſcripſit: & reuocandum in vſum probiſſimum verbum.

*Seneca alibi emendatus. Mos ſudandi in balneis ſiccis.*

Simile mendum in hac ſanie, apud eumdem ſcriptorem, Epiſtola XCVI. *Et antiqui medici neſciebant dare cibum ſæpius, & vino fulcire venas cadentes: neſciebant ſanguinem emittere, & diutinam ægrotationem balneo ſudoribúſque laxare.* Legendum, *ſaniem emittere*, & referendum ad hunc morem in balneis ſudandi. Seneca alibi, *Quid mihi cum iſtis calentibus ſtagnis? quid cum ſudatoriis, in quæ ſiccus vapor corpora exhauſturus includitur?* Sanguinis miſſionem qui ignaram putat medicis antiquis: dignus cui ipſi ſanguis, ſed è capite, mittatur.

Epiſtola



Epiſtola XXII.

*Interim, quod primum eſt, impedire te noli; contentus eſto negotiis in quæ deſcendiſti, vel quod videri poteſt maius, incidiſti. Non eſt quod ad vlteriora nitaris, aut perdes excuſationem, & apparebit te non incidiſſe.*

*Gloſſema remotum.*

Libris aliquot abeſt, τὸ *poteſt*. Irrepſit, & omnino ſcribe, *vel, quod videri mauis, incidiſti.* Acutè luſit in vocibus Deſcendere & Incidere. Clara res ex ſequentibus.

Epiſtola LVI.

*De villa Vatiæ loci duo.*

*Speluncæ ſunt duæ magni operis, laxo atrio, paries manufactus: quarum altera ſolem non recipit, altera vſque in Occidentem tenet.*

Et ſtatim,

*Has laudes eius ipſe noui: nunc eſſe illas totius anni credo. Occurrit enim Fauonio, & illum adeò excipit, vt Baias neget.*

Deſcriptio eſt villæ Seruilij Vatiæ. Prima lego, *laxo atrio, pares manufactis.* Speluncas enim natiuas fuiſſe vult, ſed tam eleganti ingenio loci, vt prouocarè poſſent omnes manufactas. Poſteriora in mſs. reperio, *ipſe noui: eſſe illam totius anni credo.* Optimè, ſi ſcribas, *eſſe villam.* & infrà, *vt Baiis neget.*

Epiſtola LXVI.

*In locum ſtili ſermo ſucceſſit: ex quo eam partem ad te perferam quæ in lite eſt. te arbitrum adduximus: plus negotij habes, quàm exiſtimas.*

*Priſca phraſis repoſita.*

Repone phraſin fori veteris, *te arbitrum adigimus*. quæ nota iam ex Cicerone & Ic^tis^.

Epiſt. LXXXVII.

*Hæc ſi nimium triſtia tibi videbuntur, villæ imputabis. in qua didici ab Ægialo, diligentiſſimo patrefamilias, quamuis vetus arbuſtum poſſe transferri. Hoc nobis ſenibus diſcere neceſſarium eſt, quorum nemo non oliuetum alteri ponit. Quod vidi, hoc dico: illud arbuſtum trimum & quadrimum haud faſtidiendi fructus autumo.*

*Depone, te quoque proteget illa, quæ*
*Tarda venit ſeris factura nepotibus vmbram.*

*vt ait Virgilius noſter: qui non quid veriſſimè, ſed quid decentiſſimè diceretur, adſpexit: nec agricolas docere voluit, ſed legentes delectare. Nam, vt omnia alia tranſeam, hoc quod hodie mihi neceſſe fuit deprehendere, adſcribam:*

*Vere fabis ſatio eſt: tunc te quoque medica putres*
*Accipiunt ſulci, & milio venit annua cura.*

*Annuo tempore iſta ponenda ſunt: & an vtriuſque verna ſatio ſit, hinc æſtimes licet. Iunius menſis eſt, quo tibi ſcribo, iam procliuus in Iulium. Eodem die vidi fabam metentes, & milium ſerentes.*

*Virgilium Seneca reprehendit, non optimo iure.*

Longè diuerſam lectionem haurio ex libris: *Quod vidi hoc dico: illud arboretum trimum aut quadrimum faſtidienti fructus Autumno deponere. Te quoque p. i.* Ita mei manuſſ. niſi quod, *arborum*; vnde ego, *arboretum.* In ſequentibus prorſus lego, *An vno tempore iſta ponenda ſint.* & paullò antè, *reprehendere:* valdè appoſitè ad ſententiam. Ecce enim, vt libenter antiquos, ſic Virgilium hic noſter tangit, tamquam agrariæ rei parum peritum: quoniam ſcripſiſſet milium & fabam ſub idem tempus ſeri. Sed meherclè calumniatur, aut ludit iſte Socrates. Milium ex iis

Ee quæ

quæ trina tempeſtate anni ſeruntur, æſtate, hieme, vere: in Italia tamen plurimùm, æſtate. Quam ſolam ſationem hîc Seneca agnoſcit. At tu vide Plinium lib. XVIII. cap. VII. & liberabis facilè Virgilium huius culpæ.

Epiſt. XCVII.

*Hi qui iactantur, & per operoſa atq; ardua, ſurſum deorſum eunt, fortes viri ſunt, primoréſque caſtrorum. Iſti quos publica quies aliis laborantibus molliter habet, turturillæ ſunt, tuti contumeliæ cauſſa.*

*Obſcurus locus; ad illuſtrãdum aliqua coniectura.* Hærere in hac voce neceſſum eſt, qui nuſquam hærent. Pincianus, vir egregius & doctrina minimè ventoſa, legebat, *Tutilinæ ſunt*, alluſione ad Deam priſcam, cui nomen à tutando. Non conuenit. in vitium enim hæc Seneca dixit, non in laudem. Aptius fortaſſe ego, *Turdi illi ſunt.* Turdum reperio paullò ſupra eam ætatem hominem mollem, & infamis cuiuſdam ignauiæ. Quid autem, ſi nomen eius abiit in dictum vulgi? qualia quædam ex ima plebe ſcriptor hic aliâs vſurpat. Verba Senecæ patris ſunt libro IX. Controu. IIII. *Oppreſſi ſunt in templo ab omni multitudine, quæ poſtulabat vt Romam Sabinus cum Turdo proficiſceretur. Erat inter infames maximè & inuiſos homines Turdus. Cùm Turdus promitteret iturum ſe, Sabinus, ſilentio facto, ait, Ego ad Cæſarem non ſum iturus cum mattea.* Ex quibus clarum de infami mollitie huius Turdi. fortaſſe & tota illa cum Sabino actio cauſſam aut principium huic adagioni dedit. Et herclè tam magis cogito, tam magis probo.

Epiſtola CI.

*Deſit ſanè varietas marmorum, & conciſura aquarum à cuniculis interfluentium, & pauperis cella, & quidquid aliud luxuria miſcet.*

*Laquearia in ædibus.* Auſim legere, *conciſura laquearium cubiculis interſl.* Certè manuſſ. ferè, *cubiculis.*

Epiſtola CIII.

*Magna & generoſa res eſt humanus animus: nullos niſi communes cum Deo ſibi poni terminos patitur. Primum humilem non accipit patriam, Epheſum aut Alexandriam, aut ſi quod eſt etiamnum frequentius, oculis lætius vectis ſolum.*

Emendo, *frequentius incolis, lætius tectis ſolum.* Hæc ſanè opidorum ornamenta; multitudo ciuium, amœnitas ædificiorum.

Epiſtola CIX.

*Cùm ad hanc eandem lectionem philologus acceſſit, hoc ſubnotat, duos Romanos reges eſſe, quorum alter patrem non habet, alter matrem. Nam de Seruij matre dubitatur: Anci pater Marcius Numæ nepos dicitur.*

*Ex hiſtoria Seneca correctus.* Veruecium caput, quiſquis corrupit. Nónne aduerſum mentem Senecæ diſertè iſta? Negabat alterum regem, id eſt Ancum, patrem habuiſſe: ecce nominat Marcium. Diſcant à me & à libris ſcribendum, *Anci pater nullus, Numæ nepos dicitur.* Nam Anci Marcij pater ambigitur: ſatis habent Liuius & Dionyſius dixiſſe Numæ nepotem.

Epiſt. XXXIII.

*Continuum eſt apud noſtros, quidquid apud alios excerpitur. Non habemus itaque iſta odorifera, nec emptorem decipimus, nihil inuenturum cùm intrauerit præter ea quæ in fronte ſuſpenſa ſunt.*

Nouum, ſed idoneum planè verbum ſuggerunt libri, *iſta oculifera.* vel, vt Modius noſter repperit; *ocliferia.* Germana lectio. Sic appellat ſignificanter, illa quæ ad ſpeciem in fronte tabernarum cum titulis exponunt: quæ incurrunt in tranſeuntium oculos, & emptorem alliciunt. *Oculifera, noua & nõ inſcita vox.* Eiuſmodi, inquit, inuitamenta in noſtra ſecta Stoica non reperies. Cumulaui hoc capite plura; nec pœnitet. rem enim dedi. Pœnitet popularium aliquot adoleſcentium meorum, qui Lectori, poſt magnifica promiſſa, non aliud quàm nugas diuendunt, & nebulas in pariete pictas. Si ſic pergitur: quod Domitius Afer in re ſimili, non meritò ego dicam? *Centumuiri, hoc artificium periit.*



## CAPVT XVII.

*De lecto Aduerſo, planè & dilucidè dictum. Laberius & Spartianus correctus. Horatius illuſtratus. Item occultior mos texendi in atrio telas.*

DVPLEX mos apud Aſconium tangitur in Miloniana enarratione: de quorum altero, non omnia dicta ſunt; de altero, quod ſciam, nihil. Quem vtrumque hoc capite clariorem faciam,

*Quàm ſolis eſſe radij, cùm ſudum eſt, ſolent.*

Verba Aſconij ſunt: *Deinde omni vi, ianua expugnata, & imagines maiorum deiecerunt, & lectulum aduerſum vxoris eius Corneliæ, cuius caſtitas pro exemplo habita eſt, fregerunt: itémque telas, quæ ex veteri more, in atrio texebantur, diruerunt.* Quæritur de Lecto aduerſo. ego cenſeo eumdem prorſus fuiſſe cum lecto Geniali. *Lectus aduerſus idẽ cum Geniali.* Nouæ nuptæ lectus ſternebatur magnifico apparatu, quem Catullus deſcripſit, & Lucanus in II.

*——— gradibúſque acclinis eburnis*
*Stat thorus, & picto veſtes diſcriminat auro.*

Is lectus in nuptiis ipſis, Genialis dicebatur: vel quia Genio & Iunoni ſacer; vel ominis cauſſa, à genendo. Arnobius, *Cùm in matrimonium conuenitis, toga ſternitis lectulos, & maritorum Genios aduocatis.*

Iuuenalis,

*——— Tyriúſque palam Genialis in hortis*
*Sternitur. ———*

At poſt nuptias, idem mutato nomine plerumque, aduerſus; vel etiam Genialis. *Situs lecti Genialis, & cur Aduerſus dictus.* Cauſſa alterius nominis, quòd hunc lectulum religioſè ſeruari mos fuit, & in atrio collocari, ianuæ exaduerſum. ſcilicet coniugij monumentum, & quaſi pignus. Ab ea poſitura, lectus Aduerſus.

Laberius,

*Laberij verſus correcti.*

*Nunc lentus es tu, nunc tu ſúſque déque fers.*
*Materfamilias tua in lecto aduerſo ſedet,*
*Seruos ſexcentis verbis nefariis vtitur.*

ſic eos verſus apud Agellium lego, expleto vltimo auctoribus libris. Seruos pro Seruus. Cuique autem matronæ ſuus hic lectus; & in nouo coniugio, nouus. Cicero pro A. Cluentio: *Lectum illum Genialem, quem biennio antè filiæ ſuæ nubenti ſtrauerat, in eadem domo ſibi ornari ac ſterni, expulſa atque exturbata filia iubet.*

 Pro-

Propertius.

*Noua vxore, nouus Genialis lectus:*

*Seu tamen aduerſum mutarit ianua lectum,*
*Sederit & noſtro cauta nouerca thoro:*

Idem erat, ſi dixiſſet, Lectum Genialem. Ducta enim vxore alia, nouus Genialis lectus: & is poſt nuptias, Aduerſus. Quòd ſeruarint hunc Genialem lectum, diſcimus ex Lampridij Alexandro. qui inter omina imperij ponit, *quòd tabula Traiani Imperatoris, quæ Geniali lecto patris imminebat, dum mater eum in templo pareret, in lectum decidit.* Ecce. diu poſt coniugium iſta: & tamen mentio lecti Genialis. Nec alium intellegere eſt, quàm hunc Aduerſum qui in atrio: vbi item imagines magnorum virorum ponebantur. Sed quod ait, *Geniali lecto patris;* videndum ne potius ſit, *lecto matris.* Lectulos enim iſtos matronis adtribui, non maritis, perpetua obſeruatio eſt: & id clarum ex locis quos adduxi. De eodem lectô capio Horatij illud,

*Is ſeruari ſolitus.*

*Lampridij non certa lectio.*

*Horatius explicatus.*

——*lectus Genialis in aula eſt?*
*Nil ait eſſe prius, melius nil cælibe vita.*

Tenebroſum ſanè locum, niſi lucem capiat ab hoc ritu. Coniugij veriſſimum & proprium ſignum lectus Aduerſus. ideò Poëta ſignum pro re vſurpans, Age, inquit, maritus eſt quiſpiam? lectum Genialem in atrio adſpicit? malit cælebs eſſe, & tædium fatetur eius vitæ. Quàm aptum autem ad hunc morem quod addit, in aula? Nam Aula profectò hîc atrium. Gloſſæ priſcæ, αὐλὴ, *atrium.* Addo iam dictis, hunc lectum non tam ad vſum, quàm ad religionem ſeruatum fuiſſe: aut ſi ad vſum, non promiſcuum coniugum, ſed matronarum tantùm, quæ in eo ſolitæ ſedere, & operas eas edere quas nunc dicam.

*Aula propriè, idem quod Atrium.*

*Matronæ ſedebant in lecto Aduerſo.*

Ideò bene Propertius,

*Sederit & noſtro cauta nouerca thoro.* & Laberius,
*Materfamilias tua in lecto aduerſo ſedet.*

*Mos texendi in atrio telas.*

Tranſeo ad morem alterum, qui eſt de texendis in atrio telis. Eum ſic explico: Lanificium Romanis antiquis impenſæ curæ. docent nuptiæ, in quibus ſponſæ colus præferebatur cum lana; cingulum erat è lana; poſtes velati lana; omnia videlicet ſigna & indicia matronis operæ futuræ. Lanam enim domi ſedulò exercebant, telam texebant, cõficiebant veſtem. Et hæc omnia matronæ etiam primi ordinis. Laudabile herclè, ſi quod aliud Romæ, inſtitutum: cuius tamen ignoratio anſam quibuſdam præbuit mutandi Suetoniani loci in Auguſto cap. LXXIII. *Veſte non temerè alia quàm domeſtica vſus eſt, ab vxore, & ſorore, & filia neptibúſque confecta.* Tentarunt enim legere, *Veſte non temerè alia domeſtica vſus eſt, quàm ab vxore.* ad diſcrimen, inquiunt, Forenſium, quas putant ſumpſiſſe eum, credo, extraneo aliquo vendente. Errant. ego non imminuo laudem Auguſti: & veriſimile optimum patremfamiliâs ſeruaſſe domi morem antiquum, vt feminæ lanam traherent & facerent veſtem. Itaque eam domeſticam intellegit, quæ domi confecta. Indicat idem Suetonius cap. LXIIII. *Filiam & neptes,* inquit, *ita inſtituit vt & lanificio aſſuefaceret.* Nec miremur. Textrina enim, & quidquid ad perficiendam veſtem, olim muliebre opus. Eiuſmodi igitur operas, nere, texere, ſuere, exerce-

*Lanificium & textrina Rom. mulierum.*

*Suetonius explicatus.*



exercebant in primore parte ædium, id eſt, in atrio: ſcilicet ad teſtificandam diligẽtiam ſuam, ſiue ad exemplum. Arnobius aduerſum Gentes libro II. *Matresfamilias veſtræ in atriis operantur domorum, induſtrias teſtificantes ſuas.* Aemilius Probus in Præfatione, *Quem enim Romanorum pudet vxorem ducere in conuiuium? aut cuius materfamilias non primum locum tenet ædium, atque in celebritate verſatur?* Primum locum ædium, cape, atrium. De his igitur telis quas Cornelia cum ancillis texebat, intellego loqui Aſconium. Aſconium, quem ſcripſiſſe temporibus Claudij Imp. ſcio, & perfamiliarem fuiſſe Silio Italico poëtæ. qui haud dubiè ad gratiam amici ſui inſeruit duodecimo Punicorum hos verſus:

*Et Arnobius.*

*Itẽ Aemilius.*

*Aetas, obiter, Aſconij; & Silij de eo elegãs elogium.*

*Polydamantæis iuuenis Pedianus in armis*
*Bella agitabat atrox; Troianáque ſemina & ortus,*
*Atque Antenorea ſeſe de ſtirpe ferebat.*
*Haud leuior generis fama: ſacróque Timauo*
*Gloria, & Euganeis dilectum nomen in oris.*
*Huic pater Eridanus, Venetæque ex ordine gentes,*
*Aque Apono gaudens populus. ſeu bella cieret,*
*Seu Muſas, placidus: doctæque ſilentia vitæ*
*Mallet, & Aonios plectro mulcere labores.*

Quibus argutè ſanè, & quaſi aliud tractans, mores, patriam, ingenium, huius Aſconij deſcripſit. quod in aliis factitaſſe eum reperio aliquot præterea locis.

## CAPVT XVIII.

*Appuleius variè correctus. De clauis in cruce. Plauti verſus emendatus, & Martialis. Mos tangendi oculos. Iuſiurandi etymon. Principes Africæ. Appuleius non ſeruus.*

APPVLEII grauiora quędam intexere huic capiti conſtitui, & hanc operam gratificari doctis. Tantùm doctis. quos magni facere ſcriptorem illum, & multa haurire cottidie ex eius fontibus, ſatis mihi conſtat. At vos Tulliani pueri, Bonum factum, ſi hoc caput non tangetis.

Lib. III. Mileſiarum:

*Inſtruxit feralem officinam omne genus aromatis, & ignorabiliter laminis litteratis, & infelicium nauium durantibus clauis defletorum, ſepultorum etiam cadauerum expoſitis multis admodum membris: hîc nares & digiti, illic carnoſi claui pendentium: alibi trucidatorum ſeruatus cruor, & extorta dentibus ferarum trunca caluaria.*

De officina illa magica loquitur, & eius ornamentis. Initio ſcripſerim, *infelicium manium durantibus caluis.* Calua, κράνιον apud Liuium & Caprum grammaticum. In clauis pendentium qui ſequuntur, ridiculus eſt Beroaldus. Intellegit vlcera illa vel tuberculos, qui pedibus innaſcuntur, cum magna moleſtia ingredientium: qui medicis Clauiculi & Claui. Cor Ariſtarchi! Nos ſcimus Appuleium de clauis eorum loqui, qui in cruce mortui: ad quam ſuffigi corpora ſolent quaternis clauis.

*Calua mortuorũ.*

*Claui pendentium: in iis error Beroaldi.*

*Quot claui in cruce, olim.*

Plautus, Moſtellaria,

*Ego dabo ei talentum, primus qui in crucem excucurrerit:*
*Sed ea lege vt offigantur bis pedes, bis brachia.*

Seneca, De Vita beata, cap. XIX. *Cùm refigere ſe crucibus ſuis conentur, in quas vnuſquiſque clauos ſuos adiicit.* Plinius lib. XXVIII. cap. IIII. *Item in quartanis fragmentum claui à cruce, inuolutum lana, collo ſubnectunt.*

*Transfigi manus & pedes ſoliti.*

Transfigi autem in ſeruili illo ſupplicio manus & pedes ſolere, docent ſacræ hiſtoriæ: & Appuleius clarè lib. IIII. *Paullatim Chryſeros adrepit, grandíque clauo manũ ducis noſtri, repentè nixu fortiſſimo, ad oſtij tabulam adfigit, & exitiabili nexu patibulum relinquit.* Patibulum, id eſt, ita adfixum quemadmodum in patibulo ſontes ſolet. Eadem ſignificatione Plautus dixerat Carbonaria, *Patibulus ferar per vrbem, deinde ſuffigar cruci.* Agnoſcit enim Nonius Patibulum ibi genere maſculino. Tamen in vulgatis eius libris ſcribitur, *Patibulum ferat per vrbem*: vt ſentio, mendoſè; niſi tamen ſcribas, *ſuffigat cruci.* ita recidet res eòdem. Clauos igitur pendentium in cruce, intellegit ſcriptor Mileſius: & ideò rectè additum, carnoſi.

*Nonius correctus.*

*Claui in ſuſpendioſis.*

Aliâs, clauos etiam reperies in ſuſpendioſis: ad quos alligabant ſcilicet reſtim. Inſcriptio vetus, ATIMETO. LIB. CVIVS. DOLO. FILIAM. AMISI. RESTEM. ET. CLAVOM. VNDE. SIBI. COLLVM. ALLIGET. Ammianus: *Repertúmque funiculum, quem finiendæ vitæ parauère caſus, de clauo parieti affixo ſuſpendit.* Simile illud legatum fuit apud Martialem, lib. IIII.

*Coniectura in Martialis verſu.*

*Nihil Amiano præter aridam reſtem*
*Moriens reliquit vltimis pater ceris.*

Reſtem enim lego, non veſtem, vt vulgus interpretum ſine argutia vlla.

Redeo ad Appuleium, qui eodem libro ait,

*Tandem denique reuerſus ad ſenſum præſentium, arrepta manu Fotidis, & admota luminibus meis: Patere oro te, inquam, dum dictat occaſio, magno & ſingulari me affectionis tuæ fructu perfrui, & impartire nobis vrctulum indidem, per iſtas tuas papillas, mea mellitula, tuúmque mancipium irremunerabili beneficio tibi perpetuò pignora.*

*Mos tangendi oculos in obteſtatione.*

Lego, *per iſtas tuas pupillas.* Modus rogandi per oculos ſatis notus: vti & iurandi, ex Petronio, Propertio, Plauto. Eum ergo hic reſtituamus, maximè cùm præceſſerit, *admota luminibus meis manu.*

Lib. I. Floridorum, ab initio,

*Vt fermè religioſis viantium moris eſt, cùm aliquis lucus aut locus ſanctus in via oblatus eſt, votum poſtulare, portum apponere, paulliſper adſidere.*

*Donum apponere in via.*

Priſca ſcriptura, *pomum apponere.* Facio ego, *donum.* ſuadente Appuleio ipſo in Apologia I. *Similiter ſi poſueris donum aliquod, ſi ſacrificaueris, ſi verbenam ſumpſeris.* Florid. IIII.

*Eorum ego ſermonem ratus & vobis auditu gratiſſimum, & mihi compoſitè congruentem: & dedicatur religio ſummo in principio libri ratio, quendam ex his qui mihi Athenis condidicère percontari à Perſio Græcè. &c.*

Nihil poteſt corruptius. Emendo, *& vobis auditu gratiſſimum, & mihi compoſitu congruentem, & dedicatu religioſum; in principio libri facio quendam ex his,* &c. De Dialogo ſuo loquitur, & cauſſis eius componendi: & facio



*Dialogus quidã Appuleij, & eius principium.*

facio, inquit, in principio loquentes tales & tales. Non Æſculapius melius huic loco fecerit medicinam.

Libello, De Deo Socratis,

*Si nemo huic capiti crediderit, quis pro te deus fidem dicet? An vt ferociſſimo Mezentio dextra & telum quod miſſile libro? Apageſis tam cruentos deos, dextram cædibus feſſam, & telum ſanguine rubiginoſum. Vtrumque idoneum non eſt per quod adiures, vt'ue per iſta iurent, cùm ſit ſummi deorum hic honor proprius: Nam & iuſiurandum dicitur, vt ait Ennius. Quid igitur iurabo? per Iouem lapidem Romano ritu?*

*Iuſiurandi ſubtile etymon.*

Dicit iuſiurandum ſummi deorum eſſe proprium: & id verbis Ennij probatum vult. Vbi ergo illa? Nam quæ ſequuntur, nihil ad eam ſententiam. Cenſeo ſcribendum, *Nam & Iouis iurandum dicitur, vt ait Ennius.* Iurandum per Iouem eſſe, id eſt ſummum deorum, à verbo ipſo colligit: quia formata vox quaſi Iouiſiurandum ſit. Ennij verſum quem intellegit, ecce apud Ciceronem, *Fides alma, apta pennis, iurandum Iouis.* Potuiſſet etiam adducere Næuij verſum, *Ius ſacratum Iouis iurandum ſagmine.* Notetur ego nouitas & argutia huius etymi.

Ibidem, infrà,

*Neque enim pro maieſtate deûm cæleſtium fuerit, vt eorum quiſquam vel Annibali ſomnium pingat, vel Flaminio hoſtiam corrodat, vel Accio Nauio cotificet, vel Sibyllæ fatiloquia verſificet.*

*Reiectum barbarum verbum.*

Noli ambigere quin ſcripſerit, *vel Attio Nauio cotim ſicet:* antiquè, pro ſecet. Inde monſtrum verbi propagatum in omnes libros.

Initio libri III. Florid.

*Priuſquam vobis occipiam, Principes Auguſti, gratias agere, ob ſtatuã quam mihi præſenti honeſtè poſtulaſtis.*

*Principes Africæ titulus proprius Carthaginienſis.*

Ad Carthaginienſes hæc dicuntur, in Carthagine vrbe: & vnde huc Principes Auguſti? Profectus ſanè Appuleius, ſi titulum regibus Romanis proprium tribuit ſuæ genti. Sed error ex notis. Scripſit, *Principes Af.* id erat, Africæ. Ea quidem legitima illo æuo appellatio Senatus populique Carthaginienſis. Tertullianus librum De Pallio orſus eſt, *Principes ſemper Africæ, viri Carthaginienſes.* Ipſe Appuleius infrà, *Is etiam laudator mihi apud Principes Africæ viros quodammodo exſtitit.*

Apol. I.

*Falſi, quòd leporem marinum eſſe dixerunt, qui alius omnino piſcis fuit, quem mihi Thenus conſeruus noſter medicinæ non ignarus, vt ex ipſo audiſti, vltrò adtulit ad inſpiciendum.*

*Non ſeruum Appuleius.*

Bilis mihi in naribus. Quid? Seruus vt fuerit Appuleius? Id enim, ſi quid ſapio, verba illa euincunt, *conſeruus noſter.* Nam conſerui, qui vnà ſeruiunt, vt condiſcipuli, conliberti. Crimen librariorum: & quo nunquam eos ſoluat Lua mater. Emendo libens, *Themiſon ſeruus noſter.* Nihil verius. Themiſones aliquot inter primores medicos: ideò medicorum pueri amabant id nomen. Iuuenal.

*Themiſon medicus.*

*Quot Themiſon ægros Autumno occiderit vno.*

At illi balathrones iterarunt hoc conuicium infrà, *Piſcem, inquiunt, cui rei niſi malæ, proſcidiſti, quem tibi Thenus conſeruus adtulit?* Pariter ſcriben-

ſcribendum, *Themiſon ſeruus.* Appuleius quidem tantum fuit à ſeruo, vt ſtirpem ſuam vbique iactet: patrem Theſeum II. virum Madaurenſem, proauum Plutarchum celebrans.

## CAPVT XIX.

### *De Lectica & Sella priſci ritus. Quando cœperint. Earum forma. diſcrimen. Catullus & Martialis explicati. Gracchus correctus, & Propertius. Variorum ſcriptorum loci explicati.*

LECTICÆ & Sellæ apud veteres frequens mentio, frequens vſus. Ego quæ de iis ſparſim legi, collecta vulgabo: & hoc genere ſcribendi pergam reddere obnoxiam mihi iuuentutem.

*Duplex lecticæ vſus.*

Lecticam apud Romanos comperior fuiſſe in duplici vſu, Ad mortuos ferendos, & Ad viuos. Ad mortuos, antiquus Romæ mos. & iam inde à regibus mortui in lectis efferebantur, ſiue in lecticis. Dionyſius lib. IIII. cadauer Lucretiæ efferri facit ἐπὶ κλίνης μέλασιν ἀμφίοις ἐστρωμένης, *in lectica nigris veſtibus inſtrata.* Et inter leges XII. fuit, *ne plures lecti ſternerentur vni.* Manſit is mos, quamdiu manſit res Romana. Aſconius, *Cadauer Clodij in via relictum Sex. Tedius Senator, qui fortè rure in vrbem reuertebatur, ſuſtulit, & lectica ſua Romam ferri iuſſit.* C. Gracchus diſertè, in verbis quæ mox reddam. Nepos in vita Attici: *Elatus eſt in lecticula, vt ipſe præſcripſerat, ſine vlla pompa funeris.* Tacitus III. Hiſtor. *Simul ferebatur lecticula paruulus filius, velut in funebrem pompam.* Atque hinc nati ioci aliquot Martiali, vt libro II. in Zoilum,

*Mortui, in lecticis.*

*Martialis aliquot epigrammata illuſtrata.*

> *Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit,*
> *Dum tamen hæc tua ſit, Zoile, ſandapila.*

Significat Zoilum in illa ipſa ſuperba & paucorũ hominum lectica ferri ad ſepulchrum: id eſt, nõ aliud eſſe, quàm, quod dicitur, viuum cadauer. Item libro VI.

> *Inuidioſa tibi quàm ſit lectica requiris?*
> *Non debes ferri mortuus hexaphoro.*

Iocus inde. Mortui honeſtiores lectica hexaphoro efferebantur: at tenuiores, ſandapila, cui ſubiuncti ſaltem homines quatuor. Poëta idem:

*Sandapila, hominum quattuor.*

> *Quattuor inſcripti portabant vile cadauer.*

Ait igitur, Tam indignè homines ferunt te iuuenem, te egenum, ferri hexaphoro; vt id vix paſſuri in mortuo videantur. quod tamen aliâs non inſuetum. Quia lectica mortuorum: in monumento M. Antonij Antij Lupi, quod exſtat etiam nunc via Hoſtienſi, ſculpta lectica cum puluino & corona cernitur; funebre ſcilicet ſignum.

*Sepulchrũ Antonij Antij: & cur ibi lectica.*

Ad viuos quando adhiberi lectica cœperit, ignoro. Plauti æuo, id eſt, ſub bellum Punicum ſecundum, nec in mulierum quidem vſu lecticæ fuerunt: nedum virorum. Argumento, quòd in Comœdiis eius nuſquam mentio: cùm aliâs non inuitus eiuſmodi delicias tangat ſæculi ſui. Argumento clariori, quòd in Aulularia, vbi ex profeſſo ineptias deſcribit mali ſexus; mulos, muliones, vehicula, plauſtra nominat, non mutit de lecticis. Sed & apud Liuium, in Oratione Catonis pro Lege Oppia,

*Lectica geſtandis viuis. Quando nõ fuerit.*



Oppia, inter poſtulata muliebria carpentum eſt feſtis profeſtiſque diebus, non lectica aut ſella: & Valerius Tribunus qui reſpondet, oſtendit turpe eſſe Latinas feminas carpento vehi, Romanas pedibus ſequi, *tamquam in illarum ciuitatibus*, ait, *non in ſua imperium ſit.* Non ergo viuorum tunc lectica. Et quamquam de initio callidè non ſcio: tamen veniſſe eas primum in vſum credo, poſt bellum Punicum, Aſia deuicta. Facio coniecturam, quòd in Bithynia & Cappadocia frequens lectica: & ideò probabile, inſtrumentum illud luxuriæ & deſidiæ inde tranſlatum Romam. Fauere coniecturæ meæ verſus Catulli videntur, originem lecticarum referentis ad Bithynos,

*Quando fuerit, & vbi inuenta.*

*Catulli aliim intellectus.*

> *At certè tamen, inquiit, quod illic*
> *Natum dicitur eſſe, comparaſti*
> *Ad lecticam homines.*

Apparet enim eum dicere lecticas natas in Bithynia & inuentas. Et facit huic ſententiæ Cicero, lib. V. in Verrem: *Nam vt mos fuit Bithyniæ regibus, lectica octophoro ferebatur.* Quidquid de Bithynia ſit, ex his C. Gracchi verbis (nec aliud ſanè veſtigium lecticæ apud ſcriptores eſt vetuſtius; ſi rectè litaui deæ Monetæ) clarè colligo nec vetuſtam nimis lecticam id ætatis fuiſſe, nec frequentem. *His annis*, inquit, *paucis ex Aſia* (noli cunctanter ſcribere, *in Aſiam*, flagitante ſenſu) *miſſus eſt qui per id tempus magiſtratum non ceperat, homo adoleſcens pro legato. Is in lectica ferebatur. ei obuiam bubulcus de plebe Venuſina aduenit: & cùm ignoraret qui ferretur, per iocum interrogauit num mortuum ferrent?* Ecce nónne quaſi delicias eas reprehẽdens obiicit Gracchus? & propter inſolentiam rei, de mortuo ſuſpicatus eſt bubulcus? At neutrum fuiſſet, ſi, pariter ac poſtea, frequens tunc lectica.

*Antiquiſſima mentio lecticæ.*

*Gracchus apud Agell. correctus, explicatus.*

Hactenus de origine ſcio: dicam aliquid de progreſſu. Vſus lecticæ primus in agris, non in vrbe. Vtebantur enim, vt obſeruo, ad iter tantùm: non ad deſidiam vrbanam. Itaque in peregrinationibus frequens mentio lecticæ: nulla, quod ſciam, in vrbe, ante ætatem Ciceronis. Illa ipſa Catulliana mulier lectica ferri petit ad Serapis. at Serapæum tunc extra vrbem. Tamen vicerunt deliciæ, & ſub tempora Iulij Cæſaris recepta lectica in vrbem: ſcilicet corruptis moribus, & per bella ciuilia impunito luxu. Ita Cæſarem ipſum lectica latum per vrbem, colligo ex Ciceronis verbis Philip. II. quæ vſui mihi erunt infrà: & amicos Antonij cum lecticis ad curiam veniſſe, in quibus ſcuta reconderent, auctor idem Cicero non vno loco. Vulgatæque iam lecticæ in feminas, in viros, in omnes ordines: donec animum iterum reip. aduertens Cæſar, in parte reſtituit morem pedibus eundi antiquum. Suetonius hoc voluit in Iulio, cap. XLIII. *Lecticarum vſum, item conchyliatæ veſtis & margaritarum, niſi certis perſonis & ætatibus, pérque certos dies, ademit.* Et, qui Suetonio dat lucem, Euſebius in Chronicis: *Prohibitæ*, ait, *lecticis vti margaritiſque, quæ nec viros nec liberos haberent, & minores eſſent annis quadraginta.* Nollem artaſſet Euſebius hoc interdictum ad feminas: ego ſcio pertinuiſſe etiam ad viros. quà de lecticis quidem eſt. Et fortaſſe vetuit Cæſar lecticis vti, niſi Senatores aut ſenes. Certè vetitæ

*Lectica, primò ad viam.*

*Poſtea admiſſa in vrbem.*

*Cæſaris interdictum de promiſcuo eius vſu.*



BIBLIOT

in ſeruis & libertis. ex Suetonij Claud. cap. XXVIII. qui vt rem nouam narrat, quod *Harpocræ liberto, lectica per vrbem vehendi ſpectaculáque publicè edendi ius tribuerit.* Id autem edictum Cæſar concepit, cùm Cleopatra vrbem ingreſſa eſſet, magno comitatu & regio luxu. ſed non habuit vires. Paullò pòſt enim promiſcuæ iterum in vrbe lecticæ; & ab Auguſti temporibus credo eas non ſolùm ſine pœna fuiſſe, ſed etiam ſine lege. Nihil enim tam obuium in omni hiſtoria temporum illorum, quàm vrbanæ lecticæ: niſi quòd Domitianus Imperator, *Vſum lecticarum probroſis feminis ademit,* notante Suetonio, cap. VIII.

*Id nō diuturnum.*

*Lectica duplex. Aperta, quæ forma.*

Addam nunc & lecticæ formam: quæ duplex, alia Aperta, alia Tecta. Apertæ, forma ſimplex, aſſeres aliquot compacti, qui capere puluinum oblongum poſſent, in quo homo ſingularis porrectus iaceret. Ad ſummam non aliud quàm modicus quaſi lectus. Diſco facilè ex ſcalptura veteris illius monumenti: præterea ex ſcriptoribus, quorum loca adducam lucis cauſſa. Aſſerum in lectica mentio Iuuenali Sat. II.

*Aſſeres lecticarij.*

*——ferit hic cubito, ferit aſſere duro*
*Alter.——* & Sat. VII.
*Pérque forum iuuenes longo premit aſſere Medos.*

vbi aſſerem, pro ipſa lectica dixit: vti & Martialis,

*Vt Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.*

Suetonius in Caligula, cap. LVIII. *Ad primum tumultum lecticarij cum aſſeribus in auxilium accurrerunt.* Ex quo loco, non vanè quis ſuſpicetur aſſeres eos exemptiles fuiſſe, & facilè in lecticam reponi potuiſſe aut tolli. Eò magis, quòd vinculorum aliquotiens mentio, quibus lectica colligata. Gracchus: *Vbi audiuit, lecticam deponi iuſſit: ſtuppis quibus lectica deligata erat, vſque adeò verberari iuſſit, dum animam efflauit.* Martialis,

*Vincla in lectica.*

*Quem grex togatus ſequitur & capillatus,*
*Recénſque ſella linteiſque loriſque.*

Puluinum in lectica, adſtruo ex Cicerone, vt in Verrem: *Lectica octophoro ferebatur, in qua erat puluinus perlucidus, roſa farctus.* Ait, roſa farctus: at Iuuenalis pluma, quod magis ex more vulgi.

*Puluinus item.*

*Qui dedit ergo tribus patruis aconita, vehatur*
*Penſilibus plumis, atque illinc deſpiciat nos.*

Indignatur enim ſceleſtum illum ſublimem & ſuperbum ferri in lectica. De puluino etiam Seneca, De Conſolat. ad Martiam, cap. XVI. *Equeſtri inſidens ſtatuæ in ſacra via celeberrimo vrbis loco Cloelia, exprobrat iuuenibus noſtris puluinum aſcendentibus, in ea illos vrbe ſic ingredi, in qua etiam feminas equo donauimus.* Eleganter. nam intellegit eos aſcendere lecticam, in qua puluinus. Sed & pedes quidam breuiores ad infimam lecticam; quos intellexit Catullus,

*Seneca explicatus. Pedes lecticæ.*

*Fractum qui veteris pedem grabati*
*In collo ſibi collocare poſſet.*

Et Athenæus lib. V. cap. X. Athenionis philoſophi lecticam deſcribit pedibus argenteis, vel, vt eius verba ſunt, φορεῖον ἀργυρόπουν. His pedibus lectica



lectica depoſita inſiſtebat. Vide exempla in Suetonij Auguſto, cap. LXXVIII. & XCIIII.

*Lecticæ tectæ forma.*

Eadem omnia in lectica tecta. niſi quòd hæc maiorum deliciarum fuit, contráque aſpectum hominum ſiue iniurias aëris clauſa vndique & munita. Ideò *Cubiculum tectum* Plinius Nepos alibi in Epiſtolis dixit: & auunculus *Cubicula viatoria*, niſi fallor, lib. XXXVII. Hiſtor. Natur. cap. II. cùm Neronem ait *ſceptra, & perſonas, & cubicula viatoria vnionibus conſtruxiſſe.* Munita autem pelle & velo: opere arcuato, planè ad eum modum quem aſpicimus hodiè in Italica rheda. Pellis mentio Martiali,

*Pellis in lectica.*

*Non te cucullis aſſeret caput tectum,*
*Lectica nec te tuta pelle velóque.*

Et ſcriptori incerto apud Suidam: πλέγμα ποιήσαντες, φορείων τύπῳ γυναικείων, δέρμασι βοείοις ἐπιπλάσαντες ἀκατεργάστοις. qui de lectica aliqua militari & ſubita locutus videtur, coriis boum ad formam lecticæ muliebris intecta. Opus arcuatum eruo ex Taciti verbis lib. XV. *Cùm ad eoſdem cruciatus retraheretur geſtamine ſellæ; vinclo faſciæ quam pectori detraxerat in modum laquei ad arcum ſellæ reſtricto, indidit ceruicem, & corporis pondere conniſa tenuem iam ſpiritum expreſſit.* Clauſa igitur vndique hæc lectica. niſi quòd feneſtræ quædam in ea ad proſpectum. Iuuenalis,

*Lectica arcuata. Tacitus illuſtratus.*

*Feneſtræ eius.*

*Namque facit ſomnum clauſa lectica feneſtra.*

Eæ ipſæ velo ſiue linteo tegebantur, quod dimouere licebat ſeu adducere, pro voluntate vehentis. Aufidius Baſſus, de morte Ciceronis: *Cicero paullum remoto velo, poſtquam armatos vidit: ego verò conſiſto, ait. accede veterane, & ſi hoc potes ſaltem rectè facere, incide ceruicem.* Nam in lectica, & quidem tecta, Cicero interfectus. Eiuſmodi vela ad feneſtras oppanſa, Plagulas Suetonius appellat in Tito, cap. X. *Deinde ad primam ſtatim manſionem febrim nactus, cùm inde lectica transferretur, ſuſpexiſſe dicitur dimotis plagulis cælum, multúmque conqueſtus eripi vitam ſibi immerenti.* Nonius, *Plagæ grande linteum tegmen, quod nunc torale, vel lecticariam ſindonem dicimus;* quarum diminutiuum eſt plagulæ. Lecticam hanc tectam intellexit Iuuenalis,

*Velum in ea.*

*Plagulæ lecticariæ.*

*Suetonius & Iuuenalis explicatus.*

*Quæ vehitur clauſo latis ſpecularibus antro.*

Fortaſſe & Propertius, cuius verſus eſt ambiguæ ſanitatis libro IIII.

*Colla caue inflectas ad ſummum obliqua theatrum,*
*Nec lectica tuæ ſidat aperta moræ.*

cui auſim mederi, *ſit adoperta moræ.* hac ſententia: Nolo, inquit Cynthia, collum flectas ad ſummam caueam, vbi feminæ: nolo etiam lectica per viam te moretur clauſa; ne curioſè inſpicias, quæ aut qualis vehatur. De ſententia non ambigo: turbat me leuiter ſyllabæ modus, quam produxit præter morem pòëtarum. Quamquam mihi & exempla ſuppeditant licentiæ talis.

*De Propertij verſu coniectura.*

*Origo lecticæ tectæ.*

Clauſa lectica quando cœperit, non quærerem, niſi inducere multos poſſet Dionis locus. Ad eum prouidebo, ne quis impingat. Dio Caſſius lib. LX. de Claudio imperatore: Καὶ μέντοι καὶ δίφρῳ καταστέγῳ πρῶτος

πρῶτος Ῥωμαίων ἐχρήσατο, καὶ ἐξ ἐκείνου καὶ νῦν οὐχ ὅτι οἱ αὐτοκράτορες, ἀλλὰ καὶ ἡμεῖς οἱ ὑπατευκότες διφροφορούμεθα. πρότερον δὲ ἄρα ὅ, τε Αὔγουστος καὶ ὁ Τιβέριος, ἄλλοι τέ τινες ἐν σκιμποδίοις, ὁποίοις αἱ γυναῖκες ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε ἐφέροντο. Quæ verba ſic reddidit vir eruditus Xilander: *Primus hic inter Romanos lectica operta vſus eſt, ac inde ea non Imperatores modò, ſed etiam nos qui conſulatum geſſimus, vehimur. cùm antè Auguſtus & Tiberius lecticis tantùm geſtarentur, quibus noſtro tempore nonnumquam mulieres vehuntur.* Quid audio? lectica operta noua ætate Claudij? Primus ille inter Romanos ea vſus? Væ Dioni, ſi hæc ſcripſit. Nam mihi procliue eſt docere, Tectam in vſu fuiſſe iam inde à temporibus Iulianis. & in vſu dico frequenti. Ipſe Cæſar lectica tecta per vrbem latus: ex Cicerone Philippica II. *Quis vmquam apparitor,* inquit, *tam humilis, tam abiectus? nihil ipſe poterat, omnia rogabat. caput in auerſam lecticam inſerens, beneficia quæ venderet à collega petebat.* De Antonio & Cæſare ſermo eſt: illum ait caput inſeruiſſe in auerſam Cæſaris lecticam. quomodo autem id conuenit, niſi in Tectam? Suetonius in Iulio, cap. LXXI. *Maſintham nobilem iuuenem, & abſtrahentibus ſtatim eripuit, occultauitque apud ſe diu: & mox ex prætura proficiſcens in Hiſpaniam, inter officia ſtatim proſequentium, faſceſque lictorum lectica ſua auexit.* Ea ipſa occultatio Maſinthæ vix intelligi poteſt, niſi de Tecta. Quid muginor? Dioni repugnat ipſe Dio, in verbis quæ reddam infrà. Sed deriuanda profectò omnis hæc culpa à ſcriptore veteri eſt: in ſolum expetit Xylandrum, qui verba eius non peruidit. δίφρον καταστέγον ille vertit, lecticam opertam. Scilicet diſcrimen ignorauit apud Romanos inter Sellam & Lecticam: apud Græcos inter σκιμπόδιον & δίφρον. Id verba dedit homini docto. Diſcat à me iuuentus. Lectica inuenti veteris fuit: Sella, nouioris. Ideò Dio, qui diligens morum veterum, cum cura adnotatum voluit tempus, quo Sella venit in vſum. & id ait fuiſſe imperio Claudij, ipſo duce. Non dubiè iſta Dionis mens. Qui Græcè locuti propriè, σκιμπόδιον ſemper de lectica; δίφρον de ſella dixerunt; φορεῖον de vtroque. Nam σκιμπόδιον non aliud quàm grabatus: & grabati nomine ipſa lectica Catullo dicta,

*Latus error interpretis in Dionis verbis.*

*Reiectio falſæ illius interpretationis.*

*Diſcrimen inter Sellā & Lecticā.*

*Quid propriè σκιμπόδιον.*

*Fractum qui veteris pedem grabati.*

Interpres Ariſtophanis, τὸν κράβατον, σκίμποδα λέγουσιν ἀττικοί. οἱ δὲ φασι σκιμπόδιον. Itaque quod in Agellio legimus lib. XIX. *veniſſe eum ad Cornelium Frontonem, & offendiſſe cubantem in ſcimpodio Græcienſi.* non aliud quàm lecticulam capio, in qua Romano ritu etiam domi iacebant. Talem deſcripſit Suetonius in Auguſto, cap. LXXVIII. *A cœna ſe in lecticulam lucubratoriam recipiebat. ibi donec reſidua diurni actus conficeret, ad multam noctem permanebat.* Addo amplius, Lecticam tectam Dionis æuo prorſus exoleuiſſe, vix reliquo apud feminas primates eius vſu. Hoc ſciendum, ne quid iterum turbent verba eius libro LVII. de Archelao Cappadocum rege: ἐσχε γάρ τι κακῶς, δ᾽ ἐκεῖτο, ὥστε ἐν σκιμποδίῳ καταστέγῳ ἐς τὸ συνέδριον ἐσκομισθῆναι. νομιζόμενον γάρ που καὶ ταῖς ἀνδράσιν,

*Lectica domeſtica.*

*Lectica tecta Dionis ſæclo tantū apud primarias feminas.*

*Dio verè explicatus.*



δράσιν, ἥν ποτέ τις αὐτῶν ἀσθενῶς ἔχων ἐκεῖσε ἐσίοι, κατακείμενον αὐτὸν ἐσφέρεσθαι, καὶ τοῦτο καὶ ὁ Τιβέριος τότε ἐποίησε, καὶ διελέχθη γέ τινα ἐκ τοῦ σκιμποδίου προκύψας. En: Tiberij æuo, inquit, lectica tecta (vtitur voce σκιμποδίου) in vſu etiam viris fuit. Et quare hoc tam curioſè notat? ſcilicet quia aliter res erat eius ſæclo; & vicem Lecticæ Sella vſitata quà feminis, quà viris. Excipio tantùm vxores Senatorum. Clarè idem Dio, paullò ſupra eum locum quem adduxi, de Libone Druſo: νοσήσαντα δὲ ἐπὶ θάνατον ἐν τῷ σκιμποδίῳ καταστέγῳ, ὁποίῳ αἱ τῶν βουλευτῶν γυναῖκες χρῶνται, ἐς τὴν γερουσίαν ἐσεκόμισε. Hæc non tam anxiè notaret, niſi quia tunc id genus lecticæ propemodum ignotum. Tacitus de eodem Libone, contentus eſt dixiſſe, lectica eum delatum ad fores curiæ. Ad hæc firmanda adde verba illa Dionis ex loco ſuperiore, lib. LX. Πρότερον δὲ ἄρα ὅ, τε Αὔγουστος καὶ ὁ Τιβέριος ἄλλοι τε τινες ἐν σκιμποδίοις, ὁποίοις αἱ γυναῖκες, ἔτι καὶ νῦν νομίζουσιν, ἔστιν ὅτε ἐφέροντο. id eſt, *Auguſtus & Tiberius & alij quidam lecticis tantùm vſi, quibus etiam nunc feruntur feminæ.* Confer cum loco poſtremo, videbis clarè eum intellegere Tectas: & interpretem, qui eam pugnam in verbis ſuis non vidit, dimittes non ſine riſu. Concludam de Tectis, ſi addidero qui huc facit Ouidij locum lib. II. De Remedio amoris,

*Ouidij verſus de lectica tecta.*

*Fortè aderam iuueni. dominam lectica tenebat:*
*Horrebant ſæuis omnia verba minis:*
*Iámque vadaturus, lectica prodeat, inquit.*
*Prodierat: viſa coniuge mutus erat.*

Hoc eò, vt intellegamus Auguſti ætate id genus lecticas in promiſcuo fuiſſe feminarum vſu: aliter quàm Dionis, quo tantùm in vſu matronis Senatorum.

De origine, progreſſu, forma, quod ſatis eſt dixi: adtexam de modo iacendi, & ferendi. Iacebat, qui ferebatur, in puluino reſupinus: non ſedebat.

*Modus recumbendi in lectica.*

Ex Ouidio lib. I. De Arte,

*Interea, ſiue illa thoro reſupina feretur;*
*Lecticam dominæ diſſimulanter adi:*
*Siue vagis illi pedibus ſpatioſa teretur*
*Porticus; hic ſocias tu quoque iunge moras.*

Sic iacentem ferebant ſerui ſublimem, lectica ſibi, vt Catulli verbis vtar, in collo collocata. Expreſſit ſcitè Seneca Epiſt. LXXXI. *Idem de iſtis licet omnibus dicas, quos ſupra capita hominum ſupráque turbam delicatos lectica ſuſpendit. Omnium iſtorum perſonata felicitas eſt.* Ferebant autem ſerui, plurimùm, ſex: vnde frequens mentio hexaphori. & ideò poëta,

*Seneca explicatus.*

*Quot ſerui ad lecticam. Hexaphoros*

——— *cùm iam ſexta ceruice feratur.*

Item alter, *Quid te Cappadocum ſex onus eſſe iuuat?* Interdum octo: quod genus, lectica octophoros. Rarenter viris vſurpata, niſi in ſupinis deliciis aut morbo. Suetonius Caligula, cap. XLIII. *Iter confecit modò feſtinanter & rapidè: interdum adeò ſegniter & delicatè, vt octophoro veheretur.*

Martialis,

Octophoros *Octophoro ſanus portatur Auite Philippus:*
*Hunc tu ſi ſanum credis Auite, furis.*

Sæpius, vt opinor, feminis, & minori probro. Appuleius II. Apologia, *Vectabatur octophoro. vidiſtis profectò ipſi qui adfuiſtis, quàm improba iuuenum circumſpectatrix, quàm immodica ſui oſtentatrix.*

Martialis,

*Octo Syris ſuffulta datur lectica puellæ.*

Serui lecticarij. Qui ferebant, ſerui lecticarij dicti: & id propriè inter ſeruilia munera fuit. Seneca in Epiſtolis: *Non turba ſeruorum lecticam tuã per itinera vrbana ac peregrina portantium.* Ser. Sulpicius, *Coactus ſum in eadem lectica, qua ipſe delatus eram, meiſq; lecticariis in vrbem eum referre.* Inſcriptio vetus Romę:

TI. CLAVDIO
AVG. LIB.
TIGRANO
EX. CORPORE
LECTICARIORVM
CAESARIS.

Et alibi, CASTRA LECTICARIORVM.

★Id eſt, Decanus ſiue Decurio: vt Cubiculariorũ Decurio, Suetonio Domit. cap. XVI. Ij nitidi & culti.

Item, *DEC. LECTICARIORVM. BRITANNICORVM. Et in Pandectis ea vox ſæpe. Ab hac voce Martialis Lecticariolam finxit, quæ cum lecticariis, vt honeſtè dicam, ſoleret.

Epigramma eius eſt lib. XII.

*Ancillariolum tua te vocat vxor, & ipſa*
*Lecticariola eſt: eſtis, Alauda, pares.*

Sanè curæ fuiſſe videtur hominibus ſoluti luxus, vt hi lecticarij formoſi eſſent. ideò non mirum ſi amati feminis. Scripſiſſe mihi ab ea mente Seneca videtur, loco tamen corrupto, Epiſt. CXI. *Hoc ipſe mihi dico, quotiens tale aliquid præſtrinxerit oculos meos, quotiens occurrit domus ſplendida, cohors culta ſeruorum, lectica formoſis impoſita coloribus.* vbi ſcribendum, *formoſis impoſita calonibus.* Itaque longos eligebant & erectos. Tertullianus ad Vxorem lib. II. *Vnde ergo niſi à diabolo maritum petant, bonum exhibendæ ſellæ & mulabus & cinerariis peregrinæ proceritatis?* Imò plerumque Germanos, quia ij tales. Idem ſcriptor De Virgin. veland. *Non veſtium tædia, non Gallicos vultus, non Germanicos baiulos, quæ nuptiarum gloriam accendunt.* Et ad vxorem: *Nec Germanicos baiulos præſume.* Clemens Alexandr. Pædag. lib. III. cap. IV. οἱ δὲ τὰ φορεῖα εἰς ὕψος αἴροντες τῶν γυναικῶν φοράδην βαστάζοντες Κελτοὶ πολλοί. id eſt: *Qui lecticas mulierum in altum tollant, & cum impetu baiulent Germani multi.* Etſi ex alia etiam gente crebrò. ſed tamen cum dilectu ferè magnitudinis & formæ. ſcilicet vt magis ſublimes ferrentur. Iuuenalis Epitheton

Iuuenalis explicatus. ego huc traham:

*——turba cedente vehetur*
*Diues, & ingenti curret ſuper ora Liburno:*
*Atque obiter leget aut ſcribet, vel dormiet intus.*

De



De lectica enim capio, & grandibus è Liburnia ſeruis. Benè ergo in Seneca (illuc enim redeo) Formoſos calones lego. eoque melius, quod hi lecticarij veſtiti ferè vt calones, & militariter pænulati. Seneca idem De Beneficiis lib. III. cap. XXVIII. *Quò tandem ab iſtis gerulis raperis, cubile iſtud tuum circumferentibus? quò te pænulati iſti, in militum quidem non vulgarem cultum ſubornati? Quò, inquam, te iſti efferunt?* (lego, *ferunt*) *ad hoſtium alicuius hoſtiarij, ad hortos alicuius ne ordinarium quidem habentis officium.* Elegans prorſum in hanc rem locus. Cubile, vocat lecticam; Gerulos, lecticarios ſeruos. In collo enim, ſiue in humeris ſeruorum, lectica. vnde Succollandi verbum Suetonio natum, *Ab his lecticæ impoſitus, & quia ſerui diffugerant, viciſſim ſuccollantibus in caſtra delatus eſt.* Plin. in Paneg. *Ante te principes, faſtidio noſtri, & quodam æqualitatis metu, vſum pedum amiſerant. illos ergo humeri ceruiceſque ſeruorum ſuper ora noſtra; te fama, te gloria, te ciuium pietas, te libertas, ſuper ipſos principes vehunt.* Hic non dubiè perpetuus geſtandæ lecticæ mos. Viro docto & magnæ famæ vbi mens fuit, cùm in vita Ciceronis ſcripſit: *Ille autem militum aduentu ex ſtrepitu & rumore cognito primum conſiſtere ſeruos, & iumenta iuſſit, & aperta lectica,* &c. Riſi malis non alienis, cùm hæc legi. Iumenta ad lecticam? apage, cucurbitam ſibi quærunt illa verba. Numquam niſi homines ad lecticam: aliter quàm in eſſedo, aut in rheda. Si fallo, iumentum ego.

*Seneca explicatus, & leuiter correctus.* *Lambini ſupinus error.*

Sella haud dubiè diſtincta à Lectica. Ex iuriſconſulto, l. XLIX. De legat. *Legato continentur mancipia, puta lecticarij, qui ſolam matremfamiliâs portabant: item iumenta, vel lectica, vel ſella, vel burdones.* *Aliud Sella à Lectica.*

Ex Martiali,

*Lecticam, ſellámque ſequar? nec ferre recuſo.*

Ex Suetonio in Domitiano, cap. II. *Habitabat cum patre vnà, ſellámque eius ac fratris, quotiens prodirent, lectica ſequebatur.* Et tollunt omnem dubitationem illa Dionis, quæ adduxi ſuprà. Videri poterat confudiſſe Martialis, in his verſibus:

*Cùm tibi non eſſent ſex millia Cæciliane,*
*Ingenti latè vectus es hexaphoro.*
*Poſtquam bis decies tribuit dea cæca, ſinúmque*
*Ruperunt nummi, factus es ecce pedes.*
*Quid tibi pro meritis & tantis laudibus optem?*
*Di reddant ſellam Cæciliane tibi.*

Non confudit. Nam hexaphoros non minus de Sella dicitur quàm Lectica. Ne Suetonius quidem, in Othone cap. VI. *Tunc abditus properè muliebri ſella in caſtra contendit, ac deficientibus lecticariis cùm deſcendiſſet,* &c. Nam quòd lecticarios ſubiungit ſellæ: hoc eò, quia ſellarij alterius ſignificationis ſunt, & obtinuit vt communi nomine Lecticarij dicerentur tam ad Sellam homines, quam ad Lecticam. Seneca De Tranquillitate vitæ lib. II. cap. XIIII. *Tanta quoſdam dementia tenet, vt contumeliam ſibi fieri poſſe putent à muliere. Quid refert quantum habeat, quot lecticarios, quàm oneratas aures, quàm laxam ſellam? æquè impudens animal eſt, & niſi ſcientia acceſſit ac multa eruditio, cupiditatum ferè incontinens.* *Lecticarij, tam de hominibus ad Sellã, quã Lecticam.*

Vbi

*Sella laxa, & minuta.*

Vbi notabis laxam ſellam, potentiorum fuiſſe, vt & apud Martialem,

*Laxior hexaphoris tua ſit lectica licebit:*

contrà; minutam, & artam, tenuiorum. quam facilè ferrent homines duo. Ita procurator inſulæ Bargates apud Petronium *à duobus lecticariis in mediam rixam perfertur.* Nec alia ſententia verſuum Iuuenalis eſt, cùm inter vota ſua ponit,

*Iuuenalis explicatus.*

*——— & duo fortes*
*De grege Mæſorum, qui me ceruice locata*
*Securum iubeant clamoſo inſiſtere circo.*

Nam ſellis deferebantur in circum, ſiue in theatrum, & in iis etiam perſedebant. Suetonius in Nerone, cap. XXVI. cuius verba mox reddam; & Calpurnius,

*Inter femineas ſpectabat turba cathedras.*

Cathedras non abſurdè capiam pro ſellis, ſuadente Iuuenali,

*Quid cathedra.*

*——— cum iam ſexta ceruice feratur*
*Hinc atque inde patens, ac nuda pænè cathedra,*
*Signator falsò.*

*Sella muliebris.*

quamquam ea vox propriè de ſella muliebri. Diſcretam ſanè eam fuiſſe à virili, ſatis mihi auctor Suetonius, in Othone cap. VI. *Tunc abditus properè muliebri ſella in caſtra contendit.* De ea & Seneca I. De Benefic. *Ruſticus, inhumanus & maleuolus* (malo ex meo veteri, *& mali moris) eſt, ſiquis coniugem in ſella proſtare vetuit, & admiſſis inſpectoribus vehi vndique perſpicuam.* Vbi carpi vides in feminis ſellam apertam, quia velamenta ſcilicet magis ad ſexus illius pudorem. Idem alibi: *Non quam margaritæ ſuffocent: quam in patente ſella circumlatam per vrbem populus ab omni parte æquè ac maritus inſpexerit.* Patens ergo ſella virorum magis: tecta feminarum. Reperio & geſtatoriam ſellam; non tamen genus aliquod proprium, vt cenſeo, ſed cautionis fortaſſe gratia ſic dictam ad diſcrimem ſedentariæ ſellæ. Suetonius in Nerone cap. XXVI. *Interdiu quoque geſtatoria ſella clam delatus in theatrum, ſeditionibus Pantomimorum, ex parte proſcenij ſuperiore, ſignifer ſimul ac ſpectator aderat.* Et Vitellio, cap. XVI. *Continuò igitur abſtruſus geſtatoria ſella.* Vbi de eadem re Tacitus, *Vitellius in domum vxoris ſellula defertur.* Vt ſuſpicari non de nihilo quis poſſit, ſellam illam minutam, & qua vulgus in theatrum deferebatur, Geſtatoriam dictam. Interpretem nuperum, virum eximiè doctum, illa Suetonij aptare ad geſtationem; demiror ego. & adducit è Claudio locum cap. XXXIIII. *Solitus etiam in geſtatione ludere, ita eſſedo alueóque aptatis, ne luſus confunderetur:* nec videt ex iiſipſis verbis, Geſtationem propriè in eſſedo fuiſſe aut rheda, ſubiunctis mulis aut equis: longè aliter quàm in Sella.

*Sella geſtatoria.*

*Error interpretis, ad Suetonium.*

*Quando Sella orta. & Suetonij qui obſtabat, remotus locus.*

De origine Sellæ non quærerem (liquida enim ex Dionis verbis, quæ ſuprà) niſi nubem rei claræ induceret Suetonius, cap. LIIII. in Auguſto, *In Conſulatu pedibus ferè: extra conſulatum, ſæpe adoperta ſella per publicum inceſſit.* Conſidera. Sella adoperta inceſſit vulgò Auguſtus? quomodo poteſt? Suprà enim ex Dione docui, Claudium Imp. primum omnium Romanorũ Sella operta vſum. Nimium claris verbis id adfirmauit ſcriptor



ſcriptor Græcus. Quid dicam? Fumus in oculis meis hæc Suetonij verba: & ne alterutri abroganda fides ſit, abrogabo potius receptam lectionem, ſcribamq́; , *ſella adaperta.* Ita dirempta pugna: quaſi ſella quidem vſus Auguſtus, ſed aperta, non tecta. Tamen ne quid mentiar, non nimium id placet. potius crediderim, dum ſua tempora Suetonius reſpicit, fugiſſe ab ore eius Sellæ verbum, cùm tamen intellexerit lecticam. Cauſſa huic opinioni, quoniam non reperio Auguſti æuo Sellam, ſemper Lecticam. At poſt Claudium, plerumque Sellam, rara memoria Lecticæ. Et Sellam dico tam in feminis, quàm viris. Iuuenalis, in viris:

*Correctus, ſi fortè Suetonius.*

*Poſt Claudium Sella frequens, vix antè.*

*Reſpicit hoc primum qui litigat, an tibi ſerui*
*Octo, decem comites, poſt te ſit ſella, togati*
*Ante pedes.*

Martialis,

*Et mea ſit culto ſella cliente frequens.*

In feminis: Tacitus lib. XIIII. *Agrippinam, auditis inſidiis geſtamine ſellæ Baias peruectam.*

Iuuenalis,

*Oſtendens vacuam & clauſam pro coniuge ſellam.*

Et exempla vbique obvia.

*Sella dignior Lectica.*

Sella, poſtquam recepta in vſum, dignior habita Lectica. ex Suetonij vnico, & ideò notando loco, in Domitiano, cap. II. *Ob hæc correptus, quò magis ætatis & conditionis admoneretur, habitabat cum patre vnà, ſellámque eius ac fratris quotiens prodirent, Lectica ſequebatur.*

*Forma Sellæ qualis.*

Supereſt Sellæ forma. eam credo ita compactam fuiſſe, vt apta eſſet ad ſedendum: eoq́; diſcretam à Lectica, quæ ad iacendum. Colligo ex voce; & quia non lectus in Sella, ſed tantùm ceruical, ad caput ſcilicet reclinandum. Iuuenalis,

*Vt ſpectet ludos conducit Ogulnia veſtem,*
*Conducit comites, Sellam, ceruical, amicas.*

Vt id genus geſtatorij videatur non abſimile illi, quod hodie in vſu virorum principum, quotiens molliter & ſine ſuccuſſu ferri volunt. Tantum quod olim ſerui: nũc ſubiunguntur muli aut equi. Faciunt aliquid ad deſcriptionem Sellæ hæc Lampridij in Elagabalo, *Facta ſunt S C. ridicula de legibus matronalibus, quæ quo veſtitu incederent; quæ cui crederent* (lege, *cederent*, ſcilicet per viam) *quæ pileto, quæ aſino veheret, quæ ſella. quæve earum pellicea, an oſſea, an eborata, an argentata.* Caput exaſceatum eſt de Lecticis & Sellis. quarum vſum moneo ignotum priſcis Græcis, ex Iuuenali,

*Sella pellicea, oſſea, &c.*

*Ignota Lectica Græcis.*

*— quamquam non eſſent vrbibus illis*
*Prætexta & trabeæ, faſces, Lectica, tribunal.*

*Et Barbaris ad Orientem.*

Etiam Orientis populis. Tacitus lib. II. Annalium de Vonone rege Parthorum, *Accendebat dedignantes & ipſe diuerſus à maiorum inſtitutis, raro venatu, ſegni equorum cura: quotiens per vrbes incederet, Lecticæ geſtamine, faſtúque erga patrias epulas.* Quæ vitia omnia ad Parthos Roma tranſtulerat Vonones, olim ibi obſes.

## Cap. XX.

*In Suetonio ſelectiora aliquot loca. Qualis lex Iulij fuerit, concepta de matrimoniis. Eloquentia Cæſaris. De Iano clauſo, accurata diſceptatio.*

SVETONIANI aliquot loci ſunt obſcuræ & intricatæ, partim etiam ambiguæ hiſtoriæ; & quam, vt Plato ait, οὐ πᾶσα ὗς εἴσεται. Ego quia videor iis præter priſcos interpretes poſſe dare lucem: carceres aperiam, & emittere equos incipiam ad palmam.

In Iulio, cap. LII.

*Heluius Cinna trib. pl. pleriſque confeſſus eſt, habuiſſe ſe ſcriptam paratámque legem, quam Cæſar ferre iuſſiſſet cùm ipſe abeſſet, vti vxores liberorum quærendorum cauſſa, quas & quot ducere vellent, liceret.*

*Lex Iuliana de vxoribus.*

Ambigit de lectione V. clariſſimus Torrentius. Meritò. cui enim probabile, Cæſarem eò impudentiæ veniſſe, vt ſublato omni ſtatus & ordinis diſcrimine, quot & quas cuique viſum eſſet legitimas duceret vxores? Dico legitimas. id enim valent verba illa priſcæ formulæ, Liberorum quærendorum cauſſa. En legiſlatorem! dignum laqueo Zaleuci. Torrentius tamen, vt in parte minuat inuidiam legis, ſcribi vult, *vti vxores lib. quær. cauſſa, quot ducere vellent, liceret.* alia illa voce omiſſa. Vt numerus quidem vxorum arbitrarius fuerit: at non conditio aut ſtatus: puta ne ſeruas ducerent, ne peregrinas. Verius mendi hunc locum libero ego, ſcribóque, *vellet*, non *vellent*. Lectio leuiter, ſententia immane diſcrepat. Ad Cæſarem enim ipſum ea lex pertinuit. & inter argumenta inſanę cuiuſdam libidinis ponit Suetonius, quòd legem promulgari voluerit qua ius ſibi eſſet legitimas vxores habendi quas & quot vellet. Turpe hoc ipſum. quis defendit? tamen tolerabilius, præ quàm illud primum. Eam Suetonij & conceptæ legis mentem fuiſſe, clarè docet Dio lib. XLIIII. qui inter alios honores Cæſari decretos, fuiſſe narrat qui ius illi darent cum quibuſuis feminis ſe iungendi. Verba eius adſcribã fidei meæ cauſſa: ἀμέλει καὶ γυναιξὶν ὅσαις ἂν θελήσῃ συνεῖναι οἱ ἐτόλμησάν τινες ἐπιτρέψαι, ὅτι πολλαῖς καὶ τότε ἔτι, καίπερ πεντηκοντούτης ὤν, ἐχρῆτο.

*Ea correcta, & vera eius ſententia poſita.*

Cap. LV.

*Eloquentia militari: qua re aut æquauit præſtantiſſimorum gloriam, aut exceſſit, poſt accuſationem Dolabellæ haud dubiè principibus patronis annumeratus eſt.*

*Eloquentia Cæſaris militia, & domi.*

*Correctus Suetonius.*

Ain tu? eloquentia tantùm militari Cæſar? Tenuis, imò falſa laus. & Cæſarem etiam forenſi eloquentia valuiſſe vſque eò ſcimus, vt ambiguam facere palmam potuerit Ciceroni. Sed & cauſſas olim in foro egit: teſtes, Cicero pro Q. Ligario, & Quinctilianus. Emendo igitur, *Eloquentia militaríque re, aut æquauit.* Bene & verè Suetonius. Duas enim virtutes celebrat: & eloquentia quidem, ait, attigit ſummorum gloriam; re militari exceſſit.

Cap.



Cap. LXXXIII.

*Sed nouiſſimo teſtamento tres inſtituit heredes ſororum nepotes, C. Octauium ex dodrante, L. Pinarium & Q. Pedium ex quadrante. Reliquos in ima cera; C. Octauium etiam in familiam noménque adoptauit.*

Qui iſti reliqui in ima cera ſcripti? Et multa ſanè verba in explicatione huius loci iam olim perdidit Alexander, Genialium dierum lib. I. cap. I. Dico, perdidit. quia lectio & diſtinctio vulgata non ſine mendo: quod, me auctore, eluendum: *L. Pinarium & Q. Pedium ex Quadrante reliquo. In ima cera C. Octauium etiam*, &c. Nec opus habeo lectioni per ſe claræ facere lucem.

*Verba Teſtamenti Auguſti correcta.*

In Octauiano, cap. XXII.

*Ianum Quirinum ſemel atq; iterũ à condita vrbe ante memoriam ſuã clauſum, in multo breuiori temporis ſpatio, terra mariq; pace parta, ter clauſit.*

*De Iano clauſo nodus intricatus.*

*Glareani & Langij ſuper ea re ſententia.*

Cerebrum multis excuſſit hic locus, quia pugnare iis viſus in hiſtoria cum Liuio & Plutarcho. ex quibus quaſi rem confeſſam ſumunt, Ianum Geminum non ter ab Auguſto, ſed ſemel clauſum, idque poſt Actiacum bellum. Igitur ne manifeſtò Suetonius huius rei mendax: viſum pridem Glareano ſcribere, *tertiò clauſit.* hac ſententia, vt qui bis ante Auguſti æuum clauſus Ianus, eum tertiò clauſerit ipſe. Placitum idem doctiſſimo & optimo Belgarum Langio; & hoc amplius, tolli è Suetonio illud totum. *in multo breuiori temporis ſpatio*, quaſi gloſſema. Videbat enim facilè vir acutus ſubuerti lectionem Glareani, ſtantibus iis verbis. Sed parcite boni manes, non ego vos ſollicito: tamen hîc largiter erraſtis. A vulgata lectione ſtant omnes libri: à ſententia Oroſius, lib. VI. qui diſtinctè & per partes notat ter Ianum clauſum ab Auguſto. Primò poſt Actiacam pugnam: iterum, victis Cantabris: tertiò gentibus omnibus terra mariq; pace compoſitis. Etiam Dio, qui clarè lib. LIII. de Cantabris ſcripſit, Αὔγουστος ταῦτά τε ἐν τοῖς πολέμοις ἔπραξε, καὶ τὸ τοῦ Ἰανοῦ τεμένισμα ἀνοιχθὲν δι' αὐτοὺς ἔκλεισεν. Vide eumdem & lib. LIIII. Tempora quibus clauſus, hæc. Primò, in cõſulatu Auguſti quinto, poſt Actiacam pugnam. clarum. Iterùm conſulatu decimo, anno Vrbis DCCXXX. ex Dione. Tertiò, conſulatu vndecimo, ex lapide qui Emeritæ in Hiſpania: IMP. CAES. DIVI. F. AVGVSTVS. PONT. MAX. COS. XI. TRIBVNIC. POT. X. IMP. VIIII. ORBE. MARI. ET. TERRA. PACATO. TEMPLO. IANI. CLVSO. Quid nunc dicitis? pugnare cum hac hiſtoria Liuium & Plutarchum? Videamus. Liuij verba ſunt è libro I. *Bis deinde poſt Numæ tempora Ianus clauſus fuit; ſemel T. Manlio Coſ. poſt Punicum primum perfectum bellum; iterum, quod noſtræ ætati dij dederunt vt videremus, poſt bellum Actiacum, ab Imp. Cæſare Auguſto, pace terra mariq; parta.* Ex iis colligimus, inquiunt, ſemel dumtaxat Ianum cluſiſſe Auguſtum. Non hercle ego. & audite me. Tempus inſpiciundum vobis fuit, quo ſcripſit iſta Liuius. Viui nempe amicitia Auguſti floruit ſcriptor Patauinus: hiſtoriam ſuam illo viuente exorſus, imò res adhuc gerente. Quo tempore ergo iſta narrabat, ſemel Ianum clauſerat Auguſtus. Cantabri, inquã, nondum victi erant, cùm ad gratiam amici magni, operi æterno inſeuit illa Liuius. Quomodo ergo tunc de triplici clauſione ſcribere potuit, niſi

*Ij refutati.*

*Verus intellectus verbõ Liuij.*

niſi ſi ſuperſtitioſus, aut diuinus? Hæc mera veritas: & eadem ſcripturum in re tam clara Liuium fuiſſe, quæ Suetonius, Oroſius, Dio (ſi tamen libros eò perduxiſſet) tam liquet mihi quàm me viuere. At Plutarchus diſſentit etiam, qui ſic ſcribit in Numa, de Iani templo: *νομίζεται ἀνεῶχθαι μὲν αὐτὸν, ὅταν ᾖ πόλεμος, κεκλεῖσθαι δὲ εἰρήνης γενομένης. ὃ δὴ χαλεπὸν ἦν καὶ σπανίως γινόμενον ἀεί τινι συνηρτημένης πολέμῳ τῆς ἡγεμονίας διὰ μέγεθος τοῖς κύκλῳ περικεχυμένοις γένεσι βαρβάροις ἀντερειδούσης. πλὴν ἐπί γε τοῦ Σεβαστοῦ καίσαρος ἐκλείσθη, κατελόντος Αντώνιον. καὶ πρότερον ὑπατευόντων Μάρκου Ἀτιλίου, καὶ Τίτου Μαλλίου, χρόνον οὐ πολὺν, εἶτα εὐθὺς ἀνεῴχθη πολέμου συῤῥαγέντος.* En: Rarò, inquit, clauditur Ianus propter barbaricos motus, qui perpetui: niſi quòd Auguſtus clauſit, victo Antonio, & M. Atilius & T. Manlius Conſules, olim. Reſpondeo: Plutarcho non id propoſitum, vt enumeret quotiens Ianus clauſus. Si fuit, non libero eum prorſus culpæ: quia per ætatem ſuam & hiſtoriam, ſcire potuit ſæpius ab Auguſto, quàm victo Antonio clauſum. Sed ſcriptor Græcus haud dubiè oculos adiecit ad Liuij locum; & illum, vt ſolet, ſatis habuit exprimere. Concludam, & addam firmandæ Suetonij hiſtoriæ Fragmentum Taciti, apud Oroſium his verbis: *Deinde, vt verbis Corn. Taciti vtar, ſene Auguſto patefactus Ianus, dum apud extimos terrarum terminos nouæ gentes ſæpe ex vſu & aliquando cum damno quæruntur, vſque ad Veſpaſiani durauit imperium.* Ait, ſene Auguſto. Ergo poſt Actiacam pugnam neceſſa iò iterum apertus, iterum clauſus Ianus. Nam illa pugna, iuuenis ſanè Cæſar. Sed & ait manſiſſe ad Veſpaſiani imperium, quia clauſuram illam Neronis (de qua Sueton. & Numi) ſubterhabuit vt vanam. Sicut & Oroſius lib. VII. qui à Veſpaſiano Ianum clauſum ſextùm diſertè tradit. Sextùm inquam, ad rationem meam & Tranquilli.

*Verba Plutarchi latè interpretanda, ni ſint, latè errat ipſe.*

## Cap. XXI.

*Agelliani complures loci. Cautus, quid. Macrobius correctus. Leges Flaminicæ emendatæ. Item Cato. Priſcæ locutiones repoſitæ. Gloſſemata aliquot ſublata.*

CALVMNIANTVR multi hoc Criticum ſtudium, vt inutile: multi abiiciunt, vt leue. Et reuera, ſi ventoſa aliquot ingenia ſpectes noſtri æui; non peccant. abutuntur enim multi per vanitatem & imperitiam. Sin veros illos & legitimos cenſores; adſeuerandum eſt non priſcam illam Cenſuram magis fuiſſe iuuandis moribus, quàm hanc noſtram litteris. Paucis hoc videbitur. quid refert? mihi cum Lucilio fiducia eſt vt dicam,

*Me paucis malle abs ſapientibus eſſe probatum*
*Ἢ πᾶσιν νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν.*

vt tranſiens emendem eos verſus. Operam hoc capite Agellio omnem dabo: cuius pleroſque locos vera inuram nota.

*Correctus Lucilius, apud Nonium, Pauci. vbi malè, Nō paucis malè, ſed ſ c. p. x.*

Lib. x. cap. xv.

*Cærimoniæ impoſitæ Flamini Diali multæ, item caſus multiplices, quos in libris*



*libris qui De Sacerdotibus publicis compoſiti ſunt, ſcriptos legimus.*

Falſa haud dubiè vox, *caſus*. Legebam olim, *caſtus*. reſipui, poſtquam inſpexi libros priſcos, qui habent, *cautus*. Amplector propriæ ſignificationis vocem: & eo nomine accipio, quidquid in ſacris cauendum, & religionis gratia vitandum aut omittendum ſit. Vſum ea bis reperio Macrobium, ſeu quem alium ſcriptorem ex quo Macrobius hauſit lib. I. Saturn. cap. XV. *Cæſar*, inquit, *ſacra ſtata cuſtodiens, nec in illis menſibus, quibus binos adiecit dies, ordinem voluit mutare Nonarum. quia peractis totius menſis feriis, dies ſuos rei diuinæ cautus inſeruit.* Vbi equidem emendo, *die ſuo rei diuinæ cautus*, & accommodo ad hanc ſententiam. Et in verbis quæ ſtatim, *Ideò autem minor Pontifex numerum dierum qui ad Nonas ſupereſſent, calando prodebat: quod poſt nouam Lunam oportebat Nonarum die populares qui in agris eſſent confluere in vrbem, accepturos cauſas feriarum à Rege ſacrorum, ſciturosq. quid eo menſe eſſet faciendum*, pariter lego, *accepturos cautus ſacrorum*: & ita in Macrobio ſcriptum diſertè primæ editionis.

*Cautus, in ſacris quid.*

*Macrobius bis correctus.*

Eodem Agellij capite,

*Ignem è Flaminia, id eſt, Flaminis Dialis domo, niſi ſacrum efferri ius non eſt.*

Scribe voce inſerta, *niſi in ſacrum*, poſtulante ſententia, quam ſic expreſſit Feſtus: *Ignem ex domo Flaminia niſi diuinæ rei gratia efferri ius non eſt.*

*Vox repoſita, quæ exciderat.*

Ibidem.

*Nodum neque in apice, neque in cinctu, neque in alia parte vllum habet.*

Flamen non habet nodum in apice? Miror. Atqui Feſtus ex Titio ait, *Offendices nodos eſſe quibus apex retineatur & remittatur.* Vide eundem in verbo, Apex: & nummos priſcos, in quibus Albogaleri forma cum Apice. Sequor igitur libros priſcos, qui habent, *Nodum in apice, neque.* hac ſententia, vt nuſquam nodo vinctus Dialis, præter in Apice eſſet.

*Vox reiecta, quæ ſupererat.*

Ibidem:

*Propagines è vitibus altius prætentis non ſuccidet.*

Moneo in priſca lege obſeruandam priſcam ſcripturā, *Succidet*, pro Succedet. Non enim vetatur ſuccidere propagines vitium Flamen, ſed ſubire. Ad eam interpretationem cogunt nos verba Plutarchi in Cauſſis: *Διὰ τινὰ δὲ αἰτίαν οὐδὲ κιττοῦ θίγειν ἐφίετο τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς, οὐδὲ ὁδὸν διελθεῖν ἀναδενδράδος ἄνωθεν διατεταμένης* & adde quæ ſequuntur. Scriptura illa priſca manet etiam hodie locis aliquot in Plauto. Vt Truculento,

—— *mane iam. ego te hîc offatim conficiam.* GE. *occidi optumum eſt.*

Occidi ea ſignificatione ſcriptum, quam notat Feſtus, *Occidamus*, ait, *Plautus poſuit pro contrà cedamus.*

*Scriptura vetus, Succido.*

*Nouus intellectus priſcæ legis.*

*Plauto aliqua lux data.*

Ibidem,

*Eædem fermè cærimoniæ ſunt, quas Flaminicas ſacerdotiſſas Dialis ſeorſum aiunt obſeruitare.*

Dele inculcatam vocem, repoſita etiam phraſi antiqua, *quas Flaminicas, Diali ſeorſum.* Flaminica, Flaminis vxor. Seorſùm autem Diali, eleganter: id eſt, ſeparatim & proprias quaſdam cærimonias ſeruat ſibi.

*Gloſſema reciſum.*

Eodem libro, cap. XVIII.

*Mauſolus autem fuit, vt M. Tullius ait, rex terræ Cariæ; vt quidam Græcarum*

*carum hiſtoriarum ſcriptores dicunt, prouinciæ Græcæ præfectus, quem σατράπην Græci vocant.*

*In Mauſolo error librariorum.*

**Niſi tamen ita appellata Græciſſans ea pars Aſiæ.*

Mauſolum prouinciæ Græciæ præfectum, in nulla hiſtoria, quod ſciamus, ſcriptum eſt. Et quomodo potuit? aut quando * Græcia in Prouinciam redacta à rege magno? profectò fraudem aliquam hîc frauſi librarij. & aut deleta ea voce ſcribendum *prouinciæ præfectus*, aut mutata, *prouinciæ à rege præfectus.* Alterum horum veriſſimum eſt. In eo ſcilicet diſſenſio ſcriptorum. rexne terræ Cariæ fuerit, an præfectus. Præfectum tantùm fuiſſe ſenſit Suidas qui ſcribit, Μαύσωλος ἄρχων Κάρων. Contrà cum Tullio Pauſanias regem. quem adi, ſi lubet, libro VIII.

Eodem lib. cap. XXIII.

*Sed M. Cato non ſolùm exiſtimatas, ſed etiam multatas à iudice mulieres refert, non minus ſi vinũ bibiſſent, quàm ſi probrum & adulteriũ admiſiſſent.*

*Vetus ſcriptura in Catonis verbis, eaq; proba.*

Non parum concinnior lectio vetus, *non minus ſi vinum in ſe, quàm ſi probrum & adulterium admiſiſſent.* Admittere in ſe vinum, admittere adulterium, lepida vocis alternatio eſt.

Libro XI. cap. IX.

*Critolaus ſcripſit, legatos Mileto publicæ rei cauſſa veniſſe Athenas, fortaſſe an dixerit auxilij petendi gratia.*

*Fortaſſean, priſca vox. eius ignoratione cõmiſſum.*

Interpoſitum verbum ab iis quibus ignara vox Fortaſſean. tu ſcribes, *fortaſſean auxilij p. gratia.*

Libro XIII. cap. VIII.

*Quæ libri aut magiſtri per quaſdam inanitates verborum & imaginum, tamquam in ſomnio delectauerint.*

*Deiectare, antiqui ſcribebant.*

Scribendum, *dictauerint*. Error ex ſcriptura priſca, *deictauerint*.

Libro XVIII. cap. V.

*Et vt non turbidæ fidei nec ambiguæ, ſed vt purè liquentiuſq; eſſet, equúſne an eques Ennius ſcriptum reliquiſſet.*

*Liquens & pura fides, id eſt, clara, certa.*

Corrigo, *vt puræ liquentiſq;*. liquentem & puram fidem opponit Turbidæ; prorſus propriè.

Lib. XIX. cap. III.

*Quoniam, inquit, qui maledicit & vituperat, quanto id acerbius facit, tam maxima mole pro iniquo & inimico ducitur: & plerumque propterea fidem non capit.*

*Turpe gloſſema ad phraſim veterem.*

Dij deæq; iſtos imperitos, quibus nihil priſcum eſt ſanctum. Scripſerat Agellius, *tam maximè pro iniquo & inimico ducitur*, phraſi veteri & obuia in Plauto. Interpolarunt nebulones: vtinam ego illorum os!

Lib. XIX. cap. X.

*Ex quibus cùm elegiſſet vnam formam ſpeciemq; veris, interrogauit quantis eſſet pecuniæ conſpectus ad id totum opus.*

*Species operis.*

Alij, *ſpeciemq; verbis interrogauit.* Ego, *ſpeciémque operis.* Ita appellat quam Græci ἰχνογραφίαν.

Lib. XX. cap. I.

*Sed quæſo te, cùm tamen digrediare pauliſper è curriculis iſtis*, &c.

*Quæſo tecum, priſca dictio.*

Pendula tota ſententia eſt, & cenſebis quidpiam deeſſe. Non deeſt. tantum repone antiquum genus ſermonis, *quæſo tecum tamen.* Ita dicebant, pro quæſo te. Plautus, Aſinaria: —— *hanc iube orare mecum.* Ennius, —— *tecum precibus pater orat.*



Lib. VII. cap. XVIII.

*Annibal ex captiuis noſtris electos decem Romam miſit, pactuſq; eſt vt, ſi pop. Rom. videretur, permutatio fieret captiuorum: & pro iis quos alteri plures acciperent, darent argenti pondo libram ſcilicet & ſelibram.*

*Gloſſema iterum.*

Cenſeo à gloſſographo eſſe tria poſtrema verba; & Agellium ſcripſiſſe, *darent argenti pondo libram.* Ita ſolitum antiquis, cautionis quaſi gratia geminatis iis vocibus dicere, Pondo libra, aut libræ. Dicam, fors fuit, accuratè ea de re in Liuio. Id corrumpendo fuit huic loco.

Lib. V. cap. XIX.

*Alioqui ſi iuris iſta antiquitas ſeruetur, etiam ſeruus à domino per prætorem dari in adoptionem poteſt.*

*Maſſurij verba iuris, non recta.*

In verbis Maſſurij legant, me auctore, Iuriſconſulti, *ſi iuris tantùm æquitas ſeruetur.* quæ voces confuſæ & in aliam ſententiam falſamq; aptæ.

Lib. III. cap. XV.

*Philippides quoque comœdiarum poëta haud ignobilis, ætate iam edita, cùm in certamine poëtarum præter ſpem viciſſet.*

*Ætas exita*

Vult dicere Philippidem ætate ſenecta fuiſſe. Ea vis an vocis Editæ ſit, ignoro. potius ſcripſerim, *ætate iam exita.* Similis illa apud Suetonium locutio in Claudio, *ætate progreſſa.*

Eodem lib. cap. VIII.

*Cùm Pyrrhus rex in Italia eſſet, & vnam atq; alteram pugnam proſperè pugnaſſet, ſatiſq; angerentur Romani, & pleraque Italia ad regem deſciuiſſet.*

*Satisagere, quid propriè.*

Vetus lectio, *ſatiſq; agerentur.* Scribo, *ſatiſq; agerent Romani.* Propria quædam & venuſta eius verbi notio, in magna aliqua & laborioſa cura. Sic idem ſcriptor, lib. XIX. cap. I. *Tum poſtea complorantibus noſtris omnibus, atque in ſentina ſatis agentibus.* quem locum pariter libido quibuſdam fuit deprauandi. Bene Gloſſæ, *ſatagit*, ἀγωνιᾷ.

Lib. II. cap. XXIII.

*Quòd ancillam ſuam non inſcito puellam miniſterio, & facie non illiberali, coactus erat venumdare.*

*Illætabilis, vetus vox. Coniectura leuior in Plauto.*

Reſtituo ex libris, *facie non illætabili.* Fortaſſis & in Plauti verſu, Menæchmis: *Nam ex iſtoc loco ſpurcatur naſum odore illutibili:* ſcribendum, *odore illætabili.*

## CAP. XXII.

*Serui publici apud Romanos. Eorum nomina, A regionibus, & A perſonis. Brutiani, Cyprij, Clodiani, Corneliani, Gelliani.*

*Serui publici, facti à Scipione.*

ROMANIS mos fuit, vt ex gente captiua plerumque ſeruos quoſdam reſpublica ſibi ſeligeret atq; ſeponeret, ad varios vſus. Vt apud Liuium libro XXVI. Scipio victa Carthagine noua, *Opifices ad duo millia hominum publicos fore populi Romani edixit. cum ſpe propinqua libertatis, ſi ad miniſteria belli enixè operam nauaſſent.* Et apud Polybium eadem de re: τοῖς

τοῖς δὲ χειροτέχναις κατὰ τὸ παρὸν εἶπε, διότι δημόσιοι τῆς Ῥώμης εἰσίν. Mos

*Seruitus publica.*

vetus etiam in Græcia. Ideò in palliata Plauti ſcriptum, cui index Capteiuei.

*Sed is priuatam illic ſeruitutem ſeruit, an publicam?*
ALG. *Priuatam medici Menarchi.*

*Duplex agnominatio talium ſeruorum.* *A prouinciis.* *Brutiani.* *Cyprij ſerui.*

Eiuſmodi ſeruos, vt diſtingui poſſent, à duplici ferè cauſſa appellabant, A prouinciis, aut A perſonis. A prouinciis, vnde adducti; vt Brutiani, vt Cyprij. De Brutianis vide Agellium lib. x. cap. III. & Feſtum. parcam enim verba adſcribere in re iam nota. De Cypriis obſeruo fortaſſe primus, ex Dione lib. XXXIX: Κλώδιος, inquit, ἐπεχείρησε μὲν τοὺς οἰκέτας τοὺς ἐκ τῆς Κύπρου ἀχθέντας, Κλωδίους, ὅτι αὐτὸς τὸν Κάτωνα ἐκεῖσε ἐπεπόμφει, ὀνομάσαι. οὐκ ἠδυνήθη δὲ, ἐναντιωθέντος αὐτοῦ. καὶ οἱ μὲν Κύπριοι ἐπεκλήθησαν καίτοι τινῶν Πορκίους σφᾶς προσειπεῖν ἐθελησάντων.

*Picentes & Lucani.*

Idem de Picentibus & Lucanis tradit etiam Strabo libro v. in extremo: νυνὶ δὴ κωμηδὸν ζῶσιν ἀπωσθέντες ὑπὸ Ῥωμαίων διὰ τὴν πρὸς Ἀννίβαν κοινωνίαν. ἀντὶ δὲ στρατείας ἡμεροδρομεῖν καὶ γραμματοφορεῖν ἀπεδείχθησαν, ἐν τῷ τότε δημοσίῳ, καθάπερ καὶ Λευκανοὶ καὶ Βρέττιοι κατὰ τὰς αὐτὰς αἰτίας.

*A perſonis.*

A perſonis nominabantur, qui vicerant quive adduxerant. Et in ea appellatione quærebatur quaſi honos. Ideò Clodius, in loco Dionis quem adduxi, ambitioſè contendit illos è Cypro ſeruos, à ſe Clodianos dici; quoniam ipſe Catonem illuc miſiſſet. Contrà Cato Cyprios dici maluit, ſpretis conſiliis eorum qui ab eo dici volebant Porcianos.

*Clodiani ſerui.* *Porciani.* *Corneliani*

Sic & Cornelius Sulla Dictator ſeruos proſcriptorum ad decem millia publicauit, & à ſe dixit Cornelianos. Elegans Appiani locus lib. I. ἐμφυλ. τῷ δὲ δήμῳ τοὺς δούλους τῶν ἀνῃρημένων τοὺς νεωτάτους τε καὶ εὐρώστους μυρίων πλείους ἐλευθερώσας ἐγκατέλεξε, καὶ πολίτας ἀπέφηνε Ῥωμαίων, καὶ Κορνηλίους ἐφ' ἑαυτοῦ προσεῖπεν. Ex quibus verbis hoc amplius apparet, eos ſeruos plerumque manumitti ſolere, & aſſeri in libertatem: ſic tamen, vt nihilo ſecius officia quædam reipub. deberent, quaſi liberti. Hæc de agnominatione ſeruorum quæ prædixi, non abſurdè lucem dabunt verbis Atteij Capitonis apud Agellium lib. XIII. cap. XII. *Cùm à muliere quadam Tribuni plebis aduerſus eum aditi, Gellianum ad eum miſiſſent, vt veniret & mulieri reſponderet.* Nam Gellianum, vocat Tribunicium viatorem: quia tunc genus aliquot, credo, ſeruorum publicorum Gelliani, incertum à quo Gellio dicti.

*Atteius Capito explicatus.* *Quid Gellianus, & cur ita dictus.* *Annua horũ ſeruorũ.*

Eiuſmodi ſeruis annua quædam reſp. præſtabat, ad victum & veſtem. Plinius lib. x. Epiſtol. *In pleriſque ciuitatibus, maximè Nicomediæ & Niceæ, quidam vel in opus damnati vel in ludum, ſimiliaq; his genera pœnarum, publicorum ſeruorum officio miniſterióque funguntur, atque etiam vt publici ſerui annua accipiunt.* Tantum mihi fuit dicere ſuper hoc non planè protrito more. plura ſententiæ non abſimilis reperies apud C. V. Petrum Fabrum: cuius Semeſtria non compilo. virum (nihil ignoti hominis gratię dabo) rari, conſtantis, & admirabilis cuiuſdam, ingenij, iudicij, modeſtiæ. Di faciant, vt ad id exemplum multi hodie ſcribant.

*P. Fabri vera laus.*

CAP.



CAP. XXIII.

*De lictoribus eorumque origine, conditione, miniſterio, & ritu Conlectanea accurata. Nonius in etymo eorum correctus, item Agellius. Lictores è libertis aut libertinis. ciues fuerunt, & ideò togati. Liuius correctus. Summotio propriè quid, & quomodo ea vſi. Plinius explicatus, Cicero emendatus. Animaduerſio quid. Aſſurgendum magiſtratui erat, caput aperiendum, equo deſcendendum, & curru. Ferrum ponendum. Tacitus explicatus. Præitio, qualis. è Liuio gloſſema ablatum. Quis Primus lictor, quis Proximus. Turnebi in eo error. Faſces lictorum. Mos eos ferendi, ſubmittendi. Virgæ lictorum. Percuſſio ſolemnis ianuæ. Bacilli. Seneca correctus. Bacilli prælati municipalibus magiſtratibus. Quot lictores cuique fuerint.*

SCITVM illud Ennij, quod non iniuria amó,
*Moribus antiquis res ſtat Romana, viriſque.*
verum comperior etiam in litteris. quæ nec haberi hodie, nec tractari commodè poſſunt, abſque notitia ſit priſci moris. qua niſi tinctus mihi lector eſt & imbutus: non purè & liquidè, ſed quaſi per nebulam intellegere eum optimos ſcriptores neceſſe eſt. Ea gratia viſum mihi hoc loco Lictorum omnes ritus, quos ſparſim memini legere, digeſtos proponere: & addere à me quidquid aut ad illorum lucem faciet, aut ſcriptorum. Gratiam ſi non ineo à doctis; certè à iuuentute. cui conſultum ibo hoc genere ſcribendi, & ſimul dolori meo. quem ex patriæ non periculo, ſed funere, iure capimus acerbum.
*Dolet pudétque Graium me natum & piget:* ait ille.

*Prima lictorum origo, & etymon.* *Nonius correctus.*

Origo lictorum à Romulo: exemplum, ab Etruſcis: nomen à ligando. Nonius Marcellus, *Lictoris proprietatem à ligando dictam vetuſtas putat. ita enim antiquitùs carnificis officium fungebatur.* ſcribe alia ſententia, *iſti enim a. c. o. fungebantur.* Nam hoc monitum vult, antiquitùs carnifices Romæ non fuiſſe; & eorum vicem præſtitiſſe lictores quod verum teſtimonio priſci carminis, *I lictor, colliga manus.* Cum Nonio ſentit Valgius Rufus & pleraque Grammaticorum pars. tamen miremur, quo flexu à ligando lictor. eſſet enim potius ligator.

*Quomodo à ligando lictor, ſubtiliter dictum.*

Sed moneo (vt in re grammatica paullo tenuius diſſeram) Ligo, ligere, & ligui lictum, fuiſſe antiquis: vt Frico, fricui, frictum: Plico, plicui, plictum. vnde hodieq; Perfricui, & Explicui, & ſimilia plura. Inde igitur certiſſimè & ἀναλόγως Lictor. Non vidit hoc fortaſſe (venia dicto ſit) Tyro Tullius: & ideò per ambages inclinat à Licio vel à Limo. *Licio enim tranſuerſo* (ait ipſe apud Agellium lib. XII.) *quod limum appellatur, qui magiſtratibus præminiſtrant, cincti erant.* Tyronis verbis & huic cinctui prælucet Iſidorus: *Limus*, ait, *eſt cinctus quem publici habent ſerui: ita dictus, quia tranſuerſas habet purpuras, id eſt, limas.*

*Limus, cinctus publici ſerui.*

*limas.* ita ibi lege. Iterum, *Tranſuerſa omnia antiqui lima dicebant. Hinc & Limus vocabulum accepit, cingulum quo ſerui publici cingebantur obliqua purpura.* Sed & ſcriptores Gromatici ſiue Finales, Limitem in agris deducunt conſenſu à Limo, ſiue tranſuerſo. Ab hoc licio in veteri formula ſunt, *Furta per lancem & licium.*

*Limes vnde dictus.*

*Lictorum quæ cōditio Liberos eos fuiſſe, non ſeruos. Eligi ſolent è corpore libertorum. Tacitus explicatus.*

Lictores qua conditione fuerint, quæri poteſt: liberi, an ſerui? Dico, Liberi. eligebantur enim plerumque ex ima Quiritium plebe. Liuius lib. II. *Quatuor & viginti lictores apparere Conſulibus, & eoſipſos plebis homines: nihil contemptius, neque infirmius, ſi ſint qui contemnant.* Valerius Maximus lib. IX. cap. I. *Gemellus Tribunicius viator, ingenui ſanguinis, ſed officij intra ſeruilem habitum deformis.* Taciti, & ſuprà paullo, tempore, etiam è libertinis aut libertis. Ea ſententia verborum eius libro XIII. Annalium: *Quippe latè fuſum id corpus.* (libertos intellegit) *hinc pleraſque tribus, decurias, miniſteria magiſtratibus & ſacerdotibus, cohortes etiam in vrbe conſcriptas.* Miniſteria magiſtratibus; id eſt, Lictores, Viatores, Accenſi, Scribæ, Statores, Præcones. Sed & Tiberius Gracchus Tribunus, viatorem ſibi legit è propriis libertis; nouo tunc more, & non optimi exempli. Eleganter Plutarchus: ὁ μὲν Τιβέριος τῶν ἀπελευθέρων τινὶ προσέταξεν ἀπὸ τοῦ βήματος ἑλκύσαι τὸν Ὀκτάβιον. ἐχρῆτο δὲ ὑπηρέταις ἀπελευθέροις ἰδίοις. Bene Plutarchus. Nam aliâs receptum non è propriis libertis ſumi, ſed è ſeruis publicis, aut è plebe. Sed & togæ ius lictoribus fuit. ergo liberi, imò etiam ciues. Cicero in Piſonem, *Togulæ ad portam lictoribus præſtò fuerunt: quibus illi acceptis, ſagula reiecerunt.* Liuij tamen locus eſt, qui videtur adimere iis togas, libro III. *Quod autem iſtud imperium eſt. Decemuiri, quod tenetis? tectis ac parietibus iura dicturi eſtis? Non pudet lictorum veſtrorum maiorem propè numerum in foro conſpici, quàm togatorum, aliorúmque?* Falsò. ſcribendum enim ibi, auctoribus libris, *quàm togatorum aliorũ.* Ita ille ipſe locus qui adimebat, iam addit. Paullatim tamen, vt Gracchus è ſuis libertis; ſic alij ſumebant è propriis ſeruis. Ni id fuiſſet; non poſita hæc ab Antonio, Lepido, Octauiano III. viris lex eſſet: μήτε δ᾽ ἐλευτὴν μονομαχεῖν, μήτε δοῦλον ῥαβδουχεῖν. Notat Dio lib. LVI.

*Lictores togati, ideò ciues. Liuius in ea re correctus.*

*Lex Triumuiralis de lictoribus.*

*Officia & munia lictorum. Summotio, quid. Voce, manu, virga, ſummouebant.*

Munera lictorum præcipua, tria: Submotio, Animaduerſio, Præitio. Submotio, & Submouere, proprium lictoribus verbum. Ideò Summotor aditus, pro ipſo lictore poſitus Liuio, lib. XLV. *Aſſuetis regio imperio, nouum, formam terribilem, præbuit tribunal. ſummotor aditus, præco, accenſus, inſueta omnia oculis auribúſque.* Fiebat cum ſtrepitu & imperio quodam: cùm voce, manu, virga, locum facerent ſequenti magiſtratui. Expreſſit ſcitè Liuius, lib. VIII. vbi ſubitus in Curiam venit Papirius. *Repentè,* inquit, *ſtrepitus ante curiam lictorum ſubmouentium auditur: & ipſe infenſus aderat.* Non ſola, inquam, voce. Diſco ex Seneca, epiſtola XCV. *Non eſt quòd tibi tranquillitatis tuæ faſtidium faciat, ille vel ille ſub illis faſcibus purpura cultus. non eſt quòd feliciorem eum iudices, cui ſubmouetur, quàm quem lictor ſemita deiicit.* vbi vetus, *quàm te quem l. ſ. d.* Ex Feſto: *Matronæ à magiſtratibus non mouebantur, ne pulſari contrectarive viderentur, néve grauidæ concuterentur.* Pulſari, ait, & contrectari. ſicut Appianus in eadem re, verberare. lib. I. Bell. ciuilium: τῶν δὲ ῥαβδοφόρων τινὸς ὁδοποιοῦντος τῷ Κίννᾳ,

*Seneca correctus.*



Κίννᾳ, καί τινα τῶν ἐν ποσὶ πατάξαντος, ἕτερος ἐκ τοῦ στρατοῦ τὸν ῥαβδοῦχον ἐπάταξε. Latinus Pacatus in Panegyrico: *Tum longè populus arcebatur: nec otioſa viatoris manus plebem verbere ſubmouebat.* Imò adeò virgam ad hunc pulſandi vſum geſtaſſe lictores videntur: de qua dicam ſtatim. Inuidioſa igitur & ſuperba hæc ſubmotio cenſebatur: & illi, qui in magiſtratu aſperè ea vſi. Plinius in Panegyrico Traianum laudat, quòd lictores habuerit quietos & ſilentes. *Neque enim,* ait, *ſtipatus ſatellitum manu, ſed circumfuſus vndique nunc Senatu, nunc equeſtris ordinis flore, ſilentes quietóſque lictores tuos ſubſequebare.* Bene & ſignanter, vt ſolet, Plinius. Quietos, ad pulſationem referens: ſilentes, ad vocem. Etiam Ouidius in Triſtium lib. V.

*Submouēdi munus non ſine inuidia.*

*Plinius explicatus.*

*Ceditur & cæcis: & quos prætexta verendos*
*Virgaq́ cum verbis imperioſa facit.*

Magiſtratus enim circumſcribit, quibus viam faciunt, inquit, Virga & Verba. Sic Cicero, in illa quæ de cælo delapſa, epiſtola, ad Q. Fratrem, Octauium laudat: *apud quem,* inquit, *primus lictor quieuit, tacuit accenſus.* Et mox eumdem fratrem ſuum, qui iracundior natura & imperioſior, monet ſeriò vt moderatè vtatur hac ſubmotione. *Sit lictor,* ait, *non ſuæ ſed tuæ lenitatis apparitor: maioráque faſces illis præferant dignitatis inſignia, quàm poteſtatis.* Vbi auſim equidem ſcribere, *Sit lictor * manſues, & tuæ lenitatis apparitor.* Vah, impudens? inquiet aliquis. Non ſum. conſidera ductum litterarum: non nimium aberro. ſententia certè egregia ex hac lectione efficitur; quæ ex vulgata, ſi quid ego ſentio & ſapio, nulla. Obſeruabant autem diligentiſſimè lictores, vt ſubmouerent perſonas infames, puta lenones, meretrices, id genus. credo, ne occurſu, vt propriè dicam, obſceno maieſtas populi principis contaminaretur. Seneca Pater in Controuerſia II. lib. IX. inter excerpta Blandi ponit, *Maieſtatem læſam dixiſſem, ſi tibi exeunti lictor è conſpectu non ſummouiſſet meretricem.*

*Itē Cicero.*

** Melius, è libro Fuluiu, lictor non ſæuitiæ, ſed. quod poſt hæc didici.*

*Meretrices ſolitæ ſubmoueri.*

Sequitur Animaduerſio. idipſum proprium in re lictoria verbum. Suetonius in Iulio, cap. LXXX. *Q. Maximo ſuffecto trimeſtriq́ Conſule theatrum introeunte, cùm lictor animaduerti ex more iuſſiſſet.* Liuius lib. XXIIII. *Vt Conſul animaduertere proximum lictorem iuſſit, & is vt deſcẽderet ex equo inclamauit.* ex quo loco clarũ, Animaduerſionem verbis fieri ſolitam & clamore. Plinius in Panegyrico, *Vtriuſque adhuc oculis paullo antè dimiſſi faſces oberrabant: vtriuſque ſolemnis ille lictorum & prænuncius clamor auribus inſederat; cùm rurſus curulis, rurſusq́ purpura,* &c. Comprehendebant hoc verbo, opinor, quidquid honoris venienti magiſtratui exhiberi ſolemne eſſet. vt Aſſurgere: Caput aperire: Equo aut curru deſcendere: Ferrum ponere, & ſi quid tale. Tangit quædam ex iſtis coniunctim Seneca, Epiſtola LXV. *Si Conſulem,* inquit, *videro aut Prætorem, omnia quibus honor haberi ſolet faciam: equo deſiliam, caput aperiam, ſemita cedam.* ego, lucis cauſſa, dicam de ſingulis ſeparatim. Quòd Aſſurgerent; Suetonius docet in Iulio, cap. LXXVIII. *Triumphanti & ſubſellia Tribunicia prætereuehenti ſibi, vnum è collegio Pontium Aquilam non aſſurrexiſſe adeò indignatus eſt; vt proclamauerit, Repete ergo à me remp. Tribunus.* Moris enim vt non ſolùm priuati aſſurgerent, ſed etiam minor magiſtratus maiori. Sic in

*Animaduerſio, quid.*

*Aſſurgendum erat magiſtratui.*

Dione lego lib. XXXVI. ab Acilio Conſule Sellam Luculli Prætoris confringi iuſſam: quoniam prætereunti ſibi non adſurrexerat. At ille facetè alteram loris intentam repoſuit: exprobrans conſuli ſuſpectam libertatem. Quòd Caput aperirent; præter Senecam, Plutarchus teſtis in Pompeio. cui venienti ait Sullam ſolitum aſſurgere, & aperire caput. videlicet quaſi Imperatori. Et ad hanc hiſtoriam pertinuit Salluſtij fragmentum illud, *Quibus de cauſis Sullam in victoria Dictatorem, equo deſcendere ſibi vni, aſſurgere de ſella, caput aperire ſolitũ.* Loquitur enim ipſe Pompeius. Quæri poteſt, quomodo caput aperuerint, ſi vulgò Romani erant capite intecto? Nam pilleum ſanè aut petaſum ritu noſtro non ferebant. Ea de re ſcribam plenè alio loco aut potius iam ſcripſi. Nam Saturnalibus meis exactus decimus menſis: nec aliud lucem eorum moratur, quàm tenebræ & nimbus huius belli. Quòd Equo deſcenderent; clarum ex Liuij, Valerij, Plutarchi hiſtoria de Q. Fabio. Etiam ex Dione; apud quem lib. XXXVI. Pompeius deſcendere ſibi equo Tigranem regem iuſſit per lictorem. Quod miremur; auctor idem Dio, Seruilio Iſaurico cùm fortè obuius quidam equo non deſcendiſſet; re delata ad iudices, cauſſam ſatis idoneam viſam hominis eius damnandi. Ea pertinacia erat priſci moris. Appuleius graphicè prorſus expreſſit hunc ritũ habendi honoris, lib. III. Floridorum: *Si quem conſpicantur ex principalibus viris, bene conſultum, bene cognitum, quamquam opidò feſtinant, tamen honoris eius gratia cohibent curſum, releuant* (corrupta ea vox eſt, & aliâs ſcribitur, *reuelant*: mihi non eſt ad manum medicina) *gradum, retardant equum, & ilicò in pedes deſiliunt: fruticem quem verberando equo geſtant, eam virgam in læuam manum transferunt. itaque expedita manu adeunt ac ſalutant.* Simile fuit in curru. Feſtus, *Viri ſedentes cum vxoribus in vehiculo deſcendere non cogebantur.* Quòd ferrum ſiue Gladium ponerent, neſcio an vulgò notum ſit; ſed eruo ex Plutarcho, de Pompeij congreſſu & Tigranis: ὡς δὲ ἦλθεν, inquit, ἱππότης ἐπὶ τὸν χάρακα, ῥαβδοῦχοι δύο τοῦ Πομπηΐου προσελθόντες ἐκέλευσαν ἀποβῆναι τοῦ ἵππου καὶ πεζὸν ἐλθεῖν. καὶ ταῦτα μὲν οὖν Τιγράνης ἐπείθετο, καὶ τὸ ξίφος αὐτοῖς ἀποδυσάμενος παρεδίδου. Item ex Xiphilino in Nerone. ad quem veniens Teridates rex, & iuſſus acinacem ponere, noluit: ἀλλ᾽, inquit, ἥλοις αὐτὸν τῷ κολεῷ προσέπηξε, *clauis eum vaginæ adfixit.* ritu non abſimili ab eo qui in pleraque Italia hodie obtinet: in cuius opida cincti non admittuntur peregrini, niſi gladio ad vaginam funiculo aliquo, dicis cauſſa, vincto. Inuenio eumdem diſcingendi ritum apud Tacitum lib. XV. Ann. *Rex propriis nuntiis à Corbulone petierat, ne quam imaginem ſeruitij Teridates præferret; neu ferrũ traderet, aut complexu prouinciis obtinentium arceretur.* qui etiam addit de complexu: de quo, ad ipſum.

*Caput aperiendum.* *Romani ſine petaſo aut pilleo.* *Equo deſcẽdendum.* *Corruptus Appuleij locus.* *Curru deſcendendũ.* *Gladius ponendus.* *Tacitus explicatus.*

Tertium, Prætitio. Ibant enim ante magiſtratum lictores, non gregatim aut confusè, non item bini terniue, vt quis ſuſpicetur: ſed ſinguli, & in lineam. Hoc ſeriò monitum volo, quia non aliter eſt, vt capias, quis Primus, quis Proximus lictor. Ibant, inquam, ſinguli. Ex nummis Iunij Bruti: in quibus expreſſus hic ordo euntium lictorum. qui Nummi in volumine, quod publicauit nuper Fuluius Vrſinus amicus noſter, citra controuerſiam Italiæ ſuæ flos. Item ex Fabiana hiſtoria, quæ apud Valerium & Liuium. ita enim narrant, vt niſi de hoc ordine intellegi non poſſint. Valerij verba ſunt lib. II. *Fabius à Senatu ad filium Conſulem, Sueſſam miſſus, poſtquam animaduertit eum ad officium ſuum extra opidum proceſſiſſe: indignatus quòd ex lictoribus vndecim nemo ſe equo deſcendere iuſſiſſet, plenus iræ ſedere perſeuerauit. Quod poſtquam filius animaduertit, proximo lictori, vt ſibi appareret, imperauit.* Liuij ſunt lib. XXIIII. *Cùm obuiam filius progrederetur, lictoresq́ue verecundia maieſtatis eius taciti anteirent,* [*non ſummouentes patrem*] *præter vndecim faſces equo præuectus ſenex,* &c. Verba, quę adduxi Liuij bono. corrupta enim: & circumcidam in iis latens vlcus. Hæc, *non ſummouentes patrem*, occultum, ſed ineptum gloſſema ſunt, tollenda, inducenda. Liber optimus mihi auctor; & res ipſa. Attende enim cor gloſſographi. Liuius ait lictores tacitos anteiſſe; ille addit, non ſubmotum ab iis patrem. Quid? ſubmotionis res hic erat? Accedere pater filium debebat, vt legatus populi Romani. Is ergo ſubmouendus à conſpectu fuit? aut id poſtulabat filius? Falſum prorſus. non intellexit baburrus ille vim ſubmouendi, aut Liuij mentem. Taciti anteibant lictores, & paſſi patrem propius accedere vehentẽ in equo. In eo peccarũt: animaduertere debuerant, & clamare, Deſcende. Ex hoc igitur ordine facilè eruo, quis Primus, quis Proximus lictor. Primus, is qui anteibat & quaſi ducebat agmen: Proximus, qui claudebat, & proximè aberat à magiſtratu. vnde etiam nomen. Ita intelleges priſcũ morem, qui apud Valerium lib. I. *Maxima diligentia maiores hunc morem retinuerũt, ne quis ſe inter Conſulem & Proximum lictorem, quamuis officij cauſſa vnà progrederetur, interponeret.* Conniuere viſa in hac re Turnebi diuina mens, dum adſeuerat Proximum lictorem eumdem eſſe cum Primo. Apage. nec terram nec cælum tangit ea ſententia. Primus lictor, ab ordine euntium, vt dixi, non à dignitate: cuius proprium munus, ſubmouere. primus enim incurrebat in turbam. Cicero ad Q. Fratrem, *His rebus nuper C. Octauius iucundiſſimus fuit, apud quem Primus lictor quieuit, tacuit accenſus.* Proximus, inter XII. poſtremus: cuius erat mandata à magiſtratu aut litteras accipere, & præſtare ea quæ operæ familiarioris. Hic digniſſimus, & quaſi caput inter lictores: & haud dubiè is, qui alio nomine Summus lictor. Gloſſę veteres, *Summus lictor,* ἀρχιραβδοῦχος. Mentio Proximi, apud Salluſtium: *Hiempſal in opido Thumida fortè eius domo vtebatur, qui Proximus lictor Iugurthæ, carus acceptúſque ei ſemper fuerat.* Apud Ciceronem, *Denique Proximus lictor, de quo ſæpe iam dico, Sextius.* Vidimus & lapidem,

*Prætitio, qualis.* *Singulatim præibant lictores.* *Fuluij Vrſini laus.* *E Liuio gloſſema ſublatum.* *Quis Primus lictor. Quis Proximus.* *Maximi Turnebi aberratio.* *Primi lictoris propria ſubmotio.* *Occultior Ciceronis intellectus.* *Summus lictor.*

M. VALERIVS
ACHILLEVS. LI
CTOR. PROXIMVS
LAVRENS. LAVINAS.

Dixi munera lictorum: addam Inſignia, & quæ cum inſignibus munia coniuncta. Inſignia eorum, Faſces & Virgæ. Faſces appellamus, bacillos aliquot teretes loro colligatos in modum faſcis. quorum exemplar frequens in lapidibus & nummis. Eos bacillos ex vlmo fuiſſe antiquitùs, docere videntur Comœdiæ Plauti, non vno loco. Plinius tamen Betullam arborem terribilem ait magiſtratuum virgis: & neſcio vniuersè id acci-

*Lictorij faſces.* *Ex vlmo, aut betulla, ſi fortè.*

accipiendum, an ex verbis eius, de Gallia tantùm. Italiæ ſanè cõmunior

*Origo faſcium.*

vlimus. Faſcium inuentum Vetuloniæ Etruriæ vrbi adſcribit Silius:

*Mæoniæq; decus quondam Vetulonia gentis,*
*Biſſenos prima illa dedit præcedere faſces,*
*Et iunxit totidem, tacito terrore, ſecures.*

*Secures adempta faſcibus.*

Inde traducti Romam. Et faſces quidem hæſerunt Romæ, non ſecures. P. enim Valerius non falsò Poplicola dictus, inuidiæ Cõſulum minuendæ, primus dempſit faſcibus ſecures. quaſi ne nimius ille terror delibaret aliquid de populari libertate. Ex eo tempore exſules vrbe Roma ſecures: ius tantùm ſuum in bello tenuerunt, & extra vrbem.

*Tantum prælata extra vrbem.*

Clarè Dionyſius lib. IV. Βεβαίαν τε πίστιν ὑπὲρ τῆς ἐλευθερίας τοὺς δημοτικοὺς λαβεῖν βουλόμενος, ἀφεῖλεν ἀπὸ τῶν ῥάβδων τοὺς πελέκεις. καὶ κατεστήσατο τοῖς μετ᾽ αὐτὸν ὑπάτοις ἔθος, ὃ καὶ μέχρι τῆς ἐμῆς διέμεινεν ἡλικίας, ὅταν ἔξωθεν τῆς πόλεως γένωνται χρῆσθαι τοῖς πελέκεσιν, ἔνδον δὲ ταῖς ῥάβδοις κοσμεῖσθαι μόναις.

*Liuius explicatus.*

Liuius lib. XXIIII. *Lictores ad eum accedere Conſul iuſsit. & quia in vrbem non inierat, protinus in campum(* Martium intellegit*) profectus: admonuit cum ſecuribus ſibi faſces præferri.* Vbi ſatis clarè eum morem agnoſcit Liuius, libro tamen ſecundo, vbi opportunè id poterat, verbo de eo admonere oblitus.

*Appiani parũ cauta ſcriptio.*

Mirum ergo Appianum ſcribere lib. I. Bellor. ciuilium, Octauium in ſella curuli ſediſſe, prætexta indutũ, faſcibus & ſecuribus, quaſi Conſulem, cinctum. & id narrat eueniſſe Romæ: ἐπί τε, inquit, τοῦ θρόνου προὐκάθητο τὴν τῆς ἀρχῆς ἐσθῆτα ἐπικείμενος, ῥάβδων καὶ πελέκεων ὡς ὑπάτῳ περικειμένων. Ipſe Octauius hoc peccauerit contra priſcum morem, in tumultu ciuili; an per neglegentiam ſuam ita narrauerit ſcriptor Græcus, non dicam. Mos quidem non ambiguus eſt, vt quem Dionyſius adfirmet perſeueraſſe ad ſuam ætatem.

*Dictatori ſoli ius in vrbe ſumendi ſecures.*

Excipio tamen ab hoc more Dictatorem, quotiens ſine prouocatione creatus. Illi enim prælatæ ſecures etiam in vrbe. Auctor Dionyſius lib. V. & Liuius lib. II.

*Modus ferẽdi faſces.*

Faſces igitur iſtos ante magiſtratum ferebant lictores. erectóſne, an in humeris inclinatos? Cenſeam in humeris, ſuaſus à Nummo Bruti in quo ea ſpecie cernuntur: ſed & ab Hegeſippo, libro V. excidij: *Habent & ſacerdotia ſuos faſces, qui eleuantur non humeris, ſed moribus, & attolluntur non virgarum proceritate, ſed fidei altitudine.* vbi clarè de *Humeris*: etſi aliter etiam ſurrectos haud negem.

*Mos ſubmittendi faſces;*

Sed in ea geſtatione mos, vt ſi per viam maiori alicui magiſtratui occurrerent, ſtatim ſubmitterent faſces, &, honoris habendi cauſſa, inclinarent. Ortus mos, vt videtur, ab eodem Valerio, qui primus ſummiſſis faſcibus in concionem aſcendit. *Gratum id multitudini ſpectaculum fuit* (ait Liuius) *ſummiſſa ſibi eſſe imperij inſignia confeſsionemq; factam, populi, quàm Conſulis, maieſtatem vimq; maiorem eſſe.* Summiſſis faſcibus, id eſt, in terram depreſſis & ante pedes quodammodo deiectis. Errant qui in Liuio interpretantur faſces depoſitos, & abire iuſſos lictores. Plutarchus ſignanter ſcripſit, αὐτὰς τὰς ῥάβδους εἰς ἐκκλησίαν παριὼν, ὑφῆκε τῷ δήμῳ, καὶ κατέκλινε. id eſt, ſubmiſit inclinauitque. Dionyſius amplius aliquid addit ad hunc morem: ſolitum videlicet in eiuſmodi occurſu (ſi

*Et deponẽdi ſecures.*

fortè extra vrbem vſu veniſſet) vt minor magiſtratus deponeret etiam ſecures. Verba eius lib. VIII. de Marcio Coriolano: Ἐκέλευσεν τοῖς ὑπηρέταις



ταῖς ἀποθέσθαι τοὺς πελέκεις, καὶ τὰς ῥάβδους καταστεῖλαι. τοῦτο γὰρ ἔθος ἐστὶ ποιεῖν Ῥωμαίοις, ὅταν ὑπαντῶσι ταῖς μείζοσιν ἀρχαῖς οἱ τὰς ἐλάττους ἔχοντες.

*Idem ritus in nauibus.*

Nec terra ſolùm, ſed mari ſeruata hæc ſubmiſſio. Vnicum ad hanc rem locum Appiani inuenio lib. V. Ciuilium. vbi Antonij & Domitij Aënobarbi prætoriæ naues caſu ſibi obuiæ: Πλησίον τε ἦσαν ἀλλήλων ἤδη, καὶ αἱ ναυαρχίδες ἐκ τῶν σημείων ἐφαίνοντο, καὶ ἀλλήλαις προσέπλεον, καὶ τῶν ῥαβδούχων ὁ ἡγούμενος Ἀντωνίῳ κατὰ τὴν πρῶραν ὥσπερ ἔθος ἐστὶν ἑστὼς, ὡς ὑπηκόοις ἢ ἐλάσσοσιν ἀνδράσιν ὑπαντῶσι, προσέταξε καθελεῖν τὸ σημεῖον, οἱ δὲ καθῄρουν τε, καὶ τὴν ναῦν ἐς τὰ πλάγια τῆς Ἀντωνίου νεὼς περιέστρεφον. Vbi mos duplex. quòd ſignum prætoriæ nauis deponerent: & quòd lictores, ad ſpeciem imperij, ſoliti ſtare in prora nauis. Ab hoc ritu natum prouerbium, Submittere faſces: id eſt, cedere, & fateri ſe minorem, vſurpatũ præter alios Ciceroni in Bruto. Addere hic aliquid de diuiſione faſcium poteram inſtituta à Iunio Bruto: ſed res non obſcura; & pete, ſi voles, ab Agellio lib. II. Suetonio in Iulio, cap. XX. Liuio, lib. III. de X. viris.

*Virga lictorum.*

*Apta ad ſubmouendum.*

Alterum Inſigne lictorum, Virgæ. Nam præter faſces, videntur manu geſtaſſe virgam, duplici vſui: & ad ſubmouendum, & ad ianuam tangendam. De virga lictorum in ſubmotione, Martialis,

——*nec ſuperba clamoſi*
*Lictoris abiget virga baſiatorem.*

*Et ad tangẽdas fores.*

Et Plauto digna prologus, non Plauti,

*Scortum exoletum ne quis in proſcenio*
*Sedeat; neu lictor verbum aut virgæ mutiant.*

In ianua percutienda, Martialis,

*Bis ſenos iubet en redire faſces*
*Nato Conſule: nobiliq; virga*
*Vatis Caſtalij domum ſonare.*

*Mos ille diffuſius explicatus.*

Nam quotiens magiſtratus ſuam aut alienam domum intraturus erat; lictor præcedens, virga fores percutiebat, quaſi ad ſignificandum eius aduentum. Liuius libro VI. *Fortè ita accidit, vt in Ser. Sulpicij Tribuni militum domo, ſorores Fabiæ cùm inter ſe, vt fit, ſermonibus tererent tempus: lictor Sulpicij, cùm is de foro ſe domum reciperet, forem vt mos eſt virgà percuteret. cùm ad id moris eius inſueta expauiſſet minor Fabia, riſui ſorori fuit.* Plinius libro VII. *Cn. Pompeius, confecto Mithradatico bello, intraturus Poſidonij ſapientiæ profeſsione clari domum, fores percuti de more à lictore vetuit.* Statius de Nuptiis Stellæ,

——*dum feruent agmine poſtes*
*Atriaq;, & multa pulſantur limina virga.*

** Atq; ità Ammianus lib. XIV. ait Præfectum familiæ virgam dextra geſtaſſe.*

Et ſanè eius moris reliquum veſtigium hodie in aulis magnatium: in quibus fores, per ſingulos ciborum miſſus, ab* Oeconomo, tereti baculo feriri ſatis notum eſt. Tale quid hæc virga. Ideò in Gloſſis ſcriptum, *Virgarius*, ῥαβδοῦχος. Cum faſcibus confundi eam mihi non placet, nec ratio eſt. diſtinguit ſanè Appianus I. Ciuilium, in ſeditione Gracchana,

*Aliud virgam, aliud eſſe faſces. Bacilli, idẽ quod virga.*

ῥάβδους καὶ ξύλα τὰ ἐν χερσὶ τῶν ὑπηρετῶν ἁρπάσαντες, &c. ait, faſces & virgas. Cicero etiam has ipſas virgas nominare videtur Bacillos, lib. XI. ad Atticum: *Propius accedere, vt ſuades, quomodo ſine lictoribus poſſum,*

quos

*quos populus dedit? qui mihi incolumi adimi non poſſunt. quos ego paulliſper modo cum bacillis in turbam conieci, ad Oppium accedens, ne quis impetus militum fieret.* Nam quòd vir doctus ibi faſces intellegendos dicit: de ſummo pectore id dicit, & parum conſpectè.

*Manutij nō vera opinio.*

Verior ſententia: quia faſces illi laureati nimium incurrebant in oculos, & ad vitandam inuidiam in depreſſa fortuna; ideò, ait Cicero, remotis iis acceſſi, retinui ſolas virgas. Caſum quem Cicero metuebat, euênit Cæcinæ Conſuli apud Tacitum libro III. Hiſtoriar. & ſeditio militaris excitata, ſolùm propter conſpectos in partibus iam victis faſces. *Sed vbi Cæcina*, ait, *prætexta & lictoribus inſignis, dimota turba, conſul inceſſit: exarſere victores.* & quæ ſequuntur. Seneca eaſdem virgas nominat, libro I. De Tranquillit. cap. I.

*Seneca corruptus & correctus locus.*

*Placet vim præceptorum ſequi, & in mediam ire remp. placet honores faſcesq; non purpura aut aureis virgis adductum capeſſere, ſed vt amicis propinquisq; & omnibus ciuibus paratior vtiliorq; ſim.* Vbi mendo manifeſto ſcriptum, *aureis.* Nam aureas eiuſmodi virgas fuiſſe, nemo dixit, ſcripſit, pinxit. Aſſentior libris aliquot qui legunt eiecta ea voce, *aut virgis adductum.* Poterat etiam ſcribi littera addita, *laureis virgis:* vt neget Seneca magiſtratum cupiêdum, aut capiendum, per ambitionem & deſiderio triumphi. Nam in triumpho laurus in faſcibus; ac laureæ virgæ in manibus militum & triumphantis.

*Virgæ ſiue bacilli præferebantur magiſtratibus colonicis.*

Nec Romæ ſolùm in vſu hæ virgæ, ſed etiam in coloniis & municipiis, etſi vſu paullo diuerſo. Nam Duumuiris, Ædilibus Quinquennalibus, Sexuiris, (qui magiſtratus colonici & municipales) lictores præibant nō cum faſcibus, ſed cum nudis virgis aut bacillis. Appuleius lib. I. Mileſiarum, *Nam & lixas & virgas, & habitum prorſus magiſtratui conuenientem in te video. Annonam curamus, ait: & AEdilem gerimus.* Ædilem intellegit in Theſſaliæ Hypata Quinquennalem.

*Ædilibus Quinquennalibus.*

*Itē duumuiris.*

Cicero in Rullum, *Nam primum cum ceteris in coloniis Duumuiri appellentur, hi ſe Prætores appellari volebant. Deinde anteibant lictores non cum bacillis, ſed vt hîc Prætoribus anteeunt cum faſcibus duobus.* Ecce bacilli præferri Duumuiris ſoliti loco faſcium. qui ritus ne nunc quidem exoleuit in colonia Agrippinenſi; vbi lixæ, qui maiores Conſules comitantur, oblongum teretem baculum geſtant, inſigne magiſtratus. At Campanæ ſuperbiæ fuit, quòd illi faſces ſumerent: vt apud Petronium pariter vanus ille Trimalcio, quoniam Sexuir Auguſtalis, faſces poni ſibi iuſſit, & quidem cum ſecuribus.

*Item Sexuiris.*

*Petronius correctus.*

Ideò adoleſcens qui ſpectabat, *Et quòd præcipuè miratus ſum*, inquit, *in poſtibus triclinij faſces erant cum ſecuribus fixi: quorum vnam partem* (legendum, *imam partem*) *quaſi embolum nauis æneum finiebat, in quo erat ſcriptum,* G. POMPEIO. TRIMALCIONI. VI. VIRO AVGVSTALI. Cur id præcipuè miratus? quia inſolens ſcilicet, & præter omnem morem.

Dixi de lictoribus quæ ſciui: addendum aliquid de numero, & quot fuerint cuique magiſtratui.

*Quot lictores, & quibus magiſtratibus.*

*Dictatori XXIIII.*

Dictatori tribuunt vulgò XXIIII. & is numerus apud Dionem, initio lib. LIIII. ſcilicet quia duplex in eo imperium, ideò & inſignia Conſulis vtriuſque. Appian. lib. I. Ciuil. bellor. de Sulla, πελέκεις τε γὰρ ἐφέροντο, inquit, πρὸ αὐτοῦ οἷα Δικτάτωρος εἴκοσι ϗ τέσσαρες, ὅσοι ϗ τῶν πάλαι βασιλέων ἡγοῦντο. Et Plutarchus in Fabio narrat, Dictatorem eum, cum XXIIII. faſcibus ſtatim proceſſiſſe in forum, vt populo vim



vim oſtenderet eius imperij. Huic tamen vulgatæ ſententiæ pugnat Epitome Liuiana. in qua claris verbis ſcribitur, lib. LXXXIX. *Sulla Dictator factus, quod nemo quidem vmquam fecerat, cum faſcibus viginti quatuor proceſſit.*

*Nodus in Epitome Liuiana.*

Id ſi verum: ergo omnes antè Dictatores XII. tantùm faſcibus vſi. Ita vanus Plutarchus, qui Fabio XXIIII tradidit: vanus Appianus, qui eum numerum proprium cenſuit Dictaturæ. Ego ſanè hîc hæreo. niſi ſi delendum id totum in Epitome, *quod nemo quidem vmquam fecerat.* tamquam à ſcioli cuiuſpiam infauſta & infeſta manu.

*Tollendi conatus.*

Quidquid ſit, ea tamen parte peccat Appianus, quòd ſcribat regibus lictores fuiſſe XXIIII. & inde exemplum traductum ad Dictatores. Peccatum largum.

*Appiani clarus error.*

Liuius ſanè, Dionyſius, & quos ego viderim hiſtorici, conſenſu tribuunt XII. lictores regibus: vel à numero auium, inquiunt, quæ Romulo regnum portenderant; vel exemplo ab Etruſcis, quorum XII. populi creato regi ſinguli ſingulos lictores dabant.

*Magiſtro equitum, ſex.*

Magiſtro equitum lictores ſex fuerunt. Ideò notandum, quia Dionis vnicus locus, ex quo id haurimus. apud Latinos nulla mentio. Libro XLII. de M. Antonio, qui Magiſter equitum Cæſari: *At Antonius*, inquit, (vertam enim eius verba) *ſi veſtitum eius ſpectares, imaginem popularis ſtatus præferebat: prætexta enim vtebatur. item ſi lictores: non enim plures quàm ſex habebat. At ſi gladium ſpectares, quo cingebatur, & multitudinem militum qui eum comitabantur; reuera oſtendebat regnum & imperium vnius.*

Conſuli fuerunt XII. Prætori, ſex. Tribunis & Ædilibus non Lictores, ſed Viatores. Quæſtori, neutri.

*Quæſtori, nulli.*

Varronis verba vide apud Agellium lib. XIII. cap. XII. Tamen Liuius Quæſtori P. Sextio diſertè tribuit lictorem lib. IIII. in ſeditione militari: ſed non, vt Quæſtori. Præerat enim caſtris, abſente Conſule.

*Legatis, lictores.*

Legatis etiam lictores, in prouinciis. Spartianus in Seuero, qui Legatus Proconſulis Africæ: *In ea legatione*, inquit, *cùm eum quidam Leptitanus, præcedentibus faſcibus, ipſe plebeius amplexus eſſet.* Mutaſſe tamen aliquid videtur Alexander Seuerus, & inſtituiſſe vt milites anteirent loco lictorum. Lampridius, *Apparitores denique nullos eſſe paſſus eſt. Tribunis aut ducibus, niſi milites, anteire noluit. iuſſitq;, vt ante Tribunum quattuor milites ambularent, ante Ducem ſex, ante Legatum decem.*

*Magiſtris vicorum, bini.*

Magiſtris etiam vicorum Romæ, per certos dies, lictores bini. Inſtituit Auguſtus. vide Dionem lib. LV.

*Veſtalibus, vnus.*

Virginibus Veſtalibus in publico ſemper vnus lictor. Inſtituerunt IIIviri, Antonius, Lepidus, Octauianus. Narrat multis verbis Dio libro LVI. quem adi, & Plutarchum cautè lege in Numa, qui lictorem Veſtalium referre videtur ad inſtituta Numæ. Pertinet ad Veſtales Vinitij locus, qui apud Senecam Patrem legitur in Controuerſia, Sacerdos proſtituta:

*Seneca Pater emendatus.*

*Procedente hac lictor ſubmoueri videbitur: huic Prætor via cedet; ſummum imperium Conſules cedent tibi.* vbi emendo, *lictor ſubmouere iubebitur.* Lictore etiam ad hoc exemplum vſæ Imperatorum aliquot vxores. Sed & Flaminius lictor, & Curiatus, nominati Feſto.

## CAP. XXIIII.

*Auſonianæ aliquot emendationes. Lumen, de filiis eleganter dictum. Faſtus Campanus. Auſonius quando Conſul.*

NAVI curſus mihi nuper Brugas fuit. vrbem, & à ſe, & à ciuium ingeniis inter primas Europæ nobilem. Sed ea nauigatio cùm parum ex voto mihi eſſet, flantibus ventis aduerſis; & dies complures præter opinionem coleremus in naui: ad fallendum ſedentarium illud otium, Auſonium arripui, qui caſu tunc præ manu. Eum percurrens hæc ſublegi: exigua, & digna fortaſſis illo, in quo nata, mari. In Parentalib. ad Cæcilium Arborium auum ſuum:

*Amiſſum fleſti poſt trina decennia natum.*
*Saucius extincto lumine caſſus eras.*

*Lumen pro filio.*

Vana lectio, à vaniſſimo illo correctore Lugdunenſi: cui non ſemel os verberat Scaliger. Scriptura vetus erat, *Saucius ocleruo.* ex quo princeps ille Criticus, *Saucius ocle tuo.* Mihi tamen probabatur, *Saucius ac læuo lumine.* Bini liberi huic Cæcilio Arborio, Æmilius Magnus Arborius, & Æmilia Æonia Auſonij mater. Æmilium quia amiſit, dicit eum poëta caſſum lumine læuo: id eſt, alterum è duobus eum amiſiſſe lumen. Honeſta ſanè locutio, ſimiliter vſurpata Quinctiliano lib. VI. *Mihi filius minor quintum egreſſus annum, vt in malis agerem, prior alterum è duobus eruit lumen.* Nam liberi, parentum quaſi oculi & lumen. Feſtus, *Orba eſt quæ patrem aut matrem, aut filios quaſi lumen amiſit.*

De claris vrbibus, Capua:

*Mox vt in occaſum vitiis communibus acti*
*Corruerent Pœni, luxu Campania feſto.*

*Faſtus Campanus.*

Haud parum melior ſententia, ſi legas, *Corruerunt, Pœni luxu, Campania faſtu.* Hoc ſanè ait, poſtquàm communibus infecti vitiis Campani & Pœni perierunt; Pœni quidem luxu, Campani faſtu: tunc illa potens Capua ſic cecidit, vt nunc vix octaua. Hactenus enim ſententia continens, & vno ductu legenda. Campana ſuperbia, prouerbio innotuit.

De Faſtis ſuis,

*Hactenus adſcripſi Faſtos: ſi fors volet, vltrà*
*Adiiciam. ſi non, qui legis, adiicias.*
*Scire cupis qui ſim? titulum qui quartus ab vno eſt,*
*Quære. leges nomen Conſulis Auſonij.*

*Auſonij verſus de conſulatu ſuo correctus.*

Leue mendum verſu tertio, ſed quod momentum ad hiſtoriam habet. Scribe, *qui quartus ab imo eſt.* Nam Auſonius Faſtos ſuos perduxit ad annum vrbis ∞.C.XXII. Ipſe autem conſul, collega Syagrio, (illo cui inſcriptum Epigramma generis ſui) ∞.C.XVIII. Clarum ergo cur titulum inſpici velit à fine quartum.

CAP.



## CAP. XXV.

*Seruorum quæ propriæ olim veſtes. Tunicatos primò fuiſſe. ſicut & ruſticos Romanos in coloniis in municipiis. Plinius emendatus. Poſtea ſerui pænulati. earum pænularum color rufus. Canuſinatus, quid? Cuculli, Bardocuculli. Imperatorum ſerui alia veſte. Ij albati, vel aurati.*

*Tunica ſola, propria ſeruorum.*

IN ciuium veſte quid fuerit, & quæ mutatio, dixi: nunc operæ mihi eſt, vt eandem operam ſumam in veſte ſeruili. Tunica, communis Romæ ſeruorum veſtis. In Plauti Amphitruone, Soſia loquitur,

*Imò equidem tunicis conſutis huc aduenio, non dolis.*

*Ruſtici Romani, tunicati.*

Seneca, De Breuitate vitæ, cap. XII. *Cùm videam quàm diligenter exoletorum ſuorum tunicas ſuccingant, quàm ſuſpenſi ſint quomodo aper cæſus à coco exeat.* Et qui hac parte non differebant à ſeruis, etiam ruſticorum in coloniis & municipiis. Cicero in Rullum de Capuanis: *Iam verò qui metus erat tunicatorum illorum? in Albana & Seplaſia quæ concurſatio percontantium quid Prætor edixiſſet?* Martialis,

*Quos Fauſtine dies, qualem tibi Roma Rauennam*
*Abſtulit? ô ſoles, ô tunicata quies!*

*Plinius emendatus.*

Plinius lib. VII. Epiſtolar. *Quin ergo aliquando in vrbem redis? vbi dignitas, honor, amicitiæ tam ſuperiores, quàm minores. Quouſque regna vis? quouſque vigilabis cùm voles? dormies quamdiu voles? quouſque calcei? nuſquam toga feriata? liber totos dies?* quæ ad hanc ſententiam emendo; *quouſque regnabis?* & ſtatim, *quouſque calcei nuſquam? toga feriata?* Nam in municipiis, vt non togæ, ſic nec calceorum vſus: quæ veſtis vtraque forenſis.

Martialis,

*Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga,*
*Olidæve veſtes murice.*

*Pænula, veſtis ſeruorum.*

*Item militum.*

Et in ſeruis hoc obtinuit antiquitùs at temporibus imperatorum qui luxus ad liberos homines, idem pertinuit ad ſeruos. Non tunicæ amplius meræ, ſed pænulæ in vſu ſeruorum. Seneca lib. III. De Benef. cap. XXVIII. *Quò te pænulati iſti in militum quidem non vulgarem cultum ſubornati; quò, inquam, te iſti efferunt?* Quòd ait in militum cultum: hoc ideò, quia pænula veſtis etiam militaris. Seneca De Benef. lib. V. cap. XXIIII. *Quendam ex commilitonibus Cæſari pænulam ſuam ſubſtrauiſſe.* Ab hoc ritu lucem Martiali do, in Apophoretis, Lemmate, *Canuſinæ rufæ:*

*Roma magis fuſcis veſtitur, Gallia rufis.*
*Et placet hic pueris militibusq; color.*

*Canuſinatus, de pænulis.*

Pueros ecce coniungit & milites, quia vtrique in pænulis rufis. Lana ad pænulas iſtas rufas laudatiſſima Canuſij. Plinius, *Apulæ lanæ breues villo, nec niſi pænulis vtiles. circa Tarentum Canuſiumq; ſummam nobilitatem habent.* Ideò Canuſinati ἁπλῶς, ſerui nominati, qui pænulas indutui haberent huius coloris. Martialis,

*Vt Canuſinatus noſtro Syrus aſſere ſudet.*

 Sueto-

Suetonius in Nerone, cap. XXX. *Numquam carrucis minus mille feciſſe iter traditur, ſoleis mularum argenteis, canuſinatis mulionibus.* Sed & in Galliis arbor quædam ad tingendas has veſtes. Plinius lib. XVI. cap. XVIII. *Item vacinia, Italiæ in aucupiis ſata: Galliæ verò etiam purpurea, tingendi cauſſa ad ſeruitiorum veſtes.* Hæc in elegantioribus ſeruis: at vilioribus, per illam ætatem, frequens vſus cuculli. Martialis,

*Cuculli, viliũ ſeruorũ.*

*Pullo Mæuius alget in cucullo.*

Lampridius in Elagabalo, *Tectus cucullione mulionico, ne agnoſceretur.* Capitolinus in Vero, *In tantum vitiorum Caianorum & Neronianorum fuiſſe æmulũ, vt vagaretur nocte per tabernas ac lupanaria, obtecto capite cucullione vulgari viatorio.* Nec diſſimile, quod Bardocucullum Martialis appellat,

*Et Bardocuculli.*

*Gallia Santonico veſtit te bardocucullo.*
*Cercopithecorum pænula nuper erat.* & alibi,
*Vrbica Lingonicus Tyrianthina bardocucullus.*

Obtinuerunt hæc in priuatorum hominum ſeruis. Imperatorij miniſtri veſte videntur fuiſſe à vulgo ſecreta: aut certè colore veſtis. Nam viles ſeruorum, omnes pulli: Martialis,

*Imperatorum ſerui diſcreti veſte.*

*Lana quidem triſtis, ſed tonſis apta miniſtris:*
*Quales non primo de grege menſa vocat.*

*Ij albati.*

Honeſtiores, vt dixi, rutuli aut rufi: Cæſariani verò, albi. qui color proprius libertatis, & ideò digniſſimus. Suetonius in Domitiano, *Generum fratris indignè ferens & ipſum albatos miniſtros habere, proclamauit,* ȣ̓κ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. interpretor non in togis albis, ſed tunicis aut pænulis. Nam togam permiſſam ſeruis quî credam? In tunicis potius albis; ſicut Ædiles Quinquennales apud Iuuenalem; vt inter tunicatos aliqua nota eminerent, albati erant:

*Sufficiunt tunicæ ſummis Aedilibus albæ.*

inquit. Moderatior Domitiano Aurelianus, qui, vt Vopiſcus ait, *Curſores eo habitu quo ipſe habebat, Senatoribus conceſſit.* eo habitu, id eſt, albatos. Sed & auratæ veſtes fuiſſe videntur Imperatoriis ſeruis. Lampridius in Alexandro, *Auratam veſtem miniſtrorum nullus vel in publico conuiuio habuit.* Atque ita intellego quod Seneca ſcribit de Tranquil. vitæ, cap. I. *Cùm bene iſta placuerunt, præſtringit animum apparatus alicuius pædagogij, diligentius quàm iam intra priuatum larem veſtita & auro culta mancipia.* Et in tunicis hoc aurum. ex Ammiano libro XXVI. *Stetit itaque ſubtabidus, nuſquam reperto paludamento, tunica auro diſtincta, vt regius miniſter: indutus à calce in pubem in pædagogiani pueri ſpeciem.* Sed & chlamys ſeruis aulicis fuit. ex Lampridij Alexandro, vbi Conſtantinum Imp. adfatur: *Et tu ſeruos eo loci habes, vt nec chlamyde vti iuſſeris, ſed neceſſitatibus domeſticis delegaris.*

*Etiam aurati.*

*Chlamydes ſeruorum.*

## CAP. XXVI.

### *Gloſſemata aliquot non paruæ rei è Seneca ſublata.*

ANNÆVS Seneca frequenter mihi in manibus eſt: vt ego ſentio, non ſine fructu. Siue enim doctrinam quæro; multa inuenio in ritibus



tibus priſcis recondita: ſiue ſapientiam; deus bone, quid ad mores & ad vitam, ſcriptum vnquam præclarius? Qualis ille, & quàm Romanus, vbique animus? quæ tela aduerſum caſus ſubminiſtrat, & ipſam mortem? quomodo vitia eripit, inſerit virtutes? Fatendum eſt. in cacumine Olympi montis conſtitutus mihi videor cùm illum lego: ſupra ventos & procellas, ſupra omnes res humanas. Eò libentior hoc caput vtiliſſimo ſcriptori dabo: & vitia illi minuam, qui ſæpe mihi, parens philoſophiæ Romanæ. Conſolatione ad Polybium, in extremo,

*Seneca laudatio.*

[*Hæc vtcumque potui longo iam ſitu obſoleto & hebetato animo compoſui: quæ ſi aut parum reſpondere ingenio tuo, aut parum mederi dolori videbuntur, cogita quàm non facilè Latina verba ei homini ſuccurrant, quem Barbarorum inconditus grauiſq; fremitus circumſonat.*]

Vt Seneca hæc ſcripſerit? verbis tam humilibus, tam ineptis? numquam factum. Quidquid adduxi merum additamentum eſt, ab Ixione aliquo librorum & Ægiſtho. A fine enim huius libri clarè aliquid deeſt. id conatus fuit reſarcire ſuis verbis ſectarius iſte veruex. At vide etiam cor ouiculæ? negat Senecæ vltrà ſuccurrere verba Latina: credo, quia ſimile alibi legerat in Ouidij ſcriptis. Conſidera quæſo, Lector: &, ſi Heraclitus es, ride. In libello ad Gallionem De Remediis fortuitorum, initio,

*Gloſſema pudendum.*

*Licet cunctorum poëtarum carmina gremium tuum ſemper illuſtrent, aliquando deliberans, hoc tibi opuſculum pro accidentibus caſibus dirigere curaui, quod non præſentes, ſed poſteri narrabunt. Vnde ergo primum incipimus? Si tibi videtur à morte. Ab vltimo, inquis, imò à maximo.*

ἀτελὴς ille prior liber fuit, *ἀκέφαλος iſte*. Sed quomodo explerunt, di boni? Non pannum in purpura, vt ait ille, magis conſpicuum ſit, quàm hic ad Senecam adtextus. Sententia tota ridicula: verba, maculantia, barbara, ſpurca. Et non vidit hoc Eraſmus, aut Pincianus? digni mehercule illi ipſi cenſores cenſoria nota. Viliſſimæ pecudis gloſſema eſt, totum illud quod ſcripſi, ad hæc vſque verba, *Vnde ergo primum.* Reliqua Senecæ eſſe clarum ex acumine ipſo.

*Iterũ gloſſema.*

De Diuina prouidentia, cap. III.

*Quanto magis huic inuidendum eſt, quàm illis quibus gemma miniſtratur, quibus exoletus omnia pati doctus [exectæ virilitatis aut dubiæ] ſuſpenſam auro niuem diluit?*

Simile, niſi fallor, gloſſema ad vocem Exoleti. ideò delendum. *Tertium.*

De Tranquillitate lib. I. cap. I.

*Placet cibus, quem nec parent familiæ, nec ſpectent, [non antè multos paratus dies, nec multorum manibus miniſtratus, ] ſed parabilis faciliſq;, nihil habens accerſiti pretioſiue.*

Ea quæ concluſi lineis, nihil ambigo quin interpretamentum ſint ad ea verba paullò breuius & concinnius dicta, *quem nec parent familiæ, nec ſpectent.* *Quartum.*

Epiſtola XCVI.

*Petis à me vt quod in diem ſuum dixeram debere differri, repræſentem, & ſcribam tibi.*

Scribe, *quod in diem dixeram debere, repræſentem.* reliqua ſunt à mala manu. *Quintum.*

In diem debere, & Repræſentare aduerſa ſunt: ea metaphora à re pecuniaria Seneca luſit.

De Benefic. lib. VII. cap. XXI.

*Pythagoricus quidam emerat à ſutore phæcaſſia, [rem magnam,] non præſentibus nummis. Poſt aliquot dies venit ad tabernam redditurus, & cùm diu clauſam pulſaret, fuit qui diceret, Quid perdis operam? ſutor ille quem quæris elatus, combuſtus eſt.*

*Sextum.* Phæcaſſia, inquit, rem magnam. Quare rem magnam? nos ſcimus ita appellari Græcanicos calceos, & pretium eorum non plus tribus denariis, vt ſtatim addit. Dico ego gloſſema eſſe imperiti alicuius Macci, ad Phæcaſſia vocem. quam ille non magis intellexit quàm Milphio Pœnulum Plauti. Pleraq; ex iſtis probaſſe olim me ſcio M. Antonio Del-rio, (eum honoris & amoris cauſſa nomino) clariſſimo viro, & non ad hoc ſæculum amico: cuius fides certa mihi fuit, rebus incertis.

## CAPVT XXVII.

*Error communis in hiſtoria & Faſtis de cenſu & luſtro. Plutarchi peccatum, & eius cauſſa. Epitome Liuiana corrupta oſtenſa.*

ADVERSVM Plutarchum mihi, optimum aliàs & ſanctiſſimũ ſcriptorem, hoc caput conceptum eſt: vel potius aduerſum vanam opinionem, quæ ab illo capite in libros manauit & in vulgus. Eam tollam, argumentis ita certis:

*Vt contrà quiſquis ſentiat, nil ſentiat.*

Creditur Iulius Cæſar, victa Africa, cenſum inſtituiſſe; & in eo repperiſſe ciuium non plus centum quinquaginta millia. cùm tamen ante bellum ciuile, cenſa eſſent millia trecenta viginti. Plutarchus claris verbis:

*Adſtipulatores Plutarchi.* μετὰ δὲ τὰς θέας γενομένων τιμήσεων, ἀντὶ τῶν προτέρων δυοῖν καὶ τριάκοντα μυριάδων, ἐξητάσθησαν αἱ πᾶσαι πεντεκαίδεκα. τηλικαύτην ἡ στάσις ἀπειργάσατε συμφορὰν, καὶ τοσοῦτον ἀπανήλωσε τοῦ δήμου μέρος. id eſt, *Poſt ſpectacula verò, cenſu acto, pro trecentis viginti millibus ciuium, quot prius fuerant, cenſi ſunt in vniuerſum centum quinquaginta millia. Tantam intulit bellum ciuile cladem, & tantam abſumpſit populi partem.* Et Epitome Liuiana, *Cenſum egit, quo cenſa ſunt ciuium capita centum quinquaginta millia.* Hos duces ſequuntur Faſtorũ hodie ſcriptores Sigonius & Onufrius Panuinus. Multi, vt video, in partibus: tamen aduerſum eas omnes copias, veteres & nouas, confligã ego ſolus. Primùm an cenſum vllum legitimũ egerit Cæſar, dubito: (nõ monuit id Suetonius, aut Dio:) non condidit certè luſtrũ. Si non luſtrũ, ergo nec numerũ vniuerſum ciuium in tabulas rettulit, & in acta. Non enim id ſolet, niſi condito luſtro. Vide omnes Liuij libros, integros & decurtatos: ſolemnis vbique hæc narratio, *Luſtrum conditum; quo cenſa tot millia ciuium.* Quòd non condiderit luſtrum: teſtis mihi extra ſuſpicionem omnem & calumniã lapis, in quo Breuiarium Auguſti. Ibi ſic de ſe Auguſtus: IN. CONSVLATV. SEXTO. CENSVM. POPVLI.

*Cæſarem non egiſſe cenſum.*



PVLI. COLLEGA. M. AGRIPPA. EGI. LVSTRVM. POST. ANNVM. ALTERVM. ET. QVADRAGESIMVM. FECI. LEGI. QVO. LVSTRO. CIVIVM. ROMANORVM. CENSITA. SVNT. CAPITA. QVADRAGIENS. CENTVM. MILLIA. ET. SEXAGINTA. TRIA. O theſaurum repertum, non lapidem! Ecce, ait diſertè Auguſtus XLII. annos elapſos, ante illud ſuum, ſine vllo luſtro. Quomodo ergo Cæſar condiderit luſtrum, vix ſedecim antè annis? Diſcite amplius vos Faſtorum ſcriptores, nullum luſtrum Romæ conditum à L. Gellio & Cn. Lentulo Cenſoribus, ad hoc Auguſtæum. ita corruunt omnia illa veſtra imaginaria luſtra, quæ ex ſolis numeris Cenſorini corruptis, inſeruiſtis. Sedeamus enim ad calculos. Auguſti ille cenſus incidit in annum vrbis DCCXXVI. At Cn Lentulus & L. Gellius, cenſores fuerunt anno vrbis DCLXXXIIII. Vide quàm conueniat ratio: iuſtum interuallum eſt annorum XL. duorum. Tamen eſto. luſtrum & cenſum condiderit Cæſar: in re & in numero quàm fœdus Plutarchi error? Ait tãtùm cenſa C.L. millia ciuium, cùm ante bellum ciuile cenſerentur trecenta millia XX. Dupliciter peccat. primùm in numero, qui ante bellum ciuile. Trecenta, ait, XX. millia. quomodo poteſt? Ego reperio iam ab annis viginti quinque ante bellum ciuile, cenſa Romæ quadringenta quinquaginta millia ciuium, Lentulo & Gellio Cenſoribus. Is numerus, qua clade, tam ſubitò imminutus? præſertim florentiſſimis populi R. rebus? Vide omnia luſtra. adiectum ſemper aliquid ad numerum reperies, non detractum. Imò vetus codex Epitomes Liuianæ, luſtro illo quod modò dixi, præfert non *quadringenta millia* L. ſed *nongenta* L. Nec vlla hyperbole eſt, aut error. Auctus enim immaniter numerus ciuium, populis aliquot Italicis paullo antè ciuitate donatis. At ante donationem eam, vt anno DCXXXIX. reperio circiter ad quadringenta millia cenſa: quid ergo mirum, ſi nunc tanto amplius? Errat etiam in numero, qui poſt bellum. & cui ſano perſuadebit, tantùm ſuperfuiſſe C. L. millia ciuium? Attriuit multos bellum ciuile, fateor: num plures quàm bellũ Punicum ſecundũ? Atqui poſt tot clades populi, & tot infeliciter pugnatas pugnas, cẽſa ſunt tamen C. XXVII. millia. vide Faſtos. Denique quid tergiuerſor? & cur non venio ad decretorium ſtilum? Hîc, ecce, omnis fons erroris. Iulius Cæſar cùm publicè & priuatim turbata omnia repperiſſet per bellum ciuile: non Cenſuram, ſed imaginem quandam eius ſumpſit, ad ſiſtendos & vinciendos labentes mores. Præfectus morum dici voluit, & fuit. Eo iure non cenſum inſtituit. non, inquam, ſolemne illud opus: ſed recẽſum. id eſt, examen & inquiſitionem in eos qui iure aut iniuria vtebantur publico frumento. Repperit in confuſione illa rerum, numerum creuiſſe ad trecenta XX. millia: recidit, & reduxit ad ſola centum quinquaginta. Suetonius clarè cap. XLI. *Recenſum populi, nec more, nec loco ſolito, ſed vicatim per dominos inſularum egit: atque ex viginti trecentisq; millibus accipientium è publico frumentum, ad centum quinquaginta retraxit.* Similia prorſus iſtis, Dio lib. XLIII. cuius verba poſui ſuprà, & nunc non repeto. Hic omnis ille cenſus, quem egit Cæſar: hic numerus. non ciuium omnium

*Quot anni inter poſtremum liberæ reip. luſtrum, & primũ Auguſtæum.*

*Vide Onufrium impeditè diſſerentem, in Comment. ad Faſtos A.V. DCIII.*

*Errat in numero Plutarchus*

*Epitome Liuiana correcta.*

*Cæſar, non Cenſor, ſed Præf. morum. Recenſus eius; non legitimus cenſus.*

omnium (nihil vanius:) ſed tenuis tantùm & egenæ plebis, quæ è publico alebatur, & quam ideo hirudinẽ ærarij Cicero alibi dixit. At ſcriptori Græco, qui conniuentibus oculis iſta legerat, obiectus error: & nata popularis illa ſententia, ad inuidiam ciuilium bellorum. Simile in Epitome factum: in quam confidens quiſpiam nebulo intruſit illa verba de cenſu: à Liuio quidem, non ſcripta, non picta. Reipſa quàm grandis numerus ciuium illa ætate fuerit: facilè coniicimus vel ex cenſibus Auguſti; qui omnes vltra quadragies centena millia. vt ex lapide illo clarũ, quem publicauit amicus noſter A. Schottus, ſuggerente Augerio Busbequio legato olim Byzantino.

*Vnde obiectus error Plutarcho.*

## Cap. XXVIII.

*Mos hiſtrionius in baculis, quos manu tenebant. Suetonio data lux; Appuleio, & Auſonio. Correctus ſemel atque iterum Suetonius.*

In Suetonij Nerone videor obſeruare morem veterem, cui, meo animo, interpretes non faciunt claram ſatis lucem. Faciam ego.

Cap. XXIIII.

*Atque etiam in quodam Tragico actu, cùm elapſum baculum citò reſumpſiſſet; pauidus & metuens ne ob delictum certamine amoueretur, non aliter confirmatus eſt, quàm adiurante hypocrita non animaduerſum id inter exſultationes ſucclamationesq́ populi.*

Baculum intellegi volunt lauri ramum, quem vates & actores inter canendum manu tenebant: vnde ῥαβδῳδοὶ & στιχῳδοὶ dicti Græcis. Et quin tale aliquid apud priſcos Græcos fuerit, non eo negatum: paullo aliter tamen mos ſcenæ fuit, quem tangit Romanus ſcriptor. Eum intellegere videor ex ſolius Plutarchi verbis, libello περὶ παίδων ἀγωγῆς: quæ ſic concepta: οἱ δ᾽ ἁρμάτειοι τρόχοι πόνῳ καμφθέντες, οὐδ᾽ ἂν εἴτι γένοιτο, τὴν ἐξ ἀρχῆς δύναιντο ἂν λαβεῖν εὐθυωρίαν. τάς γε μὴν καμπύλας τῶν ὑποκριτῶν βακτηρίας ἀπευθύνειν, ἀμήχανον. id eſt, *Rotas curruum cum labore curuatas, cùm omnia feceris, in priſtinam rectitudinem non reſtitues: & incuruos hiſtrionum baculos, in rectum reducere nulla vis poſſit.* Clarum enim ex eo, baculos aliquos inflexos fuiſſe, quos hiſtriones, & præſertim ſaltatores, manu geſtarent: ſiue ad concinnitatem aliquam motus, ſiue ad geſticulandum. Qui baculi etiam nunc in vſu eiuſmodi nugis theatri apud Belgas, non ſine veſtigio priſci ritus. Nec è ligno ſolùm ij baculi, ſed è ferro. Diſco ex Appuleij Apologia altera, in Rufinum quemdam ſaltatorem fabularum: *Ingens indignatio animo oboritur. túne effeminatiſſime, tua manu cuiquam viro mortem minitaris? At qua tandem manu? Philomelæ, an Medeæ? an Clytæmneſtræ? quas tamen conſultas, tanta mollitia animi, tanta formido ferri eſt, ſine cludine ſaltas.* Emendo, *quas tamen cùm ſaltas.* Vox cludinis (incorrupta modò ſit) propria fuiſſe videtur huic mimico ferro. Ad eum morem prorſus capiendus Auſonius,

*Deceptæ felix caſus ſe miſcuit arti:*
*Hiſtrio, ſaltauit qui Capanea, ruit.*

*Baculi in manu hiſtrionum quales.*

*Plutarchi notandus locus.*

*Suſpectus Appuleij locus, in parte emẽdatus. Cluden, quid Auſonius explicatus.*





*In Canace viſus multo felicior, ipſa*
*Quòd non hic gladio viſcera diſſecuit.*

Gladium illum ſaltatoriũ intellegit. Lucem hinc do abbreuiatori Dionis in Antonino Caracalla: ſub quo narrat Theocritum quemdã, olim ſcænicum, præpotentem fuiſſe: quem cùm dicto aliquo offendiſſet Titianus procurator Alexandriæ, atque is ſtricto ferro è ſede ſua in illum proſiluiſſet: ridens Titianus, Ὡς ὀρχηστὴς ἐποίησας, inquit, *Vt ſaltator feciſti.* In quo nihil dubito alluſum ad hoc mimicum ferrum. Addam alia Suetonij, ne ventoſum & inane caput.

In Tiberio, cap. LII.

*Filiorum neque naturalem Druſum, neque adoptiuum Germanicum patria caritate dilexit: alterius vitiis infenſus. Nam Druſus animi fluxioris, remiſſiorisq́ vitæ erat.*

Metuo vt aliquid deſit. plenior certè, & quæ vtrumque membrum complectatur, lectio erit, *alterius virtutibus, alterius vitiis infenſus.* Germanicum enim oderat, propter eximias virtutes: Druſum, propter vitia.

*Correctus Suetonius.*

Cap. XLVII.

*Paucorum Senatorum inopia ſuſtentata, ne pluribus opem ferret, negauit ſe aliis ſubuenturum, niſi Senatui iuſtas neceſſitatum cauſſas probaſſent. Quo peracto, pleroſque modeſtia & pudore deterruit.*

Scriptum fuit à Suetonio, *Quo pacto pleroſque.* at linea neglegenter litteræ. p. indita, locum mox corrupit.

## Cap. XXIX.

*Conlectanea de imaginibus. Qui nobiles apud Romanos: & è quo magiſtratu primùm imagines. Cicero correctus. Imagines quid fuerint, correctusque Ouidius. In atrio locari ſolitas, & in thecis. Mos eas aperiendi in die feſto. Tituli imaginum: & emendatus Tibullus. Mos eas ferendi in funere.*

De imaginibus quidquid dignum legi, conſcribam: &
*Quaſi pueris, qui nare diſcunt, ſcirpea inducitur ratis:*
ſic ego Electis eiuſmodi rerum, ad doctrinam veterem præibo iuuentuti.

Generis apud Romanos diſcrimen duplex. Alij Patricij, alij Plebeij. rurſum ex vtriſque, alij Nobiles, alij Noui. Nobiles cenſebantur illi ſoli, quorum maiores magiſtratum ceperant, quíque ius habebant imaginis ponendæ. Noui, quorum maiores vitam priuatam vixerant, & quibus imagines nullæ. Regum temporibus, & poſt Regifugium aliquot annis, penes ſolos Patricios magiſtratus erant: ideò & nobilitas. Poſtea, per contentiones Tribunicias, communicati cum plebe honores: ſimulque nobilitas & imagines. Imò non rarò ex eo, plebeius quiſpiam, nobilis ante patricium: vt Claudij Marcelli, vt Decij, Flaminij, Luctatij, & quæ aliæ è plebe familiæ plenæ honorum. Non enim ex genere, ſed ex imaginum multitudine omnis nobilitas: & imagines ex magiſtratu. Liuius

*Romanis, qui nobiles.*

*Qui noui.*

*Plebeij nobiles quãdo cœperint.*

*Ex imaginibus omnis Romana nobilitas.*

libro primo *Ancus Marcius nobilis vna imagine Numæ.* Idem libro XXII. *Nec finem antè belli habituros, quàm Conſulem verè plebeium, id eſt hominem nouum feciſſent. Nam plebeios nobiles iam hiſdem initiatos eſſe ſacris, & contemnere plebem cœpiſſe, poſtquam contemni deſierint à patribus.* Suetonius in Veſpaſiano, *Gens Flauia obſcura illa quidem, & ſine vllis maiorum imaginibus, ſed tamen reip. non pœnitenda.*

*Imagines, ex quo magiſtratu.*

Imagines, dixi, è magiſtratu. non tamen quouis, ſed curule. Quæſtura, Tribunatus, & qui alij inferiores honores, ius imaginis non dabant: dabat inter ordinarios magiſtratus, prima, curulis Ædilitas. Diſco ex Ciceronis verbis, libro quinto in Verrem, vbi loquitur de ſe Aedile: *Ob earum rerum ſolicitudinem atque labores, fructus illos datos, antiquiorem in Senatu ſententiæ dicendæ locum, togam prætextam, ſellam curulem, ius, imagines ad memoriam poſteritatemq. prodendam.* Scribe potius, *ius imaginis.*

*Ciceronis emendatio.*

*Imagines, non totius corporis.*

Hæ imagines non aliud fuerunt, quàm expreſſa corporis effigies humerorum tenus, è cera. Dico, humerorũ tenus. non enim corporis totius erant, ſed capitis atq. vultus. Plinius lib. XXXV. *Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis.* ait diſertè, vultus. Cicero in Bruto, cui ab hac obſeruatione lux: *Ex quo, tamquam ex ore imago, exprimatur.* Addidi item, è cera. Idque adeò verum, vt vulgò eas nobilium imagines poëtæ appellent Ceras. Iuuenalis,

*E cera ſolitæ fieri.*

*Tota licet veteres exornent atria ceræ.*

*Ouidius correctus.*

Et Ouidius; in cuius verbis priſca labes, lib. I. Amorum.

*Nec te decipiant veteris quinquatria ceræ:*
*Tolle tuos tecum pauper amator auos.*

quam amoueo, & lego, *veteri cincta atria cera.* Nam lena eſt, quæ monet puellam ne ſe pulchris aut nobilibus vulget; ſed tantum diuitibus & peculiatis. Imagines autem iſtæ in atriis. Seneca, *Non facit nobilem atrium plenum fumoſis imaginibus: animus eſt qui facit nobilem.* Idem Conſolatione ad Polybium: *Vides omnes has imagines, quæ impleuere Cæſareum atrium: nulla non harum aliquo ſuorum incommodo inſignis eſt.*

*In atriis ponebãtur.*

Martialis:

*Atriaq. immodicis artat imaginibus.*

Valerius lib. V. cap. VIII. *Prudentiſſimoq. viro ſuccurrebat, effigies maiorum cum ſuis titulis idcirco in prima ædium parte poni ſolere, vt eorum virtutes poſteri non ſolùm legerent, verùm imitarentur.* Prima enim ædiũ pars, Atrium. Seneca de Benefic. *Qui imagines in atrio exponunt, & nomina familiæ ſuæ longo ordine & multis ſtemmatum illigata flexuris in parte prima ædium collocant.* Alij male, *parte ſumma.* Auſonius,

*Hos ille Serum veſte contexi iubet,*
*Hos cælat argento graui:*
*Ceris inurens ianuarum limina,*
*Et atriorum pegmata.*

*Ouidius iterum correctus.*

Imagines igitur iſtæ ex cera. ideò bene monui olim in hoc Ouidij verſu, lib. VI. Faſtorum,

*Vidimus ornatos, ærata per atria, picta*
*Veſte triumphales occubuiſſe ſenes.*

legen-



legendum, *cerata per atria.* Æris in atriis nulla mentio, at frequens cerarum. Statius tamen opitulari vulgatæ lectioni videatur II. Thebaid.

— *læto regalia cœtu*
*Atria complentur. ſpecies eſt cernere auorum*
*Comminus, & viuis certantia vultibus æra.*

Quamquam & ſit nulla mihi religio reſcribere, *Certantia vultibus ora.*

*Imagines in thecis.*

Collocabantur autem ordine in ligneis thecis; ſiue, vt Plinius appellat, armariis. Libro XXXV. *Expreſſi cera vultus ſingulis diſponebantur armariis, vt eſſent imagines quæ comitarentur gentilicia funera.* Auſonius in verſibus quæ ſuprà, pegmata maluit dicere. Eæ thecæ diebus feſtis aut lætioribus tantùm aperiebantur; aliàs, vt videtur, clauſæ. Cicero pro Sullâ: *Domus erit, credo, exornata, aperientur maiorum imagines.* Vopiſcus in Floriano, *Tantùm illud dico, Senatores omnes ea lætitia eſſe elatos, vt domibus ſuis omnes albas hoſtias cæderent, imagines frequentes aperirent, albati ſederent, conuiuia ſumptuoſiora præberent.* Apud Senecam patrem Triarius, lib. VII. Controu. VI. *Indicit diem feſtum, aperiri iubet maiorum imagines, cùm maximè tegendæ ſunt.* Et hoc eſt quod Polybius lib. VI. ſcribit, has imagines publicis ſacrificiis proferri, & magnificè ornari. Cui curæ haud dubiè olim præfectus Atrienſis.

*Titulus, ſiue Index imaginis.*

His imaginibus ſubſcripti Tituli, ſiue Indices honorum & rerum in magiſtratu quoque geſtarum. Plinius, *Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum.* Tibullus,

*Non tua maiorum contenta eſt gloria fama,*
*Nec quæris quid quaque index ſub imagine dicat.*

*Emendatus Tibullus.*

Ita emenda. Nam intellegit hunc Indicem, quem Liuius ferè Titulum appellat, & ſæpe queritur ab eo corruptam hiſtoriæ fidem. Vt lib. IIII. *Minutium apud quoſdam auctores tranſiſſe à patribus ad plebem, vndecimumq. Tribunum plebis cooptatum, inuenio. ſed ante omnia refellit falſum imaginis titulum paucis antè annis lege cautum, ne Tribunis collegam cooptare liceret.* Libro VIII. *Vitiatam memoriam falſis imaginum titulis reor, dum familia ad ſe quæque famam rerum geſtarum honorumq., fallente mendacio, trahunt.* Libro X. *Cuius imaginis titulo, Conſulatus, Cenſuraq. & triumphus æquo animo legetur: ſi pontificatum vel auguratum adieceritis, non ſuſtinebunt legentium oculi?* Valerius libro IIII. cap. IIII. *Plurimorum ac maximorum operum prætexto titulum imaginum ſuarum amplificauit.* Ad hunc titulum, Taciti locus pertinet, lib. XVI. *Obiectauitq. Caſſio, quòd inter imagines maiorũ, etiam C. Caſſij effigiem coluiſſet, ita inſcriptam, DVCI PARTIVM.*

*Imagines ad funera.*

Vſus præcipuus earum imaginum, vt in funere nobilium ferrentur. Propertius,

*Nec mea tunc longa ſpatietur imagine pompa.*

Liuij Epitome XLVIII. de Lepido: *Præcepit filiis lecto ſe ſtrato ſine linteis, ſine purpura, efferrent. imaginum ſpecie, non ſumptibus nobilitari maximorum virorum funera ſolere.* Et exempla vulgò apud ſcriptores. Ratio ferendi in oblongis perticis erat ſiue haſtis, vt fercula ſolent triumphorum. Ideò Feretra ea dixit Silius libro X.

*Non coniux, natíve aderant, non iuncta propinquo*

 San-

*Sanguine turba virûm : aut celſis, de more, feretris*
*Præcedens priſca exequias decorabat imago.*

Dio Caſſius adfirmare videtur, non ferri ſolere imagines eorum qui relati in deos : ambigo de ea ſententia, & ſcripſi quædam libro IV. Epiſtolicarum. Illud mihi certius, ſi quis turpi & immani crimine damnatus eſſet, damnari etiam & frangi eius imaginem ſolere, nec in exſequiis ferri.

*Damnatæ imagines & fractæ.*

Iuuenalis,

*Frangenda miſeram funeſtat imagine gentem.*

Tacitus lib. II. *Cotta Meſſallinus, ne imago Libonis exſequias poſterorum comitaretur, cenſuit.*

## CAP. XXX.

*Spartianus, Capitolinus, Lampridius, & Vopiſcus emendati: item Trebellius Pollio. Iocus hominis mimi illuſtratus. Coctilia, quid. Adclamatio Senatus ſolemnis, Omnes. alia plura.*

SCRIPTORIBVS Cæſareæ hiſtoriæ, qui redacti in vnum corpus, non ſine ſuſpicione ſcalpelli, lucem aliquam à me dabo, forſan & medicinam. In Capitolini M. Antonino, in extremo,

*Crimini ei datum eſt, quòd adulteros vxoris promouerit, Tertullum, & Viſilium, & Orfitum, & Moderatum ad varios honores: cùm Tertullum etiam prandentem cum vxore deprehenderit. De quo minus in ſcena, præſente Antonino, dixit, cùm ſtupidus nomen adulteri vxoris à ſeruo quæreret, & ille diceret, Tertullus. & adhuc ſtupidus quæreret, reſpondit ille. Iam tibi dixi, Tertullus dicitur.*

*Iocus in pronunciatione.*

Iocus latet hominis mimi. Res autem ſic ſe habet. quærebatur nomen adulteri: ſeruus ter repetitò dixit, Tullus, Tullus, Tullus. Iterum quærebat alter: & ſubdidit alluſione ad hunc Tertullum, Iam dixi ter, Tullus dicitur. Ex ambigua pronunciatione facilè collectu, Tertullus. Ita ergo ſcribe in Capitolino, *& ille diceret ter, Tullus.* & pòſt, *dixi ter, Tullus dicitur.* In Spartiani Seuero,

*Vxorem tunc Martiam duxit, de qua tacuit in hiſtoria vitæ priuatæ, cui poſteà in imperio ſtatuas collocauit.*

*Tatius Cyrillus hiſtoricus.*

Placeret mihi, *de qua Tatius in hiſtoria.* Tatius Cyrillus eorum temporum ſcriptor fuit: nominat eum & imitandum ſibi proponit Iulius Capitolinus, in Maximinis, ſub initium.

Ibidem,

*Opera publica præcipua eius exſtant, Septizonium, & thermæ Seuerianæ. Eius denique etiam ianuæ in tranſtiberina regione, ad portam nominis ſui.*

*Iani, quid.*

Scribo, *Eius denique etiam iani.* Iani dicti, tranſitiones peruiæ, quales multas Domitianus exſtruxit. Suetonius, Cicero, & alij.

In Trebellij Pollionis Claudio,

*Et hunc tamen quidam hiſtorici laudare conati ſunt, & ridiculè quidem. Nam Gallus Antipater ancillariorum, & hiſtoricorum dehoneſtamentum principium de Aureolo ſic habuit: Venimus ad Imperatorem nominis ſui.*

Puto



*Pater ancillariorum.*

Puto eum ſcripſiſſe, *Gallus Annius, pater ancillariorum.* non ignota phraſi, vt Pater elegantiarum, & ſimilia.

In Lampridij Alexandro:

*Conſules quoſcumque vel ordinarios vel ſuffectos creauit, ex Senatus ſententia nominauit, ſumptum eorum contrahens, & nundina vetera ex ordine inſtituit, vel dies vel tempora.*

*Gloſſema deletum.*

Ego nihil ambigo quin hæc, *vel dies vel tempora,* gloſſema ſint ad vocem, *nundina*: ideò delenda. Sententia autem videtur, Alexandrum reſtituiſſe priſcum morem comitiorum de Trinundino.

Ibidem,

*Fecit Romæ Curatores vrbis* XIIII. *ſed ex Coſſ. veros, quos audire negotia vrbana cum Præfecto vrbis iuſſit.*

*Exconſulares viri.*

Lego, *ſed exconſulares viros.* Sunt autem hi curatores, qui à Sexto Rufo & Victore ponuntur in quaque regione vrbis bini, aucto ſcilicet poſteà numero. In Hadriano Spartiani,

*Poſt Quæſturam acta Senatus curauit, atque ad bellum Dacicum Traianum familiarius proſecutus eſt.*

Scribendum, *Traianum in familiaribus.*

Ibidem,

*Equitauit ambulauitq́ plurimum, armiſq́ & pilo ſe ſemper exercuit.*

*Pali exercitium.*

Melius, *palo.* Nam intellegit exercitium, Palaria, Vegetio dictum. Iuuenal. *Quis neſcit, aut quis non vidit vulnera pali?*

In M. Antonino Capitolini,

*Tantum autem honoris magiſtris ſuis detulit, vt imagines eorum aureas in Larario haberet, ac ſepulchra eorū additis hoſtiis & floribus ſemper ornaret.*

Fortaſſe, *annuis hoſtiis.*

Ibidem,

*In Saliatu omen accepit imperij, coronis omnibus in puluinar ex more iacentibus, aliæ aliis locis hæſerunt: ipſius, velut manu, capiti Martis aptata eſt.*

*Mos iaciendi coronas.*

Eluceſcet hic mos, ſi leges *coronas*: &, *iacientibus.* Martis ſtatua in puluinari erat, vt ſolitum: in eam detractas ſibi coronas Salij iaciebant.

In Ælio Pertinace,

*Nam pater eius tabernam coactiliariam in Liguria exercuerat.*

*Coctilia.*

Sudant interpretes in coactilibus iſtis eruendis. ego ſcribi cenſeam, *coctiliariam.* Coctilia videntur appellaſſe carbones ligneos ſemiuſtos, aptos ad ignem. Vt in Claudio Pollionis, *Ligni cottidiani pondo mille, ſi eſt copia; ſin minus, quantum fuerit, & vbi fuerit, coctilium cottidiana batilla quatuor.* Quid Coactilia ſint, ſcio; & legi in Gloſſis, *Coactiliarius,* πιλοποιός: ſed non id munus exercitum patri Pertinacis, verùm aliud illud, quod dixi. Ecce Capitolinus ipſe, in principio, *Ælio Pertinaci pater libertinus Ælius Succeſſus fuit: qui filio cognomen ex continuatione lignariæ negotiationis, quòd pertinaciter eam rem gereret, impoſuiſſe fatetur.*

Ibidem,

*Cùm ad Senatum veniſſet, & cellam curiæ iuſſiſſet aperiri, neque inueniretur aditus, in templo Concordiæ reſedit.*

Melius, *neque inueniretur adituus.*

 In

In Tacito Vopiſci,

*Hæc oratione & Tacitus ipſe vehementer eſt motus, & totus Senatorius ordo concuſſus. Statímque acclamatum eſt: Omnes omnes in Decium ad campum Martium, ibi comitiale tribunal aſcendit.*

*Turnebi acumen aberrat.*

Locus corruptus; nec mederi potuit peritiſſimus Turnebus, qui legit, *Omnes illicium ad campum.* & adfert neſcio quid de illicio apud Varronem: quod hîc, nihil ad Bacchum. Scribo ipſe, *Statimq́, acclamatum eſt, Omnes, omnes. Inde itum ad campum.* Satis certa ea lectio: etiam mos ille acclamandi in communi conſenſu Senatus, Omnes. Suprà, in Actis Senatus, *Tacite Auguſte, di te ſeruent. Deinde omnes interrogati prætereà, qui poſt Tacitum ſedebat Metius Nicomachus in hæc verba diſſeruit.* emendo, *Deinde, Omnes. Interrogatus prætereà.* Trebellius Pollio, in Valerianis, *Quæ cùm eſſent ſæpius dicta, addiderunt omnes, atque ita diſceſſum eſt.* ſcribe, *addiderunt, Omnes.* Notanda igitur iuuẽtuti ea ſolemnis & quaſi legitima forma acclamandi, quam reperies etiam alibi. Hæc leuia: quis negat? at quàm leuiores illi, qui reges ſibi videntur, in vna aut altera ſimili nota? Capita iis tota explet corrupta vna vocula aut littera: & principium cùm leges, cenſebis, munere deûm, veniſſe nouum medicum, qui crus fractum obligare poſſit Æſculapio ipſi. Iam verba, quàm nitida, quàm compoſita! quaſi teſſellæ omnes in pauimento. Quid dicam, niſi Cæcilianum illud? O triſtes ineptias! Mihi in hoc genere, duo, curæ, Breuitas & Veritas: alterum ſecutum me ſcio, alterum aſſecutum. Faue, mi Lector.

*Acclamatio Senatoria, Omnes.*

FINIS.

APPROBATIO.

**Hunc Iuſti Lipſij laborem ſine tædio ob variam eruditionem perlegi, & ſine vlla Catholicæ fidei offenſa ſtudioſis communicari & euulgari poſſe iudico.**

VValterus vander Steeghen,
S. Theol. Licentiatus.



# INDEX CAPITVM.

CAPVT I.

REFVTATA *vulgi opinio de ſcriptore Controuerſiarum. Non eſſe Annæum Senecam philoſophum. oſtenſum id ab ætate, à vita, à ſtilo. Eſſe illius patrem. id quoque clarè oſtenſum. Senecarum ſtemma. Locus vnus correctus.*

CAP. II. *Stipendij militaris initia, & progreſſus. Quis primò modus. quæ deinceps acceſſio. Aliud denarium eſſe, aliud denos aſſes. Tacitus explicatus. Liuius correctus. item Suetonius in loco tenebroſo.*

CAP. III. *Iuuenalis verſus correctus & illuſtratus. Mos antiquus de lucernis ad ianuas, ad feneſtras, ad arbores, ad lupanaria noua. Vates præferebant lucernam. Tertullianus. Xiphilinus, Seneca, Perſius, & Prudentius explicati.*

CAP. IV. *Aquam calidam antiquitùs ad potum fuiſſe. imò ad delicias. Thermopolium Plauti quid? Dio explicatus. Calida vino mixta. Plautus illuſtratus, & Tacitus. Plautus correctus. Senecæ ex Athenæo data lux.*

CAP. V. *Carmen poëtæ veteris, non antea viſum. De ſcriptore quæſitum. multa in eo emendata, & illuſtrata.*

CAP. VI. *Ritus collocandi cadaueris. Suetonij nouus & verus intellectus, & Virgilij Conlocatio. Cærimonia in ea adiuncta. Perſius illuſtratus. Seneca etiam emendatus. Amictus in corpore mortuo. Appuleius, Iuuenalis, Martialis explicati.*

CAP. VII. *In Agellio complura emendata. Rumices. Triſaces. Caupuli. Priſca aliquot verba, Claudere. Imparientia. Secus pro ſexu. Exerrationes. Catonis fragmentum correctum. Conſipere, probum verbum: item, Deſpreti. & plura alia.*

CAP. VIII. *De frumentatione, accurata conlectanea. Eius origo prima. Indicatum in Liuij loco mendum. Appiani in Gracchi lege apparens error. Salluſtij inſignis emendatio. Menſtruum ſeruorum. Clodij Annonaria lex. Recenſus populi, & in ea voce Suetonius correctus. Dionis error in tempore. Recenſus Auguſti. Perſius explicatus & Plinius. Ambigua Capitolini lectio. Cælius in Epiſtolis ad Cicer. correctus bis. De origine Præfecti & Curatorum annonæ. Minutia Frumentaria. Appuleius emendatus. Panis gradilis. Prouinciæ frumentariæ. Oleum & caro diſtributa, & alia compluria.*

CAP. IX. *E Statij Papinij Siluis decermina. Sacerdotes Salij repoſiti. Statuæ in honorem Cæſaris ex teſtamento.*

CAP. X. *Correctiones aliquot in Seneca. Elogium eius de Publij verſu emendatum. gloſſema ſublatum. alia quædã notæ melioris.*

CAP. XI. *Ritus in ſcenam producendi ſcorta. Liuio, Statio, Tertulliano, Plauto, data lux. Cur theatro adiuncta ædes Veneris: & Suetonius explicatus.*

CAP. XII. *E Suetonij Auguſto loci aliquot vitioſi. liberti à memoria. De cõpacto.*

CAP. XIII. *De veſtitu Romano conlectanea. Color togæ albus. obiectiones remotæ duæ. Plautus, Suetonius, Perſius, Horatius illuſtrati. De Lacernis, & Pænulis. Spartianus & Tacitus correcti. Item Seneca, eximio loco. De tunica & calceis.*

CAP. XIV. *E Cornelio Nepote vetus mendum ſublatum in vita Attici. Statuas inſcribendi mos.*

CAP. XV. *Veterum legum De Re agraria aliquot capita; niſi fallor, publicè nondum viſa. Ea ad priſcam ſcripturam variè correcta.*

CAP. XVI. *Ex Annæi Senecæ Epiſtolis complures loci. Ladas curſor. Exſaniare. De Turdo, prouerbium, Oculifera, & alia plura.*

CAP. XVII. *De lecto aduerſo, planè & dilucidè dictum. Laberius & Spartianus correctus. Horatius illuſtratus. Item occultior mos texendi in atrio telas.*

CAP. XVIII. *Appuleius variè correctus. De clauis in cruce. Plauti verſus emendatus. & Martialis. Mos tangendi oculos. Iuſiurandi etymon. Principes Africæ. Appuleius non ſeruus.*

CAP. XIX. *De Lectica & Sella priſci ritus. Quando cœperint. Earum forma. diſcrimen. Catullus & Martialis explicati. Gracchus correctus. & Propertius. Vario-*

rum

rum ſcriptorum loci explicati.

CAP. XX. *In Suetonio ſelectiora aliquot loca. Qualis lex Iulij fuerit, concepta de matrimoniis. Eloquentia Cæſaris. De Iano clauſo, accurata diſceptatio.*

CAP. XXI. *Agelliani complures loci. Cautus, quid. Macrobius correctus. Leges Flaminicæ emendatæ. Item Cato. Priſcæ locutiones repoſitæ. Gloſſemata aliquot ſublata.*

CAP. XXII. *Serui publici apud Romanos. Eorum nomina, A regionibus, & A perſonis. Brutiani, Cyprij, Clodiani, Corneliani, Gelliani.*

CAP. XXIII. *De lictoribus eorumq́; origine, conditione, miniſterio, & ritu Conlectanea accurata. Nonius in etymo eorum correctus: item Agellius. Lictores è libertis aut libertinis. ciues fuerunt, & ideo togati. Liuius correctus. Summotio propriè quid, & quomodo ea vſi. Plinius explicatus, Cicero emendatus. Animaduerſio quid. Aſſurgendum magiſtratui erat, caput aperiendum, equo deſcendendum, & curru: ferrum ponendum. Tacitus explicatus. Præitio, qualis. è Liuio gloſſema ablatum. Quis Primus lictor, quis Proximus. Turnebi in eo error. Faſces lictorum. Mos eos ferendi, ſubmittendi. Virga lictorum. Percuſſio ſolemnis ianuæ. Bacilli. Seneca correctus. Bacilli prælati municipalibus magiſtratibus. Quot lictores cuique fuerint.*

CAP. XXIIII. *Auſoniana aliquot emendationes. Lumen, de filiis eleganter dictum. Faſtus Campanus. Auſonius quando Conſul.*

CAP. XXV. *Seruorum quæ propriæ olim veſtes. Tunicatos primò fuiſſe. Sicut & ruſticos Romanos in coloniis, in municipiis. Plinius emendatus. Poſtea ſerui pænulati. earum pænularum color rufus. Canuſinatus, quid? Cuculli, Bardocuculli. Imperatorum ſerui alia veſte. Ij albati, vel aurati.*

CAP. XXVI. *Gloſſemata aliquot non paruæ rei è Seneca ſublata.*

CAP. XXVII. *Error communis in hiſtoria & Faſtis de cenſu & luſtro. Plutarchi peccatum, & eius cauſſa. Epitome Liuiana corrupta oſtenſa.*

CAP. XXVIII. *Mos hiſtrionius in baculis, quos manu tenebãt. Suetonio data lux; Appuleio, & Auſonio. Correctus ſemel atq; iterum Suetonius.*

CAP. XXIX. *Conlectanea de imaginibus. Qui nobiles apud Romanos: & è quo magiſtratu primum imagines. Cicero correctus. Imagines quid fuerint, correctusq́; Ouidius. In atrio locari ſolitas, & in thecis. Mos eas aperiendi in die feſto. Tituli imaginum: & emendatus* Tibullus. *Mos eas ferendi in funere.*

CAP. XXX. *Spartianus, Capitolinus, Lampridius, & Vopiſcus emendati: item Trebellius Pollio. Iocus hominis mimi illuſtratus. Coctilia, quid. Adclamatio ſolemnis in Senatu, Omnes. alia plura.*

IVSTI

# IVSTI LIPSI ELECTORVM LIBER SECVNDVS.

## In quo mixtim Ritus & Cenſuræ.

L l

# IVSTI LIPSI ELECTORVM LIBRI SECVNDI

## CAPVT PRIMVM.

*Lampridij obſcurioris mendi locus elautus. Qui Troſſuli: & de Principe iuuentutis. E Senecâ gloſſula ſublata.*

BELLA mihi viſa, non nego, emendatio noſtra Lampridiani loci: in quo labes altior & occultior, quam nec eruat nec eluat mihi quiuis. Ait de Commodo, in eius vitâ:

*Decimoquarto ætatis anno in collegium ſacerdotum adſcitus eſt. Coöptatus inter tres ſolos Principes iuuentutis, cùm togam ſumpſit.*

Quæro qui iſti tres Principes, quos inter Commodus adſcitus quartus? Morem veterem ſcimus ab ambitione Auguſti, deſignandi & nuncupandi Principes iuuentutis eos, qui in proximâ ſpe ad Imperij ſucceſſionem. Scilicet vt ipſe Imperator veteri exemplo & nomine, Princeps Senatus: ſic iſti, proximum titulum fruebantur Principum iuuentutis. At præter Commodum, quis tunc eâ ſpe aut gradu? Nemo. nedum vt tres vnà alij, quod nego factum vmquam in Romanâ re aut cogitatum. Caius quidem & Lucius Cæſares, Principes iuuentutis ſub Auguſto: ſed nempe fratres. nec tamen ſcio planè an temporibus & annis iiſdem. Cetera exempla, quæ varia & multa, conuenient dumtaxat in vnum. Denique eſto. mos & ius fuerit creandi plures: quæ tamen hæc dictio aut adiectio, *tres ſolos?* Itáne ſolos? An denos igitur aliquos creari vis aut vicenos? Nugamenta rerum verborumque; quæ correctione tollo, & reduco ad ſerium verumq; ſenſum. *Coöptatus inter troſſolos:* ſiue, *troſſulos.* Rem ipſam dixi. Nam Troſſuli, equites: & titulus ille proprius ordinis huius. Cenſores enim olim in luſtri conditione ordinumque recenſu, quem primùm honoris & virtutis cauſsâ in primo ordine legebant: is Princeps Senatus. quem primum item in ordine ſecundo, is Equitum: ſed recepto tamen nomine, Iuuentutis Princeps dicebatur. Reuera enim Equites, Iuuenes, deſcriptione Seruianâ: & quia ſtatim à togâ virili, in hoc ordine fas cenſeri. Prius è Liuio clarum, libro XLII. in oratione Perſei ad Macedonas ſuos: *Equitatum Romanum, quo inuictos ſe eſſe gloriabantur, fudiſtis. Equites enim illis, Principes iuuentutis, equites ſeminarium Senatus.* Alterum è ſcriptoribus paſſim, & è Dione definiente etiam annos: καταλέγεσθαι χρὴ ἐς τὴν ἱππάδα ὀκτωκαιδεκέτεις. ἐν γὰρ ταύτῃ ἡλικίᾳ μάλιστα ἥ τε τῶν σωμάτων εὐεξία, καὶ ἡ τῶν ψυχῶν ἐπιτηδειότης διαφαίνεται. id eſt:

*Princeps iuuentutis, gradus ad Imperium.*

*Inter Troſſulos coöptari, ſiue equites. Princeps Senatus à cenſore lectus: item Iuuenum. Equites, iidem cum Iuuenibus, vulgatâ quadã vſurpatione.*

*Anni equeſtris ordinis proprij.*

*Legendi autem in Equitem, qui octodecennes. Nam in hac ætate & corporum habitudo maximè, & animorum promptitudo iuxtà apparet.* Mens igitur Cæſarei ſcriptoris, Commodum ſumptâ virili togâ, relatum in Equites: & quidem Principem eius ordinis, vt ſolet, honeſtè dictum. Atque hæc ſine obice. illud turbet fortaſſe muſteos Criticos, quod vetuſtior vox Troſſulorum, quàm pro Lampridij æuo. Errabunt. Nam vetus quidem illa vox, & ante Ciceronem, fateor: ſed quæ poſt æuo refloruit iterum ſub Principibus & velut reuixit. Nam & Seneca ecce minimè ſectator aut reprenſor verborum fugientium, eâ bis vſus in hac Equitum ſiue Iuuenũ notatione. In Epiſtolis: *O quàm vellem Catoni nunc occurrere aliquem ex his troſſulis in viâ diuitibus; curſores, & Numidas, & multum antè ſe pulueris agentem!* Vbi opportunè gloſſematium amolior, τὸ, *Diuitibus*: ad vocem *Troſſulis* à benignis illis patribus parum peritè adiectum. Idem Seneca iterum: *Quid ergo? idem faciam quod troſſuli iſti & iuuenes? Benè mecum agitur, ſi hoc vnum ſenectutem meam dedecet.* Quem locum ſi totum inſpicis, opponi eam vocem Senibus clarè videbis. At quod veteribus Troſſuli dicti Equites, è Plinio, Feſto, Varrone iam alij monuerunt: & tibi promptum, Lector, cuius memoriæ cymbam, vt ſic loquar, non decretum mihi onerare obuiâ iſtâ merce.

*Deleta ſuperuacua vox è Senecâ.*

*Troſſuli pro iuuenibus.*

## CAP. II.

*Quis locus honeſtior priſcis, dexter an ſiniſter? illum videri. Refutatus vir doctus, qui nuper aliter ſenſit, & ſcripſit. Quid ſit Latus tegere: quid Exteriorem eſſe, quid Interiorem. Scriptores aliquot explicati, Salluſtius in curſu emendatus.*

*Aduerſus Io. Goropio Becano.*

IMPROBVM hoc caput, in quo bellum mihi cum meo ciue. ſed bellum imbelle tamen, ſine ſanguine aut funere: & qualia vtinam hęc Belgarum! Sententiam & morem nouum præiuit nobis nuper vir doctus in ſua Hermathenâ, de loco dextro & ſiniſtro. adſeruit validè pleriſque gentibus ſiniſtrum locum honeſtiorem habitum: etiam Romanis. Tela quibus id expugnatum iuit, breuiter (nam ipſe diducit & dilatat) ſunt iſta. Ait primò: Senibus & ætate grandibus honeſtiſſimum locum adtributum in ſeſſu ſiue inceſſu, nemo ambigit: tributus autem illis medius aut ſiniſter: honeſtiſſimus poſt medium iſte igitur. Ab Ouidio firmamentum quærit:

*Rationes eius ordine poſita.*

*Prima.*

*Et medius iuuenum non indignantibus ipſis*
*Ibat, & interior, ſi comes vnus erat.*

Interior enim, inquit, ſiniſterior, vel Seruio interprete in illud Virgilij

—— *ad ſaxa ſuburget* *Interior.* ——

*Secunda.*

Ait ſecundò: Pallanti apud Virgilium omnes honores habentur, vt hoſpiti, vt auxiliatori, vt regio nato. ille autem ipſe in medio ſemper aut ad ſiniſtram collocatur à ſeruantiſſimo rituũ poëtâ. cõſit igitur quod prius.

De



De loco medio, ecce:

—— *ipſe agmine Pallas*
*In medio, chlamyde & pictis conſpectus in armis.*

De ſiniſtro autem:

—— *Pallâſque ſiniſtro*
*Adfixus lateri.*

*Tertia.*

Ait tertiò: Suetonius idem clarè exprimit in Teridate: cùm in Nerone ſcribit, *Teridatem perductum in theatrum ac rurſus ſupplicantem, iuxtà ſe latere dextro collocauit.* Hoc, inquit, contumeliæ fuit, non honoris: deprecando Teridati, non attollendo. & iure. quis enim regem ſupplicem collocatum cenſeat, ſupra Principem generis humani? Indignior igitur locus dexter. Denique poſt tela hæc auctoritatum, machinas etiam admouet rationum. Dextra in nobis manus nata defendere. hanc qui tegit, ſignificat ſeſe tutorem defenſorémque noſtri eſſe, & vt cuſtodem. at qui cuſtodit, vilior eo quem protegit. ideoq; meritò locatus ad dextram, vt partem viliorem. Sed & Auſpicia quæ bona, ſiniſtra dicuntur. & Græci cùm ἄριστον, optimum dicant, ἀριστερὸν ab eo ſiue Siniſtrum formarũt, præſtantiam hanc ſpectantes & bonitatem. Denique natura ipſa nónne id vociferatur & clamat? quæ collocauit cor nobis ad ſiniſtram, illum vitæ fomitem, illum fontem ſanguinis. quid, niſi vt digniſſimum membrum ſedem haberet in digniſſima hominis parte?

*Plures aliæ mixtim, à moribus aut natura.*

*Refutatæ eo omnes ordine.*

*Ad primam reſponſio.*

HAEC illa argumenta, vt ipſe aliique putant, firma, ſolida: quæ euertere mihi tamen poſſe videor non magno niſu. Naſonem in prima acie reponit, qui ſenem facit iſſe Interiorem, id eſt ſiniſteriorem ex Seruij mente. Mi homo erras. abnuo tibi Interiorem id valere: & quid huius rei ſit, clarius mox dicam cùm ſtabiliam mea. At Seruius. Quid ille? non ego Seruij huius ſeruus: quem deliria quædam mage maiora ſcio deliraſſe. Et Virgilij ſanè alia mens eſt. Quem ipſum cùm aduocas in aciem ſecundam, pugnas ſeriò an ludis? Pallas, inquis, in medio agmine. Fateor. ſed in ſuo agmine, idque vt dux & imperator. Quis hîc honoris iſtius, vt ſic dicam, togati & ciuilis adſpectus; aut quæ comparatio ad alium, ſiue altiorem ſiue minorem? Nulla. mos militiæ exprimitur ſaltem, qui obtinuit plurimum inter gentes. Sed idem illi Æneæ etiam ad ſiniſtram. Quid ais? valere hoc à te vis? ego ad me trahebam, & iure. Ceſſiſſe enim Pallantem Æneæ cenſeo, vt ſeni, vt regis magni filio, denique vt deâ nato. Tu quid contrà? flectis vaniter & intorques: & tamen cùm omnia feceris, fateri debebis aut aduerſum tibi eſſe hunc teſtem, aut incertum. Hunc igitur mittamus. ecce tertiæ aciei robur, Tranquillum: qui omnia, credo, nobis tranquillabit. Ille ait Teridatem collocatum Neronis latere dextro. O varum acumen! Quis tibi dixit, depreſſionis cauſſâ id factum à Nerone, non ſublationis potius? Tuus ſenſus: ſed ſine adſenſu noſtro. Ego enim probabiliter contrà ſentio, & Neronem omnes honores Teridati habuiſſe autumo, vt peregrino, (& inprimis hoc loci & temporis) vt nouo & à ſe facto regi. Et mecum, ſcio, ſentient omnes ij quibus purior ſenſus. Iam rationes quas adducis, quàm non ratæ? ſtipulæ & paleæ ſunt: quæque non ferent primum examinis mei ignem.

*Ad ſecundam.*

*Dux agminis in medio.*

*Ad tertiam.*

*Ad mixtas rationes.*

 Dextra

*Dextra promptior & robuſtior.*

Dextra manus apta defenſioni. Bonum factum, bonum dictum. & ideò igitur præſtare eam meritò Siniſtræ volumus, vt habiliorem, vt fortiorem: & qui ad hanc locatur, locari ad digniorem. Tu neſcio quid aliter hîc inuoluis & perplexaris: quod, vapulem, ſi ſatis cepiſti ipſe. At Grammatici etiam ita ſentiunt. Tune ad hæc caſtra? ſed te repellunt, & illi ipſi

*De etymo vocis Græcæ.*

literatores Græculi ἀριστερὰ cũ bono omine & nomine dicta fatentur, etſi in re malâ. nimirũ κατ' εὐφημισμὸν quemdam, vtrique linguæ non ignotum. Non igitur rei dignitatem ex verbo iſto adiicies, non ex illorũ mente quidem: potius delibabis. Ecce enim tibi ex illa ipſa corte, qui ἀριστερὰ, τὰ μωρὰ interpretetur, & δεξιὰ, τὰ συνετά. quàm non ad tuam mentem,

*Auguria ſiniſtra bona, à ſinendo.*

vides. Sed Auguria etiam captas, & iam vaticinaris. Siniſtra, inquis, cenſent optima. Scimus pridem, ô bone, & eius rei cauſſam: ſcimus tamen & hoc, gentes quaſdam fuiſſe, quibus auſpicatiora dextra. Sed quid ſuperſtitionem hanc mihi ingeris? quæ ſi locum habet vbi ſeſſionis ciuiliter res aut itionis: cur non religionem tibi regero, meliori iure? In deorum adoratione ad dextram ſe vertebant: melior illa igitur. In menſâ, in * dextram potum circumferebant: melior illa igitur. Sed bonâ & Belgicâ fide, quid hæc firmandæ cauſſæ aut infirmandæ? Quin rem tange potius: & omitte digladiari in vmbrâ, aut cum vmbris. Iam tango, inquis, & quidem letaliter in ipſo corde. Hoc enim ad ſiniſtram. Nonnihil dicis, fateor: ſed vide quàm facilè protelem hoc telum. Rem nudam in ſitu hoc adſpicis, non eius veram cauſſam. Dignitatis enim eſſe vis: commodi autem eſt & fructus. Nam vt capias, prudens ille conditor & diſpoſitor deus cor in pleroque omni animali medium eſſe voluit, ſine flexu in dextrum aut ſiniſtrum. ſcilicet vt ſcaturigo illa ſanguinis, ſpirituum, vitæ, à parte mediâ pertineret & ſe diffunderet ad fouendas & irrigandas ęquiter omnes partes. In homine tamen paullùm id aliter eſt, & inclinat vergitque ſiniſtrorſum. quid ita? prouido idipſum & magno conſilio, quod ex Ariſtotele non vltrà te celabo. Ait Naturæ ille germanus alumnus: ἔστι δὲ ἡ καρδία τοῖς μὲν ἄλλοις ζώοις κατὰ μέσον τοῦ στήθους τόπου. τοῖς δὲ ἀνθρώποις εἰς τὰ εὐώνυμα μικρὸν παρεκλίνουσα, πρὸς τὸ ἀνισοῦν τὴν κατάψυξιν τῶν ἀριστερῶν. Pulcherrimè, veriſſimè. nec aliud hîc, quàm arcanum Prouidentiæ opus: quæ benigno quodam & miſeranti reſpectu cor propius Siniſtram admouit, vt vitalis ille calor ſubſidium è propinquo ferre poſſet, & vegetare malam rigentemque partem. Μάλιστα γὰρ τῶν ἄλλων ζώων ὁ ἄνθρωπος ἔχει κατεψυγμένα τὰ ἀριστερὰ, vt idem Sapiens addit. Hæc vides quàm ſint ad tuum ſtomachum: quæ tamen ſi ingeris & demittis, reuomas & refundas neceſſum eſt fallacem illum primæ opinionis ſuccum. Sed tua tela quoniam ſatis euitaui, & quidem ſolo amictu: præbe te paullùm certiori ferro. & *Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.*

*Contra minutas has rationes, minuta alia.*

** Licet addas, receptas locutiones in re fauſtâ: dextro Hercule, Mercurio, etc.*

*Cor cur homini ad ſiniſtram.*

*Poſt refutationem, argumenta quæ à me ſunt.*

*Auctoritas Valerij.*

Nam pro loco dextro ita pugno. Valerius mihi (bono quidem omine) in principiis. qui de Tiberio honores omnes Druſo fratri exhibente: *Præcepit etiam dextrâ in parte Prætorium ei ſtatui, & Conſulare & Imperatorium nomen obtinere voluit: eodemq́ tempore & fraternæ maieſtati ceſſit* (oro, quid his verbis clarius?) *& vitâ exceſſit.*

*Et Plutarchi.*

Plutarchus, in Bruto: μετὰ ταῦτα περὶ τάξεως αὐτοῖς λόγος ἐγένετο, τῶν φίλων παρόντων, καὶ Βροῦτος ᾐτεῖτο Κάσσιον



Κάσσιον αὐτὸς ἡγεῖσθαι τοῦ δεξιοῦ κέρατος, ὃ δι' ἐμπειρίαν καὶ ἡλικίαν μᾶλλον ᾤοντο Κασσίῳ προσήκειν. Satin' vt his quoque verbis clarè dextrũ cornu præfertur ſiniſtro, idque in aſpectu honoris? Ades & tu Suetoni, vt pugnem verbis è Tiberij cap. VI. *Dehinc pubeſcens, Actiaco triumpho, currum Auguſti comitatus eſt ſiniſteriore equo, cum Marcellus Octauiæ filius dexteriore veheretur.* Nihil certius, quàm prælatum in hac ſeſſione Marcellum: qui & ætate Tiberio maior (anni vnius, vt obſeruo) & qui ad imperij ſpem ab auunculo iam admotus. Idem in eodem Tiberio cap. XXV. narrat eum, Libonem, quem ſuſpectum nouitatis habebat, ad colloquium quidem admiſſe, ſed ita *vt dextram obambulantis veluti incumbens, quoad perageretur ſermo, contineret.* Vtrum in hac ambulatione digniorem cenſes, Tiberium an Libonem? Non dubiè illum. Atqui is ad dextram Liboni ambulauit, eamque preſſit & innixus eſt ſuâ ſiniſtrâ. Intorqueo etiam miſſile Salluſtij lacerto, qui in Iugurthino: *Sed Hiempſal qui minimus ex illis erat, ignobilitatem Iugurthæ, quia materno genere impar erat, deſpiciens, dextrâ Adherbalem adſedit. at medius ex tribus, quod apud* (lego inſita copula, *quod & apud.* nam certè ſcimus de medio loco obtinuiſſe etiam Romæ, ne apud Numidas tantùm cenſeas) *Numidas honori ducitur, Iugurtha ſiet. Dein tamen vt ætati concederet, fatigatus à fratre vix in alteram partem tranſductus eſt.* Et examinata ea verba vulnus tibi imprimunt ſatis altum. In ſolemni hoc conſeſſu regum res ita conſtituta ex more. dextrâ Adherbal conſideret, medius Iugurtha, ſiniſter Hiempſal. Turbauit per ferociam iſte, & ſuperbè tranſiit ad dextram. Primus igitur locus medius, proximus dexter. Quin poëta etiam Sulmonenſis à me, in hac pugnâ: ambiguè, primo adſpectu; certò & fidenter, ſi intueare.

*Secunda Suetonij.*

*Tertia eiuſdem.*

*Quarta Salluſtij.*

*Iſq; obiter correctus.*

*Quinta Ouidij.*

Libro IV. Metamorph. de Perſeo:

*Dis tribus ille focos totidem de ceſpite ponit.*
*Læuum Mercurio, dextrum tibi bellica virgo:*
*Ara Iouis media eſt. mactatur vacca Mineruæ,*
*Alipedi vitulus, taurus tibi ſumme deorum.*

*Sexta eiuſdem.*

Mineruam enim apertè ſupra Mercurium collocat: idque apertum ex ratione victimarum, quam addit. Sicut & Hecaten ſiue Dianam, ſupra Iuuentam, iſtis verſibus, lib. VII.

*——ſtatuitq́ aras è ceſpite binas,*
*Dexteriore Hecates, at læuâ parte Iuuentæ.*

*Ratio pro loco dextro, firma.*

Sed quid velitor? ecce falarica grandis quæ te necat. Nemo ambigit, quin latus claudere, tegere, eius ſit qui vilior quique honorem defert. Exempla clara. Valerius: *Alexander, Epheſtione ſibi latus tegente, ad Darij neceſſarios venit.* Horatius:

*Viſne tegam ſpurco Damæ latus?*

Iuuenalis:

*Diuitis hic ſerui cludit latus.*

*Quid ſit latus tegere.*

Atqui latus tegere, eſt eſſe ad ſiniſtram: vilior hæc igitur. Hoc diſertè doceo è Suetonij & Eutropij compoſitis locis. Ait ille in Claudio: *Aulo Plautio ouationem decreuit. ingreſſoque vrbem obuiam progreſſus, & in Capitolium eunti, & inde rurſus reuertenti, latus texit.* Ait iſte in re eâdem: *In amicos*

*amicos tam ciuilis, vt etiam Plautium virum nobilem, qui in expeditione Britannica multa egregiè fecerat, triumphantem ipſe proſequeretur, & Capitolium conſcendenti læuus incederet.* Et videſne quod alter ait latus tegere, hunc appellare & exprimere Incedere læuum? Quo fuco aut fumo obſcures tam claram lucem? Sed & Oppius De bello Alexandrino: *Eoq; ipſo die,* inquit, *meridianâ horâ cùm in baſilicam iret, quidam Minucius Silo cliens L. Racilij, libellum, quaſi aliquid ab eo poſtularet, tradidit. deinde poſt Racilium (nam is latus Caſſij tegebat) quaſi reſponſum ab eo peteret, celeriter dato loco cùm ſe inſinuaſſet, ſiniſtrâ corripit eum, dextraq; bis ferit pugione.* Vbi latus Caſſio Racilius tegit, nō dubiè minor, cùm ille alter prouinciæ eius Præſes. Hoc ipſum eſt, quod vocabant Exteriorem eſſe. Horatius non ambiguè:

*Quid Exteriorem & Interiorem eſſe.*

*—— nec tamen illi*
*Tu comes exterior, ſi iuſſerit ire recuſes.*

Exterior enim ibi ſiniſterior, vt vetus interpres verè notat. Et contrà Interior, is qui dexter. Hæc mens Ouidij eſt (redeo enim ad maiori luce perfundendum primam tuam iniectionem) illo verſu:

*Ibat & interior ſi comes vnus erat.*

*Quæ cauſſa eius dictionis. Turnebi opinio. Noſtra, vero propior.*

Sed quare Exterior ille, hic interior dictus? quæ cauſſa huic ſermoni? Hærent viri docti, interque eos magnus Turnebus. Putat vel à Circo dictum: quia qui dexter eſt, interiore flectit gyro; qui ſiniſter, exteriore: vel à naturâ, quia, inquit, proximior cuique & interior eſt dextra pars, remotior ſiniſtra. Sed mihi expeditior ratio in mente, & fortaſſe verior: quam pandam. *Interiorem* enim arbitror à poſiturâ ſenem dici. quia in deducendo aut comitando non æquabiliter iuerunt, & pari velut iugo: ſed honeſtior præibat leuiter, proximè adhærente altero, & latus velut claudente. Ideò ille *Interior*, hic Exterior, alter alterius reſpectu. Nec diſſimulo in quibuſdam membranis (Giſelinus me docuit) Ouidianum illud legi, *Ibat & anterior:* planè hoc noſtro ſenſu. Atque hic in honore verus vetuſque Romæ mos: quem non temerè migrarunt item aliæ gentes. Nam quod Xenophon de Cyro tradidit, ſolitum eum amicos locare ad ſuam læuam, vt cordi propiores: nouum & illi vni proprium eſt: & tamen ſi attendis, non honoris, ſed adfectus. nec id trahendum ideò ad morem totius gentis. In Turcis tantùm aliter eſſe fateor. quos honeſtiorem hodieque habere locum læuum docuit me non læuus arbiter Augerius Busbequius, ſcientiſſimus harum rerum. Cauſſam illi dant, quia eam partem gladius honeſtet: & qui ad dextram, obnoxium eum habeat & ſubiectum alterius manu; ſiniſter contrà, eum expeditum. En cauſſas non cauſſas, militares imò barbaras, & dignas eâ gente. At pro dextro loco, pugnat nobis Natura ipſa. Ea meliora omnia & fortiora dextra fecit: & Plinius vniuersè nec vanè ſcripſit, *vires dextrâ parte eſſe maiores.* * Ariſtoteles item benè: διὰ τὸ τὴν κίνησιν εἶναι ἐκ τῶν δεξιῶν, καὶ ἰσχυροτέραν διὰ ταῦτ' εἶναι τὴν φύσιν τῶν δεξιῶν. Et res viſuſque adprobat. & in corpore hoc humano, hepar ſplene melius: & è renibus, teſticulis, manibus, pedibus, potiora omnia dextra. Cauſſa, quia calidiora. Ariſtoteles: τῶν μερῶν θερμότερα τὰ δεξιά. & de ſiniſtris ſcribit contrà; τὴν φύσιν τὴν τῶν ἀριστερῶν ὅλως ὑγροτέραν εἶναι καὶ ψυχροτέραν. Sed & mouere

*Cyri aduerſa huic cōmuni mori ratio. Etiam apud Turcas.*

*Argumēta pro nobis à Naturâ.*

* III. De partib. animal. cap. II.



uere atque agere Dextri eſt, moueri & pati Siniſtri. Idem * Sophus: κινεῖν πέφυκε τὸ δεξιόν, κινεῖσθαι δὲ τὸ ἀριστερόν. Poſſem in hanc ſententiam plura (bibimus enim & nos naturæ & Sophiæ illos fontes:) ſed abſtineo. quia non reuera iſtæ Herculis ſagittæ, quibus expugnemus hāc Troiam. Rituum antiquorum res eſt: qui ab vſu potius quàm ratione ſpectandi, & teſtimoniis quàm argutiis firmandi. Tu mi popularis, etſi mortue, tamen ſalue: & ſcripta hæc à me certò ſcito,

* Libro περὶ ζώων πορείας.

*Non tam certandi ſtudio, quàm propter amorem.*

Placet enim nobis acre ingenium tuum, multa & recondita lectio: etſi iudicium requirimus interdum.

## CAPVT III.

*Agellij complura loca emendata. Imitus, Aduerbium. Canalicola. Fama minuens. Plautus correctus. Sol meridies. Oſcæ compellationes. Erucius Clarus Præf. vrbi. Ignauiones. plura alia non è circulis vulgarium correctorum.*

AGELLII non vno loco tenebroſas noctes, illuſtriores reddere minati multi: & nuper etiam ego. Adeò ſerio, vt liber iam apud Typographum eſſet: & vota concepta pro hoc partu. Cùm ecce audio in Galliâ & Germaniâ viros doctos eſſe, qui idem moliti imò iam emoliti conatu magno. Itaque deſtiti; librum recepi; & ſolemne illud meum ſeruaui, vt ne lucis meæ cauſsâ luminibus obſtruerem alienæ famæ. Non enim ita ego eius ſitiens: & ſi ſim, patent vnde hauriam alij fontes. Quia tamen ne nunc quidem clamatum toties Hylam hunc videmus: quid nocuerit proprias quaſdam argutias noſtras (nam quæ è libris ſunt, credo indubiè obſeruata aliis) referre in hoc caput? Nam vt maximè etiam illis in mentem & ſtilum iſta venerint: tamen vt Plato ait, δίς γε καὶ τρὶς τὸ καλὸν ῥηθὲν οὐδὲν βλάπτει.

Lib. XVII. cap. X. vbi inſignis illa comparatio, Phauorino iudice eſt, Virgilianæ Ætnæ cum Pindaricâ: in noſtro carpendo hæc leguntur:

*Virgilius autem dum in ſtrepitu ſonitúque verborum conquirendo laborat, vtrumque tempus nulla diſcretione factâ confundit. Atque ille Græcos quidem fontes imitatus ignes eructare, & fluere amnes fumi & flammarum fulua & tortuoſa volumina in plagas maris ferre quaſi quoſdam igneos amnes, luculentè dixit.*

Ad quæ inſiſtas iure. Quis enim hic ille qui Græcos fontes imitatus? Virgilium cenſeas. falsò. nuſquam hæc enim in eius verſu, quæ ſubdit. Pindarum igitur? ridiculum. quomodo Græcum conuenienter dixeris imitari Græcos? quomodo ſermo ipſe ſatis lautus & Latinus, Imitari Græcos fontes? Nam eos ſanè nemo imitatur, ſed ſumit ex iis, haurit, delibat. Nec refello pluribus. tu me duce hæc ſcribito, *Atque ille Græcus quidem, fontes imitus ignis eructare, &c.* Imitus, vt Stirpitus, Radicitus, Medullitus. & reſpondet ad verbum illis Græcis Pindari, τοῦ πυρὸς ἁγνόταται ἐκ μυχῶν παγαί. Sed & ſtatim corrige, *quaſi quoſdam igneos angues.* quod inter-

*Vox eruta noua, ſed proba, Imitus.*

*Ignei angues.*

interpretandis illis Dircæi vatis facit, ἀφαίςοιο ἔρωτον: imagine audaci ſanè & verè poëticâ, & quæ mihi blanditur.

Libro IIII. cap. XX.

*Qui iurabat cauillator quidam & canicula & nimis ridicularius fuit.*

*Canalicola, quis.*

Non canis hîc, non canina facundia ſatis apta. Ioci enim nudi res eſt, ſine vllo morſu. Valdè libens & ad ingenium Geniumque veteraſcentem Agellij legam, *& canalicola*. Ita enim dicti olim homines forenſes, dicaces, ἀγοραῖοι; quia ad canalem crebri. Feſtum vide in eapſe voce, & Plautum Curculione.

Lib. I. cap. II.

*Diſſertationum Epicteti digeſtarum ab Arriano primum librum.*

*Numerus corruptus, & loci promtum explementum indicatum.*

Imò hæc quæ ſubiicit, hodieque leguntur in Arriani libro ſecundo cap. XIX. Sic igitur corrige: niſi ſi alia tunc diſpoſitio aurei illius ſcripti. Simul exple lacunas aliquot hîc hiantes ex eodem Arriano, in verbis Græcis quæ à capitis Agelliani fine.

Lib. I. cap. III.

*Minimaq; illa labes & quaſi lacuna famæ imminentis, partarum amico vtilitatum ratione ſolidatur.*

*Famæ minuentis, Patheticôs.*

Scribo, *famæ minuentis*. id eſt, imminutæ. elegantiâ priſcâ & huic acceptâ. item *laciniam* malim, quàm *lacunam*. Sequitur enim ſolidari eam: quod duriter omnino transferas ad lacunam.

Libro III. cap. III. in verbis mei Comici:

*Nam me puero vetus hîc erat ſolarium*
*Multo omnium iſtorum optimum & veriſſimum.*

*Plautini verſus correctio. Vterus ſolariû, voto paraſiti.*

Parum connexa hæc aut conſequa aliis. Corrigo, *me puero vterus hic erat ſolarium*. niſi fallor, perappoſitè ad paraſitum Quid opus, inquit, ſolariis & his obſeruationum nugis? Me puero vnum cuique & non fallax ſolarium, venter. vbi is monebat cibum ſumere, ſumebatur.

Eodem lib. cap. II.

*Magiſtratus quando vna die eis auſpicandum eſt & id ſuper quo auſpicauerunt agendum, poſt mediam noctem auſpicantur, & poſt exortum ſolem agunt: auſpicati eſſe & egiſſe ex eodem die dicuntur.*

*Sol meridies, priſcâ phraſi.*

Libri plerique veteres, *poſt mediam noctem auſpicantur & poſt meridiem ſole magno auſpicati eſſe*. ex quîs firmiter lego, *& poſt meridiem ſolem agunt*. Eoq; exemplo tuta & defenſa hæc priſca dictio, quo Sol occaſus. Paullò etiam antè in hac ipſa diſputatione & capite, *Sacra ſunt Romana partim diurna, partim nocturna: ſed ea quæ inter noctem fiunt, diebus adiiciuntur, non noctibus*: legam libens, *quæ internoctu fiunt*, eâ formâ quâ Interdiu.

*Internoctu, vna vox.*

Lib. I. cap. V. de Hortenſij cultu & munditiâ malè audiente:

*Qui cum multa munditiâ & circumſpectè compoſiteq; indutus & amictus eſſet, manusq; eius inter agendum argutæ admodum forent & geſtuoſæ: maledictis appellationibusq; propoſitis iactatus eſt.*

*Oſcæ compellationes.*

Quæ ſunt *propoſita maledicta* ſiue *compellationes*? (ita enim veteres, melius quàm appellationes.) Non explicamus. Itaque ſubſtituunt, *probroſis*. Ego ex ſcripturæ tramite, *propè Oſcis*. Et valdè conuenit. quoniam in Hortenſium, vt mollem & parum externis illis indiciis virum, cauilli quidam & ioci obſcæni iacti & in modum Oſcum.





Libro V. cap. I. in Muſonij ſeriâ oratione:

*Animus is, inquit, audientis philoſophũ quæ dicuntur vtilia ac ſalubria ſunt.*

Sententia & verba ſuſpenſa. tu ſiſte, & ſcribe, *quæ dicundo vtilia*.

*Verba dicũdo vtilia.*

Libro V. cap. XIIII.

*Tum ſole medio rapido & flagranti ſpecum quamdam nactus remotam.*

Priſcianus hæc citat, ſed in eo ſcriptum *ſole arido*. Nos, *ſole ardido*, fuiſſe vix ambigimus. Qui autem toto hoc capite *Androdus* eſt, verius *Androclus* ſcribetur: atque ita Æliano dicitur in Variæ Hiſtor. lib. VII. c. XLVIII.

*Sol ardidus*

*Androclus, non Androdus.*

Lib. VI. cap. VI.

*Audiui Apollinarem Sulpicium L. Claro Præfecto vrbis dicere.*

Scribo, *Erucio Claro*. è Plinij epiſtolis, & ipſo Agellio libro XIII. cap. XVI. Nominatur & in Pandectis lib. II. De offic. Præf. Vigil. ſed is alius ab iſto (fortaſſe eius proles) qui ſub Antonino vixit, nec vrbi ſed vigiliis præfuit.

*Erucius Clarus Præfectus.*

Libro ſeptimo cap. XIIII.

*Et in Senatum quidem introducti, interprete vſi ſunt Cæcilio Senatore.*

Hæc ipſa tota res narrata Macrobio, in quo *Cælio* legitur: narrata Plutarcho in Catone maiore, qui Γαΐον Ἀκίλιον appellat. Igitur hîc quoque diuiſim legerim, *C. Acilio*.

*C. Acilius.*

Libro XV. cap. XII. in Gracchi verbis:

*Si cuiuſquam ſeruulus propter me ſolicitatus eſt, omnium nationum poſtremiſſimum nequiſſimumq; exiſtimatote.*

Magna viri integritas, quam iactat. verbum quoque redintegremus, *omnium natorum*. id eſt, omnium hominum qui vnquam & vſquam nati. Nam nationes huc non aptè traxeris.

*Poſtremiſſimus natorum, id eſt hominum.*

Libro XVI. cap. XIIII. in verbis Verrij Flacci:

*Feſtinat, inquit, à fando dicitur, quoniam iſti ignauiores qui nihil perficere poſſunt, plus verborum quàm operæ habent.*

Cur verò comparandi caſu Ignauiores extulit, nec Ignauos dixiſſe contentus? Nos de mendo ſuſpicabamur & remotiore verbo; quod puto fuiſſe, *iſti ignauiones*. Formabât ita nomina, Optiones, Volones, Edones, Geriones, * Geſtiones: eaq; ab ipſis verbis, & terminatione eâdẽ. Ignauire vetus vox, & Ignauit in Pacuuio, ſi commemini, Nonius obſeruat. Hac facie à Satagendo, Satagios Seneca etiam dixit.

*Ignauio, noua ſiue priſca potius vox.*

* Gloſſæ Philoxeni. in quîs malè *Geſtio*, χαλίβιος. lego, χαλλέιος: à geſtiendo.

Libro vltimo, cap. vltimo:

*Neque item deſunt, qui libris ſuis indices fecerunt, aut Epiſtolarum moralium, aut Epiſtolicarum Quæſtionum, aut Confuſarum.*

Titulus Epiſtolicarum hîc quidem corruptus & alienus eſt. Nam præceſſit lineis aliquot antè: *Sunt qui de Philoſophiâ inſcribant, & De naturâ humanâ, & Epiſtolicarum Quæſtionum*. Ne igitur vanè iteret, ſcribe, *aut Epiſtolarum quæſitiorum*. Plura mihi in hoc Attico agello: ſed meſſem vberem aliorum videbo, & legam fors fuit ſpicas.

*Epiſtolæ quæſitiores.*

## CAP. IIII.

### *Plinij defenſio. Africam vrſos non gignere, non certè vulgò. Quid Vrſi Numidici antiquis. ſententia noua, & ad lucem plurium ſcriptorum.*

*Plinij de vrſis adſertio.*

FACIAM ſedulò, Plini: & preſſum per iniuriam, imò oppreſſum te alleuabo, ô Naturæ magne myſtes. Scripſiſti libro VIII. cap. XXXVI. *Annalibus notatum eſt M. Piſone M. Meſſalla Coſſ. a. d. XIIII. Kal. Octobres Domitium Aenobarbum Aedilem curulem vrſos Numidicos centum, & totidem venatores Aethiopas in Circo dediſſe. Miror adiectum Numidicos fuiſſe, cùm in Africâ vrſos non gigni conſtet.*
Et iteraſti eamdem adſeuerationem in fine eiuſdem libri:

*Africa autem nec Apros, nec ceruos, nec capreas, nec vrſos gignit.*

*Quã multi carpunt et infirmat.*

En, altè ſatis & clarè negas in Africâ eſſe vrſos. Hinc carptores, & linguarum multa tela. Paſſim te inſiliunt, inſibilant. &, Feſtum diem hominis! inquiunt: quàm fallitur? Luce iſtâ clarius eſt in Africâ eſſe vrſos, & quidem præſtantes, inſignes. Herodotus in Melpomene, de Libyâ quæ πρὸς τὴν ἠῶ, ſiue ad orientem. καὶ οἱ λέοντες κατὰ τούτους εἰσὶ, καὶ οἱ ἐλέφαντές τε, καὶ ἄρκτοι. *Et Leones apud iſtos ſunt, & elephantes, & vrſi.* Solinus cap. XXIX. *Numidici vrſi formâ ceteris præſtant, rabie dumtaxat & villis profundioribus*, etſi veteri meo libro abeſt hîc vox, *forma*. & rectè.

*Solinus correctus.*

Iuuenalis:

*Profuit ergo nihil miſero, quod cominus vrſos*
*Figebat Numidas.*

Martialis:

*Quod fræno Libyci domantur vrſi.*

Virgilius:

——— ——— *occurrit Aceſtes*
*Horridus in iaculis & pelle Libyſtidos vrſæ.*

Strabo de Mauris (quem tamen locum ipſi non vidêre:) οἱ δὲ πεζοὶ τὰς τῶν ἐλεφάντων δορὰς, ὡς ἀσπίδας προβάλλονται. τὰς δὲ τῶν λεόντων καὶ παρδαλέων καὶ ἄρκτων ἀμπέχονται καὶ ἐγκοιμῶνται. *At pedites elephantum pellibus pro clypeis vtuntur, leonum autem, pardalium, vrſorum induuntur, & indormiunt.* Ecce teſtes. quis verbum pro te mutiat in tam multos, in tam probos? Ego. etiamſi plures aduenIant, &, cum Homero, μαλὰ μύριοι.

*Cõfirmatio Pliniana ſententia.*

Nego nihilo ſecius clarè & contentè, erraſſe Plinium: aio illos, qui errare eum errant. Numidia non gignit vrſos: aut ſi; raros certè minutoſque. Quid tot mihi teſtes? ad viſum & ad viſum adpello: nec hodiè quidem dabunt, qui terram eam frequentent vrſis. Aluareſius locorum eorum inſpector, hoc tantùm contra veteres mutat, quòd viſos à ſe in vlteriore Africâ ait etiam ceruos. Scilicet cuique animanti, pro ingenio & indole, ſuæ ſedes. & frigidior iſta ad Septemtriones & Occaſum plaga eſt, quâ gaudent & gliſcunt vrſi; non calida illa & ſicca terrarum. Appuleius verè & peritè libro IIII. Mileſiar. *An ignoras hoc genus beſtiæ* (vrſum

*In Africâ etiamnunc pauci aut nulli vrſi.*

*Qui frigore delectantur.*



intellegit) *lucos conſitos, & ſpecus roſidos, & colles frigidos, & fontes amœnos ſemper incubare?* Itaque Martialis Caledonium vrſum benè agnominat:

*Nuda Caledonio ſic pectora præbuit vrſo.*

Et Arctoum alibi:

*Et epitheta iis à locis frigidis.*

——— *venabula condidit vrſo*
*Primus in arctoi qui fuit arce poli.*

Poëtæ etiam alij Scythicum, Lucanum &c. Denique boni viri quid cenſetis? tam fungum, tam bardum Plinium, qui neſcierit vnde Romam adueherentur cottidie vrſi? Nullus menſis præteribat in Italiâ, imò penè dicam dies, ſine venatione & vrſis: ecce ille ſagax indagator remotiſſimarum rerum, aures aut oculos non habuit in re cottidianâ. Neſciuit centenos aliquot vrſos ex Africâ aduehi ad vnos ludos. Indignor. At enim illi teſtes. Quid teſticulamini? Hoc fortaſſe Straboni (non enim Herodoto temerè aut Solino) accredam vrſos pauculos & paullulos in montanâ aliquâ Africæ parte eſſe; negabo feroces, negabo multos. Latini noſtri non me mouent. Aliud enim quiddam in hac re latet, quod reſerabo & aperiam primus. Ecce in Annalibus ſiue in Actis cùm, Plinio admirante, ſcribitur, *Centum vrſos Numidicos datos*: renuo intellectos ibi vrſos. Quomodo? ita dico, vt iis verbis firmem ſignificari leones. Hem! Ne miremini. cauſſa opinioni meæ, firma, iuſta. Primum, cur vt mirum aut nouum notarint Annales de tot vrſis, cùm obuia per omnem Europam ea fera, & frequentiâ ſuâ vilis? Scio & docuero, centenis ante Domitij editionem annis, vrſos Romæ datos non multo pauciores. Sed nec enituiſſe eam in vrſo video, video in leone. Nummus vetus planiſſimè ſuggerit, qui in memoriam Ædilitatis eius cuſus cum venatore & leone: ecciſte.

*Plinius non potuiſſe tã ſtupidè ſtupere.*

*Ad teſtes reſponſum.*

*Quid vrſi Numidici, in Annalibus Actis.*

*Nõ eſſe verè vrſos, ex ipſâ re deductum.*




SED, inquies, quæ hæc peruerſa Actorum dictio aut ratio, Vrſum pro leone? Imò proba priſcis & trita. Iam enim bibe hoc arcanum, quod (liberè & verè dico) latuit & fefellit Plinium ipſum, non aliâs ad hanc Annalium auctoritatem adhæreſcentem & ſtupentem. Romanos illos veteres etſi in vrbe, ſtiuam tamen adhuc oliuiſſe ſcies & ſuum agrum. Parum in factis culti aut amœni, parum in dictis. Itaque peregrina iſta cùm ad eos aduehebantur, ſtupebant: & nomen iis dabant non ſuum (nec cura iis quærere) ſed obuium aliquod & è vicino ſuo rure. Ita Elephantem cum boue compararunt, & vocarunt: tamen cum diſcrimine aliquo, Bouem Lucam. Ita Struthionem, Paſſerem (vide quàm appoſitè) dixêre; ſed quia trans mare aduectus, Marinum. Ita Camelopardalim,

*Curea abuſio vulgò in vocibus.*

*Romani rebus ignotis nota nomina dabant.*

*Bos luca. Paſſer marinus.*

*Ouis fera. Mus Africanus.* *Vrſa Libycæ; & ſimilia apud Latinos poëtas pro Leone.*

dalim, Ouem feram. Ita Pantheras, Mures, vt opinor, Africanos. idemq́; in pluribus, comparatione ſemper aliquâ ad notas & indigenas animantes. Tale in Leonibus eſt. Cùm primùm viſi; non Leones externo eos nomine inſignierunt, ſed noto & domeſtico Vrſos. cum adiectione tamen Numidicos, quia inde importati. Nec aliter, ſcio, ſenſêre plerique è teſtibus, quos contrà aduocarunt. Virgilium quidem, dum Aceſtem tegit —*pelle Libyſtidos vrſæ*: certũ mihi intellexiſſe Leoninam. Ea enim heroi & viro forti conueniebat, Herculis veterumq́; exemplo. Nec Seruium id planè fugit. Attollit enim hîc pauliſper oculos, & ſcribit: *Aut reuera vrſæ, aut feræ Africanæ.* Iuuenalem etiam nihil ambigo de pugnâ ſenſiſſe cum leone. Et Martialem clariſſimè, qui leones ſubiuges currui facit: nullo ſanè miraculo, ſi de vrſis, qui mites & dociles ad magis ſtupenda. At de leonibus idem factitatum à M. Antonio Plinius tradidit, non ſine portento. Numidici quidem aut Africani epitheton adeò Vrſis propriè non conuenit, vt Liuius, Dion, aliique ſcriptores, diſtinguant eos paſſim contra Africanas. quæ exempla notata mihi libris De Venatione. Hæc audax & noua ſententia noſtra eſt, ſcio: inuidenda tamen fortaſſe potius, quàm irridenda. Siue enim vera dixi, laudem ſagacitas merebitur: ſiue falſa, veniam pietas.

*Africanæ, diſtinguuntur ab Vrſis.*

## CAPVT V.

*Locus in Floro magis eximius correctus. Veterum fluctus & erratio ſuper religione Iudaicâ. Vitis aurea in eorum templo. quid, quaque formâ ea fuerit. Plinius explicatus.*

*De vero nomine & gēte Flori.*

L. ANNÆVS Florus (ita enim indigetare cũ priſcis libris malim, quàm Iulium: quoniam Hiſpanâ origine fuiſſe colligo, & niſi fallor ex ipsâ Senecarum gente.) is inquam Florus compendium non tam Liuij, à quo ſæpe diſſentit, quàm rerum Romanarum ſcripſit; ſiquid mei iudicij eſt, compoſitè, diſertè, eleganter. Subtilitas quidem & breuitas in eo ſæpe mira: & ſententiarum quædam gemmulæ cum iudicio inſertę & veritate. Is liber & vulgi manibus tritus, & limatus nuper doctorum virorum cenſuris. probè & peritè, fateor: niſi quod ſordium etiam nunc aliquid ſupereſt, purgandum nobis. Inter eas locus de victoriis Pompeij Magni lib. III. cap. V.

*Laudabile eius compendium.*

*Hieroſolyma defendere tentauere Iudæi: verùm hæc quoque intrauit, & vidit illud grande impiæ gentis arcanum patens, ſub aureo vti cælo.*

*Correctio in eo.* *Vitis aurea Hieroſolymis.* *Irridet Iudæos Florus, ridendus ipſe.*

Nam quæ iſtæc comparatio patentis arcani, cum aureo cælo? Inepta, & nulli rei. Quin ſi attendis, fatebere verè nos & cum hiſtoriæ momento emendaſſe, *ſub aureo vitem cælo*. Ita ſcilicet res eſt. Vitis aurea magnæ artis & pretij, in Iudæorum templo fuit, quam Pompeius illic, ſiue repperit, vt Florus & Tacitus volũt; ſiue oblatam ab Ariſtobulo recepit, vt Ioſephus & Zonaras narrant. In hanc vitem ludit & dentem ſtringit nunc Florus: & En, inquit, hoc illud ſecretum & grande arcanum, quod tem-

pli



pli ſui adytis Iudæi cælant & colunt. Nam Græci plerique & Romani, quoniam ſacra illa gens aliena à ritibus receptis & profanis, nec ſtatuas in templo haberent aut ſimulacra; mira & prodigioſa de religione eorum & myſteriis ſuſpicati. Alij mundum ab iis coli, alij nubes, alij Bacchum: quidam aſinum, & ſuem. At Florus quaſi rem acu tangens, prodit de vite. De quâ ipsâ Tacitus: *Sed quia ſacerdotes Iudæorum tibiâ tympaniſq́; concinebant, vitiſq́; aurea templo reperta, Liberum patrem coli domitorem Orientis quidam arbitrati ſunt.* Vbi hoc amplius diſcis, vitem hanc tractam in argumentum Liberi culti. Quæ opinio item Plutarchi eſt, diffuſè poſita & firmata ab eo in lib. IIII. Sympoſiac. quæſtione V. Ioſephus de vite eâdem, lib. Antiquitat. XIV. Πομπηΐου δὲ ἐς Δαμασκὸν ἀφικομένου, ἧκον παρ' αὐτὸν πρέσβεις ἐξ ὅλης Συρίας καὶ Αἰγύπτου, καὶ ἐκ τῆς Ἰουδαίας. ἔπεμψε γὰρ αὐτῷ μέγα δῶρον Ἀριστόβουλος, ἄμπελον χρυσῆν, ἐκ πεντακοσίων ταλάντων. μέμνηται δὲ τοῦ δώρου καὶ Στράβων ὁ Καππάδοξ, λέγων οὕτως. ἦλθε δὲ καὶ ἐξ Αἰγύπτου πρεσβεία καὶ στέφανος ἐκ χρυσῶν τετρακισχιλίων. καὶ ἀπὸ τῆς Ἰουδαίας εἴτε ἄμπελος, εἴτε κῆπος. τερπολὴν ὀνόμαζε τὸ δημιούργημα. τοῦτο μέντοι τὸ δῶρον ἱστορήκαμεν καὶ ἡμεῖς ἀνακείμενον ἐν Ῥώμῃ ἐν τῷ ἱερῷ τοῦ Διὸς τοῦ Καπιτωλίνου, ἐπιγραφὴν ἔχον Ἀλεξάνδρου τοῦ τῶν Ἰουδαίων βασιλέως. ἐτιμήθη δὲ εἶναι πεντακοσίων ταλάντων. id eſt: *Pompeius autem cùm Damaſcum veniſſet, legati ad eum venêre ex omni Syria, Aegypto, Iudæâ. Miſit verò illi inſigne donum Ariſtobulus vitem auream pretij quingentorum talentorum. Cuius doni Strabo etiam Cappadox meminit, his verbis. Venit & ex Aegypto legatio, & corona aureorum quater mille. & ex Iudæâ ſiue Vitis, ſiue Hortus. Terpolem, id eſt delectamentum, vocabant id opus. quod vidimus etiam nos Romæ dedicatum in templo Iouis Capitolini, cum inſcriptione Alexandri Iudæorum regis: æſtimabaturq́; quingentis talentis.* Et ex eo Zonaras: μετ' οὐ πολὺ δὲ Πομπηΐου ἀφικομένου εἰς Δαμασκὸν, ἧκον πρέσβεις πολλαχόθεν τε καὶ ἐξ Ἰουδαίας, δῶρον ἐξ Ἀριστοβούλου μέγα κομίζοντες, ἄμπελον χρυσῆν ἐκ πεντακοσίων ταλάντων, ταύτην φησὶν ὁ Ἰώσηπος ἐν Ῥώμῃ θεάσασθαι, τῷ ἐν Καπιτωλίῳ ἀνατιθεμένην Διΐ. id eſt: *Non multò pòſt Pompeio Damaſcum profecto, cùm multis aliis ex locis, tum è Iudæa legati venerunt vitem auream, munus Ariſtobuli, ferentes, quingẽtûm talentûm. quam ſe Ioſephus Romæ vidiſſe adſerit in Capitolio dedicatam.* Ad hanc ipſam nobilem vitem traho Plinij locũ, ſiue Actorum potius, quorum verba in Plinij XXXVII. cap. II. vbi inter dona, triumpho Aſiatico, Pompeius intuliſſe fertur *Montem aureum quadratum, cum ceruis & leonibus & pomis omnis generis, circumdatâ vite aureâ.* Quibus verbis appoſitè obſerua, vitem hanc non ſimplicem fuiſſe, ſed monti aureo implexam, totumque opus in formam horti flexum. Ideò in Strabonis verbis apud Ioſephum, εἴτε ἄμπελος εἴτε κῆπος, ambiguè poſitum. ideò in Floro, *Vitis ſub aureo cælo.*

*Suſpiciones gentium de hac gente.* *Bacchum putarunt ab iis coli, inuentorem ſcilicet vitis.* *Ioſephi in hac vite leuis diſſenſus.* *Plinius explicatus.*

CAP.

## CAP. VI.

*De oſculis, & oſculandi variâ ratione, Romæ. Quo fine fuerint: qua formâ & modo. Diuina fuiſſe, Humana fuiſſe. Adorare quid propriè ſit, & vnde ea vox dicta & ducta. Scriptores multi explicati. in Ouidio coniectura. Verrere templa crinibus. Statius emendatus. Ad manum accedere, quid in Cæſareis hiſtoricis.*

ABI Venus. fallam ego te, quæ ipſa multos: & de Oſculis Caput ſcribam & inſcribam, in quo tamen nihil tibi loci aut iuris. Suauia illa tua inſuauia ſperno: pura tantùm & officioſa tangam, quæ Romæ olim in vario diſcrimine & vſu.

*Oſcula fine duplici.*

*Diis os ore libabant.*

*Cicero emendatus.*

ADHIBITA enim in Deorum cultu & Hominum. Deorum, tripliciter. Aut enim os iis venerabundi oſculabantur, aut manus, aut pedes. De ore, Cicero in Verrem libro v. *Ibi eſt ex ære ſimulacrum ipſius Herculis, quo non facilè dixerim me quidquam vidiſſe pulchrius. vſque eo, iudices, vt rictum eius ac mentum paullò ſit attritius: quòd in precibus ac gratulationibus* (credo, *gratationibus* eum ſcripſiſſe, voce magis conuenienti cùm diis agerent grates) *non ſolùm id venerari, ſed etiam oſculari ſolent.* Quod tamen rarius factum, vt Cicero ipſe indicat, & recepti magis cultus hi demiſſi qui ſequuntur. Oſculabantur enim deorum dextras.

*Aut manus.*

Lucretius:

*— tum portas propter, aëna*
*Signa, manus dextras oſtendunt attenuari*
*Sæpe ſalutantum tactu præterꝗ; meantum.*

*Aut pedes.*

Aut denique ipſos pedes. Appuleius: *Exoſculatis veſtigiis deæ quæ gradibus hærebat argento formata, ad ſuos diſcedunt Lares.* Atque hæc in diuino cultu ſimplex oſculorum ratio. alia eſt magis ſuperſtitioſa & quæſiti cultus. Verebantur enim plerumque deos ipſos ore profano ſuo tangere; ſed eminus ſtantes manum porrigebant, eamque ſtatim verenter ad os ſuum referebant & ſuauiabantur. Hic habitus receptiſſimus, & velut ſolemnis Adorantium fuit: quem mihi ingerunt ſcriptorum loci multi. Plinius: *In adorando, dextram ad oſculum referimus.* Minutius Felix in Octauio: *Cæcilius ſimulacro Sarapidis denotato, vt vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admouens oſculum labiis impreſſit.* Appuleius Apologiâ priore: *Nulli deo ad hoc æui ſupplicauit: nullum templum frequentauit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admouere.* Nec Romanis ſolùm hic ritus, ſed Syris olim, & Orienti. In ſacrâ hiſtoria Iobi cap. XXXI. *Si vidi Solem cùm fulgeret, & Lunam incedentem clarè, & oſculatus ſum manum meam ore meo.* id eſt, ſi lunam aut ſolem adoraui. Vetus interpres III. Regum: *Quorum genua non ſunt incuruata ante Baal, & omne os quod non adorauit eum oſculans manum.* Hieronymus in Ruffinum: *Qui adorant, ſolent deoſculari manum, & capita ſubmittere.* & ſæpius in Hebræorum phraſi Deoſcu-

*Sæpe etiam eminus oſculabâtur: porrectâ manu.*

*Idq; adoratio propriè.*





latio, eſt Adoratio. Atque ego Latinis ipſis hinc cenſeo formatum Adorandi verbum: quia manus ad ora admouebant. non ab Ador (frumenti id genus) quod cenſet Grammaticorum acumen. Ad eumdem adorandi morem, meo monitu, referes ſcriptorum aliquot locos: quorum aliâs interior & vera te ſententia fallat. Taciti illud è lib. XVI. Annalium, de Nerone cantillante: *poſtremo genu flexus, & cætum illum manu veneratus.* Nam omnia feciſſe eum vult ex præſcripto, & ad legitimum hiſtrionem: adeò vt etiam ſpectatores adorarit. Illud Suetonij, in Claudio: *Eoſdem ſpectacula edentes ſurgens & ipſe, cum ceterâ turbâ, voce ac manu veneratus eſt.* Denique hoc Martialis:

*Vnde & nomen: quia manus ſcilicet ad ora.*

*Manu adorare in Tacito:*

*In Suetonio:*

*In Martiale.*

*Roma ſalutauit voce manuꝗ; deum.*

Etſi poſſit hæc quiſpiam, non nego, de ſimplici protenſione manus accipere, quæ ipſa in cultu. ex Tacito I. Hiſtoriar. *Nec deerat Otho protendens manus adorare vulgum, iacere oſcula, & omnia ſeruiliter pro dominatione.* Qui tamen, ſi attendis, à me locus. Adorare enim dicit, & oſcula adiungit: quæ non alia eſſe potuêre, quàm iſta manuum, quia in aureo & alto ſuggeſtu ſublimis Otho; & hoc ipſum in ea re Dionis compendium tibi dicet. Addo, quòd protenſio nuda manuum, precantium propriè non venerantium nota. Appuleius: *Orantium ille habitus eſt, vt manibus extenſis in cælum precemur.* Ante eum Ariſtoteles De Mundo: πάντες οἱ ἄνθρωποι ἀνατείνομεν τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν, ἐυχὰς ποιούμενοι. Horatius ſupinas manus id vocat: *Cælo ſupinas ſi tuleris manus.* Sed redeo ad lineam, & amplius noto: manuariam iſtam adorationem non ſimplicem aut rudem omnino fuiſſe, ſed certâ quadam conformatione & geſtu. Appuleius vnus eum expreſſit, lib. v. Mileſiar. De Pſyche: *Multi denique ciuium, & aduenæ copioſi, inacceſſæ formoſitatis admiratione ſtupidi, & admouentes oribus ſuis dextras, primore digito in erectum pollicem reſidente, vt ipſam prorſus deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur.* Qui geſtus quidem nihil abit ab Heſperiorum ritu hodie, qui ex pollice & indice quaſi crucem formantes, eam in adoratione & templis deoſculantur. excipio quod iſti pollicem indici imponunt, Romani contrà. Ouidium neſcio trahámne iſtuc, vbi ad amicam:

*Protenſio ſola manus, in habitu precãtium.*

*Qua forma adorãtis manus.*

*Ouidio lux.*

*Tange manu menſam, tangunt quo more precantes*
*Optabis merito cùm mala multa viro.*

Nam formam videtur indicare voluiſſe hanc, manus adorantis & precantis. Certè vt de ſimplici tactu menſæ accipias, dilutum & alienum videtur: etſi ſcio in precibus, aras ſolere tangi. Fuit cùm hic legerem, *mentum*, non *menſam*. quia Plinius admonuerat, *antiquis Græciæ in ſupplicando mentum attingere moris fuiſſe.* Quod Seruius tamen ad Frontem rettulit: *Auris*, inquit, *memoriæ ſacra, frons Genio: vnde venerantes deum, tangimus frontem.* Sanè in Homero, barbam ſupplicantes tangunt: ſed aliud ſcilicet eſt in venerando. Porrò ad manu Adorationem etiam Capitolini illud referam in M. Antonino Philoſopho: *Cùm Lucillam matrem Marci in viridario venerantem ſimulacrum Apollinis vidiſſet.* Item Ouidij, appoſitâ ſuggeſtione elegantiſſimi Mureti:

*Et fortaſſe emendatio.*

*Capitolino lux: &*

*Iterũ Ouidio.*

*Ecce lacu medio, ſacrorum nigra fauillâ*

*Ara vetus ſtabat, tremulis circumdata cannis.*
*Reſtitit, & pauido, Faueas mihi, murmure dixit*
*Dux meus, & ſimili, Faueas mihi, murmure dixi.*

*Aulici noſtri ritus origo.*

Etiam huius ſæculi morem, quem ſeruiliter adulatio ſeruat. Ferè enim aulicæ illæ muſcæ, cùm potentiorem ſalutant, veſtem aut partem aliquam corporis manu illi tangunt: eamque ſtatim cum veneratione quâdam ad os reportant. Nec dubitabis, quin ſuper hoc veſtigium ſit priſcæ illius adorationis.

*Oſcula ianuis & poſtibus templorum.*

IAM alia etiam oſcula in hoc diuino cultu (ſuperſtitionem magis verius dixerim) quæ liminibus templorum data, poſtibus, aris. Quæ demiſſio Romæ vſurpata in rebus arctis. Tibullus de eâ:

*Non ego, ſi merui, dubitem procumbere templis*
*Et dare ſacratis oſcula liminibus.*

Statius etſi leuiter corruptus, v. Siluarum:

*—— nunc anxius omnibus aris*
*Illacrimat, ſignatúſque fores, & pectore terget*
*Limina. ——*

Malè enim edunt, *Lumina*. Abiiciebant autem ſe & oſculis lacrimiſque terram complebant, & crines etiam fæminæ ſparſim effundebant. Statius idem Thebaïde quartâ:

*Te ſine ſat dubium cætu ſolante timorem*
*Fallere, & incultos aris aduertere crines.*

*Statius correctus.*

*Crinibus paſſis templa verrebãt in ſupplicio.*

Vbi ſcribito, *aduerrere*. & priore etiam verſu fortè, *calatho ſolante*, non *cætu*. Verrendi quidem verbum hîc probum, & à re ipſa. Liuius libro III. *Stratæ paſſim matres, crinibus templa verrentes, veniam irarum cæleſtium expoſcunt.* Idem libro XXVI. *Matronæ circa deûm delubra diſcurrunt, crinibus paſſis aras verrentes.* Polybius: αἱ δὲ γυναῖκες παραπορευόμεναι τοὺς ναοὺς, ἱκέτευον τοὺς θεοὺς, πλύνουσαι ταῖς κόμαις τὰ τῶν ἱερῶν ἐδάφη. τοῦτο γὰρ ἔθος αὐταῖς ἐστὶ ποιεῖν, ὅταν τις ὁλόσχερος τὴν πατρίδα καταλαμβάνῃ κίνδυνος. In Mamertini Panegyrico ad Maximianum: *Matres Italæ penſa manibus abiecerunt, paruos liberos abreptos ad templa traxerunt, ibi ædes ſacras paſſo capillo ſuo quæque verrebat.* Appuleius lib. v. *Tunc Pſyche vberi fletu rigans deæ veſtigia, humúmque verrens crinibus ſuis.*

Lucanus lib. I.

*Hæ lacrimis ſparsêre deos, hæ pectora duro*
*Adflixêre ſolo, laceráſque in limine ſacro*
*Attonitæ fudêre comas.*

Nec plura addo de oſculis in diuinis, transeo ad Humana.

*Oſcula in Hominum cultu.*
*Ora oſculabantur aliena.*
*Tiberius morem conatus tollere.*
*Fruſtrà.*

Ea variè vſurpata vulgò, & in omni ferè corporis parte. Primum in facie, ibique os, genas, oculos ſuauiabantur: in itu, reditu, gratulatione, imò in ſalutatione & cottidiano occurſu. Qui mos inualuit maximè, vt opinor, ſub Auguſto: ideoque Tiberius vt nouitium conatus pellere, *& oſcula cottidiana*, ait Suetonius, *prohibuit edicto*. Sed hæſit nihilominus, & creberrima oſcula iterum ſub Principibus ſecutis. Vnum Martialem mihi lege, cui benigna materia iocorum, iſta. Quin ipſi Principes, (certè qui magis moderati) oſculo excipere ſoliti ciues digniores. Plinius

Lauda-



*Ipſi Principes per humanitatẽ id vſurpabant.*

Laudatione Traiani: *Gratum erat cunctis, quod Senatum oſculo exciperes, ſicut dimiſſus oſculo fueras.* Latinus Pacatus de Theodoſio: *Ille cohoneſtatus affatu, ille menſa beatus, ille oſculo conſecratus eſt.* Suetonius in Othone: *Manè Galbam ſalutauit: vtq; conſueuerat, oſculo exceptus, etiam ſacrificanti interfuit.* Et reprehendit idem ſcriptor Neronem, quod *neque adueniens neque proficiſcens, quemquam oſculo impertiret.* Et hæc illa oſcula, quæ vulgabant vulgò & ſpargebant in obuios omnes modicè ſaltem notos. Nec enim tam amoris iſta, quàm officij & vrbani cuiuſdam cultus. Philo Iudæus benè & huc appoſitè: φίλημα δὲ, inquit, διαφέρει τοῦ φιλεῖν. τὸ μὲν γὰρ ψυχῶν εὕρεσιν ἁρμοζομένων εὐνοίᾳ, τὸ δὲ ψιλὴν καὶ ἐπιπόλαιον δεξίωσιν χρείας τινὸς ἐς ταυτὸν συναγούσης ἔοικεν ἐμφαίνειν.

*Talia oſcula, officioſa.*

*Manus oſculabãtur alienas.*

*Etiã olim, & ante Auguſtũ.*

SECVNDÒ manus oſculabantur, ſed non tamen niſi potentiorum. Is mos etiam liberâ rep. etſi rarus. Plutarchus de Catone: ἐπεὶ δὲ τέλος εἶχεν ἡ στρατεία τῷ Κάτωνι, προεπέμφθη οὐκ εὐχαῖς, ὃ κοινόν ἐστιν, οὐδὲ ἐπαίνοις, ἀλλὰ δάκρυσι καὶ περιβολαῖς ἀπλήστοις, ὑποτιθέντων τὰ ἱμάτια τοῖς ποσὶν ᾗ βαδίζοι, καὶ καταφιλούντων τὰς χεῖρας, ἃ τῶν αὐτοκρατόρων ὀλίγοις μόλις ἐποίουν οἱ τότε Ῥωμαῖοι. id eſt: *Poſtquam finiit Catonis militia, non votis neque laudationibus, quod tralaticium eſt, eum dimisêre, ſed cum lacrimis multis & complexibus, veſtes pedibus eius ſubſternentes quà incederet, & manus eius deoſculantes. quæ paucis omnino Imperatorum eius æui Romani tribuebant.* Qui in militiâ quidem eum collocat: ſed cui originem tamen ego dem in campo.

*Vnde id ortum.*

Natus enim videtur à blanditiis candidatorum, prenſantium, rogantium, & alienas manus oſculantium. Seneca epiſtola CXIX. *Alius eorum manus oſculis conterit, quibus deſignatus contingendam manum negaturus eſt.* Valerius de Scipione Naſicâ: *Cùm ædilitatem curulem adoleſcens peteret, manúmque cuiuſdam ruſtico opere duratam, more candidatorum, tenacius apprehendiſſet: ioci gratiâ interrogauit eum, Num manibus ſolitus eſſet ambulare?* Sed ſiue tamen à ſago natus ſiue ab albenti togâ, increuit ſtatim & increbuit in totâ vrbe, imò orbe. idque in petitione, in gratiarum actione, gratulatione, atque omni officij aut demiſſionis notâ.

*Quâ parte oſculum manui impreſſum.*

Plinius: *Dextra oſculis auerſa appetitur, in fide porrigitur.* vbi & ſitum formamque nota manus oſculandæ. Tacitus I. Hiſtoriar. *Ruere cuncti in caſtra, laudare militum iudicium, exoſculari Othonis manum.* Idem XV. Annal. *Agere grates diis, genua ipſius aduolui, & dextram oſculis fatigare.* Suetonius Tiber. cap. LXXII. *Chariclem medicum, quòd manum ſibi oſculandi cauſſâ apprehendiſſet.* Appuleius: *Pontianus pedes noſtros aduolutus, flens, & manus noſtras oſculabundus.* Seneca: *Hos ego deprehendam alienorum ſeruorum oſculantes manum.*

Martialis:

*Baſia das aliis, aliis das Poſtume dextram.*
*Dicis, vtrum mauis elige. malo manum.*

*Viliores & ſerui propriè manus oſculabantur.*

qui iocus in hominem non puri capitis; & ex inopinato, poëta præfert manuum oſculum, illi honeſtiori oris. Atqui propriè iſtud ſeruorum erat. Arrianus me docet lib. II. Diſſertationum cap. XX. ἠξίωται δημαρχίας; πάντες οἱ ἀπαντῶντες συνήδονται. ἄλλος τοὺς ὀφθαλμοὺς καταφιλεῖ,

 ἄλλος

ἄλλος τὸν τράχηλον, οἱ δ᾽ ἄλλοι τὰς χεῖρας. *Tribunatum adeptus eſt? ecce obuij omnes gratulantur. alius oculos oſculatur, alius collum, ſerui manus.* Quin etiam Homerus iam olim Eumæum oſculantem facit Thelemachi heri ſui manus, Odyſſ. XVI.

Κύσσε δέ μιν κεφαλήν τε καὶ ἄμφω φάεα καλά,
Χεῖρας τ᾽ ἀμφοτέρας.

*Ad manũ accedere, quid in Vopiſco: Et Capitolino.*

Hoc poſterioris æui ſcriptores, ſuâ & peculiari phraſi, dixêrunt Ad manum accedere. Doceo id nouiter iuuentutem, ex Vopiſci Aureliano: *Poſthæc Valeriani dicta ſurrexit Aurelianus, atque ad manus acceßit, agens gratias militaribus verbis.* Ex Capitolini Maximino: *Fuit Maximinus ſub homine impuriſſimo tantùm honore præditus Tribunatus: ſed numquam ad manum eius acceßit; numquam illum ſalutauit.*

*Genua oſculabãtur & pedes.*

TERTIÒ deniq; genua oſculati, imò & pedes. De genibus, Ammianus libro XXVIII. *Ex his quidam cùm ſalutari pectoribus oppoſitis cœperunt, oſculanda capita in modum taurorum minacium obliquantes, adulatoribus offerunt genua ſuauianda vel manus.* De vtroque, Capitolinus in Maximino: *In ſalutationibus ſuperbiſſimus erat, & manum porrigebat, & genua ſibi oſculari patiebatur, nonnumquam etiam pedes.* Plinius in Traiano laudat, quod hæc non fecerit: *Non tu ciuium amplexus ad pedes tuos deprimis, nec oſculum manu reddis.* Atque hoc genus viliſſimi oſculi natum, niſi fallor, ſub Caio, imò ab Caio: qui vt Dio ait, ἐφίλει ὀλιγίστους· τοῖς δὲ πλείστοις καὶ τῶν συμβουλευτῶν ἢ τὴν χεῖρα ἢ τὸν πόδα προσκυνεῖν ὤρεγε. *pauciſſimos oſculatus eſt: pleriſq; autem etiam Senatorum vel manum vel pedem præbuit adorandum.* Dico adorandum, & ita Græcum verbum eſt. vt videatur ex eo elici non os quidem admotum pedibus, ſed dextram: eamq́ue deinceps ad os relatam, vt deſcripſi ſuprà. Quamquam & pedes etiam reipsâ oſculo affecti: & quidem ſub eo monſtro. Idem Græcus: Πομπώνιος Σεκοῦνδος τότε ὑπατεύων παρὰ τοῖς ποσὶν αὐτοῦ καθήμενος, ἐπικύπτων συνεχῶς αὐτοὺς ἐφίλει. id eſt: *Pomponius Secundus tunc Conſul, pedes Caligulæ adſidens, idemtidem ſe inclinans eos oſculabatur.* Et tenuêre ſuperbum & inhumanum hunc morem Principes aliquot ſecuti, ſed non è bonis. Exempla non accumulo, quę obuia. finem potius longo huic Capiti impono: longo, ſed iratâ Venere, fortaſſe parum venuſto. Quid ad me? Gratiæ tãtùm & Lepos & Iocus comites eius deæ propitij mihi ſint, numquam ipſa.

*Turpi & pluſquam ſeruili ritu. qui videatur à Caio.*

## CAPVT VII.

*Commentarios Cæſaris non vſquequaque tam puros & laudabiles, quàm videantur. Mos attollendi dextras. aliaque emendata & explicata.*

*Interpolatus variè Cæſar.*

FAS ſit dicere. in Commentariis Cæſaris ſæpe quæro Cæſarem. Multos in illam purpuram pannos inſutos video: nec in dictione ipsâ ſpirat vbique naribus meis aura illa, &, vt ſic dicam, ſtacta puræ antiquitatis. Lege, relege. multa otioſa reperies, disiuncta, intricata, interpolata, repetita: vt omnino non abſit, quin ad hanc veluti priſci operis ſtatuam nouella



nouella aliqua acceſſerit & imperita manus. Ego alia aliâs: nunc quædam notauero ex his inquinamentis.

Libro VII. De Bello Gallico, vbi prœlium ad Gergouiam:

*Ij ſimilitudine armorum vehementer noſtros perterruerunt. ac tametſi dextris humeris exſertis animaduertebantur, quod inſigne pacatis eſſe conſueuerat, tamē idipſum ſui fallendi cauſâ milites ab hoſtibus factū exiſtimabant.*

*Gloſſema inſigne, ſed occultum.*

Quæro diu hunc morem humeros dextros exſerendi in pace. Fruſtrà. qui reperiam? repugnat natura & res ipſa. Quomodo enim exſeri humeri poſſunt? attolli fateor leuiter aut ſubmitti: ſed vt id procul conſpici haud facilè poſſit. Turpe hîc gloſſema, quod eiicio ſcriboque: *dextris exertis animaduertebantur.* Ita enim olim mos, ita etiamnunc, vt ſublatio dextræ ſocij & amici aduentus ſit ſignum. Fidus & appoſitus mihi teſtis Xenophon Inſtitutionis Cyri libro IIII. vbi in re ſimillimâ cùm Hyrcanij aduenirent, incertum adhuc ſocij an hoſtes, mittit nuncium ad eos Cyrus, & ſi quidem amici eſſent, iubet tollere dextras. Verba hæc: ἐκ τούτου πέμπει πρὸς αὐτοὺς, προστάξας λέγειν, εἰ φίλοι εἰσὶν, ὡς τάχιστα ἀπαντᾶν τὰς δεξιὰς ἀνατείναντας. Nec pleræque gentes hodie aliter.

*Socij dextras tollere ſueti in aduentu ſubito aut ſuſpecto.*

Libro II. in prœlio cum Neruiis:

*Cæſar ab decimæ legionis cohortatione ad dextrum cornu profectus, vbi ſuos vrgeri videt.*

*Cæſar conſiſus legioni decimæ maximè.*

Falſa hæc narratio. Nam ſuprà iam dixerat, Cæſarem ab cohortatione legionis decimæ tranſiſſe in partem alteram: idque ante pugnam. Libri quidam *Cohorte* habent. ex quîs omnino lego, *Cæſar cum decimæ legionis cohorte.* Ita enim mos huic viro, vt plerumque in præliis cohortem vnam ex fortiſſimâ hac & fidiſſimâ legione ad tutelam ſuam adſumeret, aut etiam ipſam. Emendo in hac ipsâ re locum alium.

Libro VII.

*Cæſar receptui cani iuſſit. Legioniſque decimæ, qua cum erat concionatus, ſigna conſtitêre.*

Quæſo enim. ferri aut tangi à politis hominibus hæ ſermonis ſordes poſſunt? *Concionari cum legione.* pro eo quod Apud concionem. adde quod linguæ aut concionis ibi nulla res, ſed feruidæ pugnæ. Emendo igitur, *quâ tum erat comitatus.*

Libro IIII.

*Itaque vnâ parte à Sueuis circiter millia paſſuum ſexcenta agri vacare dicuntur.*

*Numerus vitiatus turpiter.*

Aegrè, mi Cæſar, credimus: niſi ſi vacauit longè maxima Germaniæ pars. Hoc verius, ſcripſiſſe te *millia paſſuum ſexagena.* quod largiter ſufficit, ſiue ad virtutem Sueuorum, ſiue ad aliorum timorem.

Libro VI.

*Germanos atque Ariouiſtum ſibi adiunxerant, eóſque ad ſe magnis iacturis pollicitationibúſque perduxerant.*

Cenſeam fuiſſe olim, *magnis capturis*: ſententiâ ſuadente.

## Capvt viii.

*In Plinio correcta quædam. Geneta Mana, dea. Decolorare aurum, quid ſit. & mos diſcrimenque in anulis. qui ſeruis & militibus è ferro: Senatui & equiti ex auro: plebi ex argento.*

*Studium Criticum ſterile ad famam. Pinciani laus.*

FATVM hoc eſſe cenſeo Criticorum, vt labor eorum fructus maioris in publicum ſit, quàm famæ. Vide veteres, vide noſtros. paucos reperies quorum nomen aut latè fuſum, aut diu perennarit. Vel in Ferdinando Pinciano hodie quàm indignor? Qui reuera vir eximius, vix tamen è vulgi tenebris ſe exemit; & paucis doctis in occulto laudatus, iacet etiamnunc ignoraturque inter ſuos. At ſi acuminis & iudicij aliqua laus eſt: huic eam rectè tribues. ſi fidei & modeſtiæ: magis. Non alium ego vidi, qui minus adfectatè hoc egerit; & qui Criticam iſtam magis puriter coluerit, ſine ambitione, ſine fuco. Plinius, Seneca, Mela teſtes: ſed primus ille imprimè, per cuius ſexcentas ſalebras & æſtuantia vada peruaſit felici quodam ingenij & iudicij vento. Quamquam abrupta quædam in eo etiamnunc, non nego. quid miremur? aut quis Æſculapius ipſe, ſanandis tot plagis vnus fuerit? —— εἷς δ' ἀνὴρ οὐ πάνθ' ὁρᾷ, ait rectè & comiter Euripedes. Ego quaſdam ex iis ſalebris vel complanabo, vel tranſilibo, & in partem laboris velut optio ſuccedam magno illi Tribuno. Lego in Plinio, libro XXIX. cap. IIII.

*Catulos lactentes adeò puros exiſtimabant ad cibum, vt etiam placandis numinibus hoſtiarum vice vterentur iis. Genito mane catulo res diuina fit, & in cænis deûm etiamnum ponitur catulina.*

*Geneta Mana, inter ignobiles deas.*

Emendabam, *Genitæ Manæ.* Ita enim deæ nomen, cui catulo fiebat. Plutarchus in Quæſtionibus: Διὰ τί τῇ καλουμένῃ Γενείτῃ Μάνῃ κύνα θύουσι, καὶ κατεύχονται μηδένα χρηστὸν ἀποβῆναι τῶν οἰκογενῶν; id eſt: *Cur deæ, quæ vocatur Gencita Mana, canem immolant, vouentq́, nequis domi natorum bonus & frugi euadat?* Et plura ibi vide. Hoc in Plutarcho tam expoſitum fugiſſe oculos Pinciani & Hermolai, non miramur: noſtros, ſæpe clariora.

Libro XXXIII. cap. XI. vbi de tabulis & vaſis:

*Pariterq́; luxuria nata eſt, & Carthago ſublata; ita congruentibus fatis vt liberet amplecti vitia & liceret peccare, & dignatione hinc alicui veterum. C. Marius poſt victoriam Cimbricam cantharis potaſſe Liberi patris exemplo traditur, ille arator Arpinas & manipularis Imperator.*

*De exquiſitis poculis locus correctus.*

Pincianus exclamat, *Locus vitiatus inter paucos.* & verè. medicinam tamen, vt mihi videtur, non adfert. Notat in veteri codice *petere* legi, non *peccare*. Ex vno eo veſtigio, locum totum aptè ſic concinnamus: *vt libêret amplecti vitia & liceret. Petiêre & dignationem hinc aliqui veterum.*

*Pliniana ſententia reſerata.*

Sententiâ apertâ & verâ. Carthagine commodum euersâ, inquit, vitia & luxuria irrupêre; bono quodam fato, ſublatâ videlicet iam illâ æmulâ & vltrice. nec antè libuit peccare Romanis, quàm impunè licuit. At quidam etiam è priſcis dignitatem ſibi aſtruere conati, electione iſtâ & curioſâ curâ vaſorum: inter quos Marius, qui cantharis potare inſtitit velut Bacchi non triumphorum tantùm æmulus, ſed & morum.

Libro



Libro eodem, cap. I. De anulis:

*Contrà verò multi nullas admittunt gemmas, auróque ipſo ſignant. id Claudij Cæſaris Principatu repertum. Nec non & ſeruitia iam ferrum auro cingunt, alia per ſeſe mero auro decorant, cuius licentiæ origo nomine ipſo in Samothrace id inſtitutum declarat.*

*Corruptio oſtenſa:*

Verba illa, *mero auro decorant*, accuſo, imò damno. Quid enim hîc noui, aut ad Samothracas relegandum, ſi anuli è mero auro? Nónne tales iam olim Senatorum & Equitum? Denique quis permiſit hoc ſeruitiis, vt palàm ex auro gererent anulos, & ſine vllo fuco? Nos leuiter reſcribimus, *alij per ſeſe mero auro, decolorant.* id eſt: cùm ſeruis aurei anuli in propatulo geſtandi non fas, non ius; ecce nouitio inuento alij aurum ferro ſuperinducunt; alij, aurum merum purumque decolorant & deformant in modum ferri. Id enim certè fuit. Aurum geſtabant, nec videbantur geſtare: cùm colore aliquo atro (hodie etiam vſitatum) aut fuſco id velarent ac celarent. Nam ſeruis certè anuli ferrei tantùm vſus. Statius in lacrimis Etruſci:

*Et à nobis ſublata.*

*Seruorum fraus, & occulta ſuperbia in anulis.*

*Serui in anulo ferreo tantùm, ex more.*

*Mutauítque genus, læuæq́; ignobile ferrum*
*Exuit, & celſo natorum æquauit honore.*

*Statius explicatus.*

Significat enim patrem Etruſci qui ſeruus, à Principe in equites relatum, donatumq́; aureo anulo, ſpreto ſeruili ferro: eumdem iure trium liberorum auctum. vel, æquatum honore iis qui nati ingenui. Iſidorus: *Anulum aureum neque ſeruus neque libertinus geſtabat in publico, ſed anulo aureo liberi vtebantur, libertini argenteo, ſerui ferreo.* Anulus autem his ſeruis ad vſum potius, quàm ad ornatum; nempe ad ſignãdum. Appuleius libro X. *Donec iuſſu magiſtratuum miniſteria publica contrectatis nequiſſimi ſerui manibus, anulum ferreum deprehenſum cum ſigno ſacculi conferunt.*

*Iſidori non vera prorſus diſtinctio.*

Sed Iſidori tamen illa verba, in diſcrimine, ni fallor, fallunt. Liberis enim aureum tribuunt, libertinis argenteum. falsò. Nam inter liberos ipſos, non niſi Equiti & Senatui anuli aurei liberum ius: non ſanè plebi. Plinius clarè: *Anuli diſtinxêre alterum ordinem à plebe, ſicut tunica ab anulis Senatum.*

*Senatui & Equiti anuli aurei;*

*Plebeiis ferrei.*

Vult enim ita anulis à plebe equitem diſcerni, vt idem à Senatu tunicâ laticlaui. Plebeiis igitur, vt opinor, ſaltem ex argento. Iuuat & ſuggerit idem Plinius hoc libro cap. XII. *Argentum aliquando ſuccedit & auro, luxu fæminarum plebis compedes ſibi ex eo facientium, quas induere aureas mos triſtior vetat.* Vbi vides aurũ remotum à muliebri plebeio ſexu: quidni cenſeam & à virili?

*Etiam [mi-]litibus.*

Nec Serui tamen ſoli in ferreo anulo: etiam milites omnes, qui non inſignes. Quod adeò verum, vt etiam equites Romani, cùm militarent, ius non habuerint aureorum. Ex Suetonij Galbâ, cap. X. *Dilegit equeſtris ordinis iuuenes, qui manente aureorum anulorum vſu, Euocati appellarentur, excubiáſque vice militum agerent.* Notat enim de retentione anulorum vt inſolens, & præter communem morem.

*Solis Tribunis exceptis.*

*Quando is mos caſtra introductus.*

Appianus etiam apertè militibus omnibus eos adimit, præter Tribunis. In Lybico: χρυσοφοροῦσι τῶν στρατευομένων οἱ χιλίαρχοι, τῶν ἐλαττόνων σιδηροφορούντων. id eſt: *Ex auro anulos ferunt inter milites Tribuni, reliquis inferioribus ferreos geſtantibus.* Atque hoc copioſè ſatis narrrat iam tunc in bello Punico tertio (hiſtoriam & occaſionem apud eum vide:)

vt ap-

vt appareat ſtatim à bello Punico ſecundo ſeueritatem hanc introductam. Nam tunc nondum: ſi vera ſunt quæ de trimodiis anulorum traduntur ab Annibale Carthaginem miſſis. Quam diſciplinam tamen reſoluit, vt in quibuſdam aliis, Princeps non ad ſuum nomen Seuerus. qui, vt Herodiani verba ſunt, τοῖς στρατιώταις πολλὰ συνεχώρησε, ἃ μὴ πρότερον εἶχον, καὶ δακτυλίοις χρυσοῖς χρήσασθαι ἐπέτρεψε: *militibus multa indulſit prius negata, & aureis anulis vti permiſit.*

*Quę ſuſtulit. Seuerus.*

## CAPVT IX.

*Seneca plus ſemel emendatus. Neronis principatus initio optimus. Epicuri ſententia deos extra mundum proiicientis.*

*Senecam malè adhuc à Criticis negligi.*

VOTVM meum non diſſimulo. & vt ex tot huius æui Criticis manum aliquis & limam ſeriò Annæo Senecæ admoueat, calidè iamdiu opto. Quis dignior? in quo res & verba magis ſeria, nec ad ſcientiam modò ſed ad ſalutem? Sed tamen hoc quoque opto, vt illeipſe Cenſor ſit ſerius, æuo & iudicio grauis: non ex iſtâ claſſe feruidæ iuuentutis, quæ nata corrumpere omnia & mutare. Poſſes id tu V. C. Nicolaë Faber. quem ſola modeſtia, vt ſcio, abſtinet ab hac palmâ. nam doctrina, iudicium, diligentia tibi ſuperant: & infinita vtiliter ac ſapienter in ſapientiſſimum ſcriptorem obſeruaſſe te didici verâ famâ. Poſſem & ego aliquid. ſed valetudo nunc tardat, & quod copiâ te vſum intellego librorum meliorum. Intereà dum tibi venit hic animus, (& voueo vt breui:) nos more noſtro carptim quædam in eo notabimus; & magis ea, quæ accepta ingenio ferimus, quàm libris.

De Clementia primo, cap. I. Neronem alloquitur:

*Sed ingens tibi onus impoſuiſti. nemo iam Diuum Auguſtum, nec Tiberij Cæſaris prima tempora loquitur. nemo qui te imitari velit, exemplar extra te quærit. Principatus tuus ad guſtum exigitur.*

verbis & ſententiâ corruptis. Quid enim illud in extremo, Exigi ad guſtum? quod libri quoque veteres ſpernunt, & ingerunt plerique *ad Auguſtum.* Malè illi ipſi. Adeò enim Seneca Principatum Neronis ad Auguſtæum nō exigit, vt præponat longè (nec vanè prorſus, vt hęc initia erant) negetque quemquam iam de Auguſto, aut Tiberij temporibus primis loqui. Sed à libris tamen iis adiuti commodè legimus, *Principatus tuus ad anni guſtum exigitur.* & paullò antè, *nemo quod te imitari velit.* veriſſimè. Hæc enim Senecæ mens & ſcriptio: Age Nero, inquit, perge in hac virtutis & gloriæ viâ quàm inſiſtis: arduâ tibi certè, quia optima & maxima omnes de te ſperant. Nemo iam Auguſtum tibi proponit, quem imitêre; nemo Tiberij laudata primordia: omnes te tibi. Principatus inquam tuus, ad guſtum & exemplar vnius anni illius exigitur, quem in imperio laudatiſſimè tranſegiſti. Hæc ſenſit, hæc ſcripſit: ad rem verè, & ad tempus. De re, conſtat tirocinium illud imperij tam probum fuiſſe; vt Traianus idemtidem iterare ſolitus, *Omnes bonos Principes procul abeſſe à primo quinquennio Neronis.* De tempore, ecce hic liber ſiue libri De Clementiâ, ſcripti ſub primum ſtatim Neroniani imperij annum. Haurio ex ipſis

*Correctus Seneca.*

*Explicata ſententia ea.*



ex ipſis: & lego lib. I. cap. IX. *Diuus Auguſtus cùm eſſet id ætatis quod tu nunc es, duodeuiceſimum egreſſus annum.* Nero igitur, ſi compari ætate cum Auguſto, tunc expleuerit decimumoctauum annum. atque imperium, decimoſeptimo ſuſcepit. benè igitur & verè quod ad tempus, emendaui, de anni guſtu.

De Vita beata, cap. XXV.

*Fac me victorem vniuerſarum gentium. delicatus ille Liberi currus triumphantem vſque ad Thebas à Solis ortu vehat. iura reges Perſarum petant. me hominem maximè cogitabo, cum diis vndique conſultabo.*

Turbat egregiam & magnanimam ſententiam extrema clauſula: quæ in quibuſdam manuſcriptis meis concepta, *cum deo vbique conſcia luctabor.* Aperio & diffundo ego, *cum deus vndique conſalutabor.* Adeò, inquit, me non attollent efferentque ſupra hominem ab hominibus honores, vt tum vel maximè mortalem me eſſe meminero cùm audiam immortalis.

*Alia vox Senecæ reſtituta.*

De Beneficiis lib. IIII. cap. XIX.

*Tu denique Epicure deum inermem facis. omnia illi tela, omnem detraxiſti potentiam: & ne cuiquam metuendus eſſet, proieciſti ipſum extra metum.*

In verbulo pauxillum mendum, grande in ſententiâ. Inuoluitur enim mens Epicuri, & ſimul reprehenſionis acumen. quod vtrumque apparebit ſi ſcribas, *extra metam.* Nempe ita ſenſit ſenex ille ab horto, (ex Lucretio & Laërtio id clarum) deum non tangi rebus humanis, non iis curare: atque vt id pronius ſuaſu eſſet, poſuit eum ſuo quodam & proprio loco, non ſupra ſolùm, ſed extra mundum. Seneca impiam hanc ſententiam iterum tangit libro VII. infrà: *Alius diis obiicit neglegentiam noſtri, alius iniquitatem, alius illos extra mundum ſuum proiicit.* Vbi eodem etiam Proiiciendi verbo vſus, quod parum aptè hîc de metu. At in metæ verbo adpoſita etiam metaphora, quaſi extra limitem omnem huius ſtadij & finem.

*Epicuro dij non in mundo.*

In Conſolatione ad Polybium, cap. XXXVI.

*C. Cæſar, amiſſa ſorore Druſilla, conſpectum conuerſationémque ciuium ſuorum profugit; exſequiiſque ſororis ſuæ non interfuit. iuſta ſorori non præſtitit, ſed in Albanum ſuum ſeceſſit, ac foro & aduocatis & huiuſmodi aliis occupationibus acerbiſſimi funeris leuabat mala. Proh pudor imperij! Principis Romani lugentis ſororem alea ſolatium fuit.*

Leui emendatione expedio viros doctos qui obhęrent. in *Albanum ſuum ſeceſſit, nec foro & aduocatis & h. a. o. a. f. leuabat mala, (proh pudor imperij!) Principis Romani* &c. Ita enim continuanda periodus tota, & negans particula ſubdenda ſaltem in locum aientis.

## CAPVT X.

*De ritu plaudendi & explaudendi in theatris. item adſurgendi, acclamandi. Quomodo iſta habita ſub Imperatoribus? quæ voces in acclamando? Plutarchus & Plinius explicati: iſte etiam correctus. Fauor & Fauere, nouâ ſignificatione. Lampridius, Capitolinus, Vopiſcus illuſtrati. Quid Oraria fuerint: & cui in theatris vſu.*

MOS mihi in lucem reuocandus & ambitio, quæ delituit ſub velis theatrorum: & ſimul ſcriptores aliquot priſci perfundendi nouâ luce. *Theatralis honos in viros conſpicuos.* Vetus conſuetudo Romæ, etiam viuâ libertate, vt viros primates & gratiâ aut dignitate conſpicuos, venientes in theatra, compoſito plauſu exciperent; iiſdem adſurgerent. vtrumque, honoris habendi cauſsâ, & promendi fauoris. *In alios dedecus & exſibilatio.* Contrà, eos qui infames aut ingrati, ſibilo & paſtoriciâ fiſtulâ (ludens ita Cicero appellat) velut reiicerent & ſegregarent. Hoc teſtimonium vniuerſi populi multùm valere cenſebant in vtramque partem. Itaque ambitioſè id quærebant, & adepti conſecutos ſe cenſebant aliquid magnum. Exempla vel in Cicerone vno crebra, nec occulta. Originem rei Plinius referre ad Liuij Druſi Tribunatum videtur, lib. XXV. cap. V. *Qui mos etiam ſub Impp. Sed ita, vt ſibi ſolis vellent hoc honoris: Aut intimis.* manſitque ad Imperatores: ſed ita vt hunc honorem, ſicut pleroſque alios, ſibi ferè ſeponerent, nec communicatum vellent cum reliquo Senatu. non certè vulgo. Nam quin etiam ſub Imperatoribus quibuſdam applauſum & adſurrectum, non nego: ſed ferè iis qui aut ex domo & gente Principali, aut interiori amicorum cohorte. *Mæcenati plauſum.* Ita Mæcenati plauſum Horatius iterat, vt magnum.

*—— datus in theatro*
*Cùm tibi plauſus, Clare Mæcenas eques.* &:
*—— tum populus frequens Lætum theatris ter crepuit ſonum.*

*Virgilio adſurrectum.* Ita Virgilio adſurrectum, Fabius ſeu quis alius in libello erudito De Cauſſis corruptæ eloquentiæ: *Populus*, inquit, *auditis in theatro verſibus Virgilij, ſurrexit vniuerſus; & forte præſentem ſpectantemque Virgilium ſic veneratus eſt quaſi Auguſtum.* Ex quibus poſtremis verbis etiam hauris, honorem illum, vt dixi, rarum fuiſſe & verè Auguſtum. *In nepotibus ſuis Auguſtus vetuit.* Adeò vt ille ipſe Princeps, *nepotibus ſuis prætextatis adhuc* (Tranquilli verba adfero) *adſurrectū ab vniuerſis in theatro & à ſtantibus plauſum, grauiſſimè ſit queſtus.* quaſi videlicet in ſuperbiam præcipitarentur & pretium ſui, nimio hoc honore. Seneca tamen non exoleuiſſe id prorſus etiam ſuo æuo in ambitioſis illis & gratioſis oſtendit, epiſt. XXIX. *Ceterum ſi te videro celebrem ſecundis vocibus vulgi, ſi intrante te clamor, plauſus, & Pantomimica ornamenta obſtrepuerint, ſi tota ciuitate te fœminæ puerique laudauerint: quidni ego tui miſerear, cùm ſciam quæ via ad iſtum fauorem ferat?*

*Adclamatio in ludis.* SED præter Plauſum hunc & Adſurrectionem, etiam Adclamatio fuit: & quidem antiquitus, in re ſubitâ, nouâ, triſti, lætâ. Florus expreſſit ſcitè lib. III. cap. III. De bello Cimbrico: *Eodem die*, inquit, *quo*

*geſta*



*geſta res eſt, viſi pro æde Caſtoris iuuenes laureati prætori litteras dare, frequenſque in ſpectaculo rumor, Victoriæ Cimbricæ Feliciter, dixit.* Quæ tamen *Accommodata ad Principis laudes.* poſteà tranſlata tota ad laudes ſiue adulationes Principum, in eoſque effuſè exercita; nec vocibus ſolùm ſingulis, ſed cōtextu quodam ad modulum & ad cantum. Cuius generis (operæ enim mihi formulas colligere & ſubiicere) illud in Suetonij Domitiano: *Acclamari in Amphitheatro, epulari die, libenter audiit, Domino & Dominæ Feliciter.* Item in Claudij cap. VII. *Præſedit nonnumquam ſpectaculis in Caij vicem, acclamante populo, Feliciter partim patruo Imperatoris, partim Germanici fratri.* *Quæ in eâ voces receptæ.* Illa in Vopiſci Tacito: *Acclamatum eſt à populo, Feliciſſimè. Tacite Auguſte di te ſeruent: & reliqua quæ dici ſolent ex more.* In Martiale De Titi ludis, iſta

*—— populorum vox tamen vna eſt:*
*Cùm verus patriæ diceris eſſe pater.*

In Dione, Neroniana laus: ὁ Καλὸς Καίσαρ, ὁ Ἀπόλλων, ὁ Αὔγουστος. Et: εἷς ἀπ' αἰῶνος Αὔγουστε, ἱερὰ φωνὴ, &c. Item ſolemne hoc, εἰς αἰῶνας, ſiue, In æuum: quod Tertullianus ſolus ſubiicit libello De Spectaculis: *Quale eſt*, inquit, *εἰς αἰῶνας alij omnino dicere, niſi deo Chriſto?* Item verſus ſæpe integri, ex eodem ſcriptore in Apologetico: *Cuius inſculpta præcordia non appararent noui ac noui Cæſaris ſcænam, etiam illâ horâ quâ acclamant*
*De noſtris annis tibi Iupiter augeat annos?*

Denique inter Adclamationes etiam illud referam, *Vita & Victoria*: ex Reginone. *Leo Papa*, inquit, *coronam capiti eius impoſuit, & à cuncto Romanorum populo ter acclamatum eſt:* CAROLO AVGVSTO MAGNO ET PACIFICO IMP. ROMANORVM VITA ET VICTORIA. *Et poſt laudes, more antiquorum Principum, adoratus eſt.* Quod non enotaſſem, niſi ipſe Regino factitatum id oſtenderet ex ritu priſco. De fauorabili hac adclamatione Plutarchi inſignis locus in Galbâ: *Plutarchus explicatus.* καί ποτε θέας οὔσης, καὶ τῶν χιλιάρχων καὶ λοχαγῶν τὸ Ῥωμαίοις σύνηθες εὐτυχίαν ἐπευχομένων τῷ Γάλβᾳ. quæ verterim: *Et ſpectaculo forte quodam, cùm Tribuni & Centuriones, ſolemne illud Romanis, Feliciter, Galbæ apprecati eſſent.* *Item Plinius.* Et de eâdem iſtâ Plinium in parte loqui ſentiam, in Panegyrico: *Cùm laudes Imperatorum ludis etiam & commiſſionibus* (ita verò emendamus, &, *Commiſſationibus*, ſpernimus, quod habent libri) *celebrarentur ſaltarenturque, atque in omne ludibrium effeminatis vocibus, modis, geſtibus frangerentur.* *Idémque emendatus.* quamquam includat & Principis laudes verſibus compoſitas, actitataſque à Pantomimis. Magiſque propriè & certè Procopium traham iſtuc, libro I. De Bello Goth. vbi pax à Iuſtiniano Principe regi Theodahato conceſſa in hanc legem: *Procopio facta lux.* *vt populus pro more, in plauſu & acclamationibus, Imperatoris inprimis nomen pronunciaret, Theodahati deinceps: idque ſiue in theatris, ſiue in triuiis, ſiue alibi locorum.* Quibus in verbis nota mihi Adclamationem hanc inprimis inter ſeria habitam, *Quanti fuerit hæc adclamatio.* & velut propria inſignia imperij: ideoque Iuſtinianum cautè cauiſſe, cùm Romam Theodahato relinqueret, ne tamē nomen eius in his Adclamationibus pronuntiaretur primum: ſed ſuum potius, velut legitimi Principis & veri. Atque hæc ſatis, opinor, ad firmandum hunc ritum ſiue illuſtrandum: adiungo & doceo amplius. Quoniam fauſta & fauentia.

 Accla-

*Fauere, idem quod Acclamare.*

Acclamationis huius verba, rem ipſam, tanquam ſuo & peculiari verbo, dixerunt Fauere, & Fauorem. Obſeruaui pluries (parum adhuc obſeruatum) in ſcriptoribus præſertim æui paulò magis noui. Vt in Lampridij Commodo: *Cùm illi ſæpe pugnâti, vt deo populus fauiſſet.* id eſt, dcum eum acclamaſſet. In Capitolini Pertinace: *Fuit in curia honorificentiſſimus: ita vt Senatum fauentem adoraret.* valet, Senatum fauſta acclamantem. In eiuſdem Gallienis: *Hac pompâ homo ineptus eludere ſe putauit populum: ſed vt ſunt Romanorum facetiæ, alius Poſthumo fauebat, alius Regilliano, alius Saturnino.* caue de occulto animi fauore acceperis nimiſquàm frigidè, ſed de aperto iſto linguæ. Etiam Fauorem, vt poſui, appellitarunt. Ecce Vopiſci in Aureliano denſâ caligine, abſque notæ huius face, preſſum locum: *Sciendum tamen congiaria illum ter dediſſe, donaſſe etiam populo Romano tunicas albas manicatas, lineas Afras atque Aegyptias, ipſumq́; primum donaſſe oraria populo Romano, quibus vteretur ad fauorem.* Quæ enim hæc Oraria? quis Fauor? Fauor quidem, acclamatio iſta ſolemnis: at Oraria, quidpiam quod ori adiungerent ſiue inducerent, ad augendam aut dirigendam vocem, vt hiſtrioniam perſonam. Tegmen inquam aliquod aut velamentum reſonans, ad magis concinnandas modulatas iſtas voces. Verè enim modulis ſuis & concentibus conſtabant, certâ quadam arte, vt docui ſatis ad Taciti Annalem XVI: verba ea illuſtrans, *Plebs perſonabat certis modis, plauſuq́; compoſito.* Lego in Gloſſis veteribus, *Oraria, quibus os obuelabatur.* & vocem ipſam in Trebellij Pollionis Claudio reperias: *Bardocucullum vnum, oraria Sarabadena quatuor.* Quin in ipſo Lucilio: cuius verſus apud neſcio quem Grammaticum,

*Lampridij nouus intellectus. Et Capitolini.*

*Item Vopiſci.*

*Oraria ad fauorem, quid?*

*Modulatæ illæ acclamationes fuêre.*

*Ricini aurati, ricæ, atque oraria, mitræ.*

*Oraria paulò alio ſenſu.*

qui collocat inter tegmina, vt vides, ſiue veſtes. Etiam in Chriſtianis ſcriptoribus, ſed pro velamento Epiſcopali: vt in vitâ Fulgentij doctâ & vetere. *Vnâ tantùm viliſſimâ tunicâ, ſiue per æſtatem ſiue per hiemem patienter indutus, Orario quidem, ſicut omnes Epiſcopi, numquam vtebatur.* Ex quâ eâdem, ſine culpâ non omiſerim locum, teſtem firmum meæ notæ in voce Fauoris. Ait cap. XIII. recenſens quæ Fulgentio Romæ euenêre: *Contigit vt beatus Fulgentius in loco, qui Palma aurea dicitur, memorato Theodorico rege concionem faciente, Romanæ curiæ nobilitatem, decus ordinemq́; diſtinctis decoratū gradibus adſpectaret: & fauores liberi populi caſtis auribus audiens, qualis eſſet huius ſæculi glorioſa pompa cognoſceret.* Et cap. XVI. iterum: *Nimis autem gratiſſimus viri ſapientis adſpectus & fauores populi ſuffragantis augebat* &c. De celebri enim productione Fulgentij agit, & clamoribus populi nimium læti. Hæc eò libentius notabam & eligebam: quia veſtigium firmū interpretis nōdum videram per hunc obſcuriorem callem.

*Vita beati Fulgentij vetus illuſtrata.*

## CAPVT XI.

*E Valerio Maximo deterſæ labeculæ. Liuio ſuus numerus bis reſtitutus. Corruptio frequens in notâ millenariâ. Admouere lineas. Gloſſematium, aliaque.*

*St. Pighij proba & religioſa cenſura.*

VALERIVM Maximum St. Pighius nobis dedit peritè & religioſè cenſum: & illo modeſtiæ exemplo, quod imitari velim eos, qui hoc Criticum



Criticum ſtadium currunt. Et validè valet ſanè per eum Valerius. quis neget? nec nos vt medici nunc accedimus: ſed tantùm locis aliquot habitudinem quamdam, & colorem addituri, vt aliptæ.

Velut libro VII. cap. VI.

*Senatus auctore Tib. Graccho conſule des. cenſuit, vti publicè ſerui aduerſus propulſandorum hoſtium impetum emerentur. eaque de re per Tribunos plebis ad populum latâ rogatione, tres creati ſunt viri, qui quatuor & viginti millia ſeruorum comparauerunt.*

*Corruptus in Valerio numerus.*

Exorbitat numerus. Nam Liuius, & qui alij hæc Punica bella tradiderunt, auctores tantùm de octo millibus ſunt. Et mihi certum, fraudem factam in millenariâ notâ: quam corruperunt non ſemel. Plerumque enim illud ∞. (quod x. circumſcriptum Priſciano eſt) interpretati ſunt per Decē aut Viginti. Id hîc factum, & aptandus numerus ad Liuianum. Factum in ipſo Liuio libro XXIII. *Itaque ingenti conſenſu fit Senatuſconſultum, vt Annibali* XL. *Numidarum millia mitterentur in ſupplementum.* Itáne quadraginta millia equitum tantùm in ſupplementum? Atqui non omnes Annibalis copiæ ad hanc ſummam. Benè liber vetus (cuius excerpta ad me miſit Ampliſſimus Aug. Busbequius: ∞ ∞ ∞ ∞. id eſt, quatuor millia præfert. Peccatum eodem iterum libro: *Is adoleſcentia ferox, prælio temerè inito, fuſus fugatúſque. ad triginta millia Sardorum eo prælio cæſa, mille trecenti fermè viui capti.* Atque hîc idem codex, ∞ ∞ ∞. id eſt, tria millia verè ſcribit: ſtatimque, *trecenti capti*, omiſſis *mille*. Adde eiuſdem erroris exempla, ſi lubet, quæ in Saturnalibus mihi notata. At hiſdem Valerij primis verbis mendum etiam odoramur, *aduerſus propulſandorum hoſtium impetum.* quæ reſcribam, *& publicè ſerui, propulſandorum hoſtium, emerentur*, inductis quæ ab imperitâ manu: aut ſi id confidentius eſt, *ad propulſandum hoſtium impetum.* Vulgata quidem ſcriptio non ſana.

*Item in Liuio, ab eâdem imperitiâ.*

*Valerius iterum correctus.*

Libro I. cap. VII.

*Propioribus tamen, vt ita dicam, lineis Aterij Ruſi equitis Ro. ſomnium certo euentu admonitum eſt.*

Intricata locutio, Admoneri lineis: nec ſatis ſciam à quâ imagine aut exemplo. Legam, *admotum eſt.* & metaphoram ductam putem à lineis Circenſibus, quas in Spectaculis noſtris, deo volente, explicabo. Nunc correctioni non vulgariæ firmandæ ſatis ſit hic Senecæ locus, epiſtolâ L. *Nunc incredibilis curſus apparet. ſiue quia admoueri lineas ſentio, ſiue quia attendere cœpi & computare damnum meum.*

*Egregia nec trita metaphora, Admouere lineas: pro Vrgere, accedere. Senecæ obiter aliqua lux.*

Libro III. cap. III. De C. Mario:

*Ciuis alioqui magnificus, ſed nouitatis ſuæ conſcientia, vetuſtati non ſanè propitius. memórque ſi militaris ignauia humilitatem ſpernere perſeueraret, ſe à maligno virtutum interprete velut capite cenſum Imperatorem compellari poſſe.*

Militaris ignauia hîc quî conuenit? Scribe me auctore, *militaria ſigna:* &, *perſeuerarent.*

*Coniectura in Valerio.*

In Prologo operis:

*Nam ſi priſci oratores ab Ioue opt. max. benè orſi ſunt, ſi excellentiſſimi vates*

*vates à numine aliquo principia traxerunt: mea paruitas eò iuſtius ad fauorem tuum decurrerit.*

*Gloſſema in eodem, à barbarie patrum.* Cellam olet hic ſermo, imò ſellam. Nos ſcimus Valerium ſcripſiſſe, *traxerunt; ego iuſtius ad fauorem tuum decurrero.* Inconſpecti tamen fraterculi! cur huic paruitati non alterum emblema inſeruerunt, *fauorem tuæ maieſtatis?* Ita enim vndique conſtabat hic Atticiſmus.

Libro III. cap. v. De Socrate:

*Nam cùm eruditiſſimorum virorum ingenia in diſputatione cæcâ vagarentur, menſurámque Solis & Lunæ & ceterorum ſiderum loquacibus magis quàm certis argumentis explicare conarentur: primus ab his indoctis erroribus abductum animum intima conditionis humanæ ſcrutari coëgit.*

*De ſideribus, inſcitè & incertæ ſcientiis.* Omnino legend. *ab his doctis erroribus.* Et reuera ita eſt. quid firmi etiamnunc in ſubtilibus illis alucinationibus aut certi? Et tamen ſuperbiunt, & clamant in ſcientiis ſcientiam hanc vnam. cuius limen libandi ego auctor, numquam penetrandi.

Lib. VII. cap. VIII. De inſano quodam Tuditano:

*Teſtamento is filium inſtituit heredem. quod Ti. Longus ſanguine proximus haſtæ iudicio ſubuertere fruſtrà conatus eſt.*

*Turpe è Valerio mendum purgatum.* Obſecro, à quantumuis inſano ſi filius inſtitutus heres, quid non pro ſano? aut quis ſanguine propior, quàm ſuus cuique filius? Hærebunt Iuriſconſulti, niſi correctione mecum ſe expediant: *Teſtamento is Ofilium inſtituit.* vt externum aliquem capiamus, eo nomine.

Libro primo cap. I.

*Decem Principum filij Senatuſconſulto ſingulis Etruriæ populis, percipiendæ ſacrorum diſciplinæ [gratia] traderentur.*

*In numero etiam error.* Etruriæ populos XII. fuiſſe didici. quomodo decem ergo diſcipuli ſingulis attribui potuêre? Reſcribam, *duodecim Principum filij.* etſi in Cicerone, ſenos tantùm legas I. De Diuinat. fortaſſe cum errore. At illud, *gratia,* ingratum auribus gloſſema eſt.

## CAPVT XII.

*De prodigio quodam Liuij, quæ eius mens ſit. ſatin' firma vulgata ſcriptio? non videri: & noſtra diuinatio adſcripta. Sortes ſacras inuolui lanâ & tæniis ſolere. Plutarchus ita explicatus.*

QVID in Liuij ternis locis Extenuatæ ſortes ſint, mente & oculis iamdiu veſtigo. adeò intentè quidem, vt vix magis amiſſam filiam ſuam mammoſa olim mater. *Criticorũ nimia noſtra curioſitas.* Eſt enim & hoc quoque curioſi & Critici ingenij noſtri proprium (cur diffitear meum morbum?) apertis, vt ita loquar, per libros carceribus velle decurrere; nec repagulum vſquam ferre aut obſtaclum. Vtinam tantùm faces mihi quoque ad quærendum præluceant: ſed quas accenderim non in Vulcani Aetnâ, magis in Apollinis Parnaſſo. *Quæſtio de Liuij Extenuatis ſortibus.* Loci, quos dico, duo, libro XXI. leguntur, vbi de prodigiis ſub Annibalis aduentum:

*In Piceno lapidibus pluiſſe, & Cære ſortes extenuatas.*

Iterum-



que:

*Lectiſternium Cære, vbi ſortes extenuatæ erant, imperatum.*

Tertius autem lib. XXII. ab ipſo initio ſtatim:

*Faleriis cælum findi viſum, velut magno hiatu, quáque patuerit ingens lumen effulſiſſe. Sortes ſuâ ſponte attenuatas, vnámque excidiſſe ita ſcriptam,* MAVORS TELVM SVVM CONCVTIT.

Quæ autem vis (attende modò, Lector) aut quæ mens hîc verbo Extenuandi? præſertim in ſortium iſtâ re, quas maiores aut minores in prodigiis factas nuſquam legi. *Spreta vulgata lectio.* nec ſi legam, capiam ſatis. Cui enim ſignificationi id aut notæ? Vide omnino ne remotius, vt ſolet in his talibus, vetuſtiuſque verbum fuerit, quod per imperitiam exſcribentium mutarit. *Noua ſuppoſita, haud ſcio an rectè.* Ego non improbè id ſuſpicor, & auſim vbique reſcribere, *Extæniatas ſortes.* quod interpretor, tæniis vittiſq; ſolutas & liberatas. Nam rem ita habuiſſe puto. *Sortium vſus.* Sortes, taleolæ aut ſurculi è ligno fuêre non grandes: quibus litteræ ad diuinandum inſculptæ, ſiue notæ. Eæ priuatim habitæ, eæ publicè. *Earúmque publicè religio.* Sed quæ in publico, inprimis religioſæ cenſebátur & canâ quadam veritate ſacræ. Itaque ſanctè & religioſè in templis ipſis habebantur, in arcâ reconditę: &, niſi fallor, tæniis vittiſque laneis ſeorſum inuolutæ. *In arcis habita cum vittis.* De arcâ, ſuggerit Suetonius in Tiberio cap. LXIII. *Vicina verò vrbi oracula etiam diſiicere conatus eſt: ſed maieſtate Præneſtinarum ſortium territus deſtitit. cùm obſignatas deuectaſq; Romam non reperiſſet in arcâ, niſi relatâ rurſus ad templum.* Et Cicero in Diuinatione: qui arcam eamipſam ex oleâ fuiſſe pluribus verbis narrat. At de vittis, quidni ſuſpicer, cùm hunc cultum & velamen adpoſitum ſciam omnibus ſacris? Quibus tamẽ puris manibus euolui ſolent, cùm promerentur ad conſulentium vſum. *Cur Extæniatæ ſortes prodigium fecerint.* Hoc nunc igitur Liuius narrat iure vt prodigium: ſortes eas ſponte euolutas, & (vno proprioque verbo) extæniatas eſſe: tamquam ſi Fortunæ ipſius manu ſparſæ & iactæ, ad grande aliquid prædicendum. Plutarchus non modicè me iuuat, qui in Marcello hoc alterum Faleriis prodigium è Liuio ipſo ita vertit: τοῦ δὲ ὑπὲρ Φαλερίους οὐρανοῦ ῥαγῆναι δόξαντος, ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι πολλὰ γραμματεῖα, καὶ τούτων ἑνὶ γεγραμμένον φανῆναι κατὰ λέξιν, Ἄρης τὰ ἑαυτοῦ ὅπλα σαλεύει. En, excidiſſe ait ſortes & variè diſperſas. *Plutarchus huc tractus.* non è cælo ipſo, quod quiſpiam cenſuerit (pugnet enim id palam cum Liuij mente) ſed ex inuolucro & arcâ. Extæniatas igitur ille clarè vertit, ἐκπίπτειν καὶ διασπείρεσθαι. Hactenus mihi meus Apollo ſubiicit. tibi ſiquid melius in mente aut certius: age age, νικήσειεν ὁ παρά σοι τρίπους, ἐγὼ δὲ ψευδόμαντις ἀποφανθείην.

## CAPVT XIII.

*Nouiter erutus vetus mos in creatione Tribunorum. Eos ſub Principibus & paulloantè, tantùm è Senatu fuiſſe. Suetonij loci illuſtrati, & lectio in iis firmata. Plinio & Appiano lumen immiſſum.*

EGO verò libens è ſitu & obliuionis carcere eruam inſignem & notabilem ritum: qui nimis diu iuuentutem noſtram latuit, in Tribunis

nis creandis. Iuuentutem autem? imò & verè viros, verè doctos: quibus nebulæ hîc & caligo. Tribuni creati olim non ſolùm pro plebe, ſed etiam è plebe: ita vt patriciis aut patribus aditus ad eum honorem rarus eſſet, aut nullus. Diu ita manſit. donec viſum adeò id immutare, vt cautum ſeuerè fuerit, nequis Tribunus fieret, niſi Senator: id eſt, ne ius quidem haberet petendi Tribunatus, niſi iamante è patribus. Suetonius hoc adfirmat clarè vſitatum etiam in liberâ rep. & extremo æuo Ciceronis. Nam in Aug. cap. x. ita ſcribit: *Et quò conſtantius cetera exſequeretur, in locum Tribuni pl. demortui candidatum ſe oſtendit: quamquam patricius, necdum Senator.* Vbi diſertè & extra cauillum, impedimenta duo Cęſari ad Tribunatum ponit, quòd gente patricius, & quòd honore nondum Senator. Nã maximo Langio noſtro quî adſentiar, voces eas duas præfidenter hîc tollenti? Nollem te hoc conatum, vir alia modeſtiſſime. nam iterat hoc ecce idem Suetonius in eodem Aug. cap. XL. *Comitiis Tribuniciis, ſi deeſſent candidati Senatores, ex equitibus Romanis creauit.* quod qui ad Tribunos transferunt militares: quàm errant? Refutat eos palàm Dio libro XLV. qui hanc ipſam rem denarrans, τοῖς ἱππεῦσι, inquit, τὴν δημαρχίαν ἀιτῆσαι ἐπέτρεψε. id eſt: *Equitibus Romanis tribunatum plebis petere conceſſit.* Ex quo ampliùs diſcis, nec equitibus quidem tunc fuiſſe petendi ius, adeò non imæ plebi. Plinium ego apto iſtuc lib. II. Epiſt. IX. *Ego*, inquit, *Sexto latum clauum à Cæſare, ego Quæſturam impetraui. meo ſuffragio peruênit ad ius Tribunatus petendi.* Ius enim petendi Tribunatus, non hîc aliud quàm dignitas Senatoria & latus clauus. Hoc vtiliter inſtitutum, & ad arcendos à turbido magiſtratu turbidos adoleſcentes: ſed quando, hæremus. Appianus adſcribere Sullæ videtur, qui multa in hoc magiſtratu, ad vim eius & ferociam contundendam, innouauit. Nam ait Ciuilium primo: τὴν δὲ τῶν δημάρχων ἀρχὴν ἴσα καὶ ἀνεῖλεν ἀσθενεστάτην ἀποφήνας, καὶ νόμῳ κωλύσας μηδεμίαν ἄλλην τὸν δήμαρχον ἀρχὴν ἔτι ἄρχειν. καὶ οὐκ ἔχω σαφῶς εἰπεῖν, εἰ Σύλλας αὐτὴν, καθὰ νῦν ἐστιν, εἰς τὴν βουλὴν ἀπὸ τοῦ δήμου μετήνεγκεν. id eſt: *Tribuniciam poteſtatem tantum non ſuſtulit, eneruatam eam prorſus relinquens, lege lata, nequis qui Tribunus fuiſſet alium vllum caperet magiſtratum. nec liquidò poſſim dicere, an Sulla hunc magiſtratum, vti nunc eſt, à plebe tranſtulerit ad Senatum.* Quem locum valdè mihi nota, vnicum Suetonio & huic ritui lumen. Et Appiano ſanè adſentiar ego: quamquam Atteius Capito apud Agellium Atinio plebiſcito adſignet: ſi tamen transferre verba ea fas ad meam hanc mentem. Ait: *Tribuniſ plebis Senatus habendi ius erat, quamquam Senatores non eſſent ante Atinium plebiſcitum.* Dicere enim videtur, plebiſcito eo cautum, vt nemo Tribunus niſi Senator eſſet. Etſi aliorſum, nec incommodè, trahi verba ea poſſe, nihil nego. Illud quidem miror, non Ciceronem, non hiſtoricos, rem tam nouam, tam memorandam poſteris prodidiſſe: niſi fortè, quia tunc notiſſima, & in oculis omnium, auribuſque.

*Tribuni plebis olim tantùm è plebe lecti. Poſtea tantùm è patribus.*

*Tranquilli notabilis locus.*

*Quem malè capiunt aut mutant.*

*Alter eiuſdem ſententia.*

*Nec equites quidem admiſſi ad Tribunatum.*

*Plinij locus in hancce rem.*

*Quando hæc innouatio facta?*

*Appiani heſitatio.*

*Capitonis ambigua verba, quia pauca.*

CAPVT



## CAPVT XIIII.

*In Statio Papinio locorum aliquot correctio. Atticus ſector. Arcta Purpura. Mens adflata. Crines in ſepulcro.*

PER æſtiuos hos dies itio mihi crebra ad ſuburbanum meum hortum fuit. Quia parum illic vmbræ; à Statio quæſiui, & requieui in eius Siluis. In quibus retorridos aliquot aut malè flexos verſuum ramos incidi etiam obiter, & velut ſublucaui. Vt libro I. in Equo Domitiani:

*—— Apellæa cuperent te ſcribere ceræ,*
*Optaſſetq́; nouo ſimilem te ponere templo*
*Atticus Elæi ſenior Iouis.*

Qui ſermo quæſitæ adulationis ad Domitianum ipſum eſt: cuius eam dignitatem vult eſſe formæ, vt exprimere eum geſtiat omnis pictor, omnis ſculptor. atque etiam illi ipſi priſci. Sed quis hîc ſenior Atticus Elæi Iouis? non ſincera ea verba, imò nec Latina: quæ depurgo: *Atticus Elæi ſector Iouis.* Phidiam illum Athenis nobilē intellegit, qui Iouem Olympium ex ebore fecit. At ebur politur fingiturq́; ſecando: ideò Sectorem rectè dixit. Eodem carmine, ſuprà:

*Phidias, Atticus ſector Statio dictus.*

*—— quod ſi te noſtra tuliſſent*
*Sæcula, tentaſſes me non audente profundos*
*Ire lacus. ſed Roma tuas tenuiſſet habenas.*

Curtij verba ſunt lacu ſuo emergentis, ad illum ipſum Domitianum. qui vt ſeſe timoris arguat, non conuenit. Scribito, *me non gaudente.* Tu, inquit, ſi priſco illo meo æuo vixiſſes, cùm terra dehiauit, primus fuiſſes qui caritate patrię ſuccenſus, dediſſes te in hiatum: me quidem non gaudente, cui gloria ea præerepta. In Tiburtino Manlij:

*Curtius in hiatum abijt.*

*Litus vtrumque domi. nec te mitiſſimus amnis*
*Diuidit, alternas ſeruant Prætoria ripas.*

Legimus, *Litus vtrimque, domus. nec ſe mitiſſimus amnis Diuidit.* Loco litoris, ait, vtrimque domus ſpectantur: nec tamen amnis ipſe ſe diuidit, ſed ripam duplicem exornant Prætoria bina.

In Soteriis pro Gallico:

*Siqua ſalutifero gemini Chironis in antro*
*Herba tholo quocumque tibi Troiana recondit*
*Pergamus.*

Probabam magis: —— *gemini Chironis in antro*
*Herba, & holus quodcumque.*

Libro IIII. in Lyrico ad Septimium:

*Hic paruus inter pignora Curiæ*
*Contentus alto lumine purpuræ*
*Creſcis, ſed immenſos labores*
*Indole patriciâ ſecutus.*

Quod ſit altum hîc lumen purpuræ velim nimis à Scholiaſtis me doceri. Silebunt, ſcio: at ego illos, legendum eſſe, *arcto lumine.* Morem enim & veſtitum priſcum tangit Statius: Et tu quidem, inquit, tenui origine

*Arcta purpura, ſiue anguſta.*

Pp in Afri-

in Africanâ Lepti natus Romam veniſti puer: & educatus inter laticlauios Senatorioſque es, contentus ipſe anguſto & arcto clauo. Diſcrimen enim hoc in clauis, quod vtrumque ordinem ſecreuit, iamdiu aliis notatum. Libro v. Epicedio in patrem:

*Exere ſemirutos ſubito de puluere vultus*
*Parthenope, crinémque afflato monte ſepulti*
*Pone ſuper tumulum.*

Quis hic adflatus mons? an Veſeui iugum? torqueri ſanè huc poſſet: ſed magis verius eſt ſcripſiſſe Statium, *afflatâ mente*. Quod attonito dolori bene conuenit, ſicut & crinium illa poſitio in ſepulchro. de quo lugubri ritu Ouidius item in Faſtis:

*Mixta bibunt molles lacrimis vnguenta fauillæ,*
*Vertice libatas accipiuntq́; comas.*

## Capvt XV.

*De ergaſtulis diffuſa & libera conlectanea. Origo vocis, & rei. Iſidori confuſio, ſiue error. Quando cœperint, & quâ fine? Agriculturæ cauſſâ ea maximè inſtituta, ſed & lapidum, & piſtrini, (Plautus in iis correctus & interpretatus) fortaſſe & aquæ hauriendæ. Suetonij lectio ſtabilita, & explicata. Quis & qualis ergaſtulorum locus. Plauto iterum lux. Quod genus hominum in ea coniectum. Forma modúſque, quo miſeri illic habiti. nempe Vincti, Inſcripti, (Seneca correctus) Semiraſi, Semi-ieiuni. Poſtremò copia ergaſtulorum. paſſimque ſcriptores Græci & Latini explicati: Florus etiam correctus, & Appuleius fortè cum Plauto.*

*Varia ſeruorũ genera & munia olim. Triſtiſſimũ Ergaſtulorum.*

Servorvm apud veteres varia conditio, multus vſus: ſed illa miſerrima, quæ Ergaſtulorum carcere incluſa. In quo quid pœnarum, quid ſæuitiæ fuerit, planè pleneque hoc Capite ediſſeram: cum gratiâ Lectoris, vt ſpero, & cum fructu. quia & delectant hæc talia, & mirè illuſtrant certè ſcriptores priſcos.

*Vnde vox facta?*

Ergastvli vox Græcâ origine eſt, etſi non flexu. Rectius enim ἀπὸ τοῦ ἐργάζομαι Ergaſterium fuiſſet. quâ voce Iuriſconſulti quidem vſi, ſed alio ſenſu: vti notat dignitate & doctrinâ eximius Barnabas Briſſonius, Galliæ imò Europæ magnum lumen. Sed Romani veteres ſic formarunt: & Gloſſæ Philoxeni ſimul rem aperiunt, & etymon tangunt aptè: *Ergaſtulum*, τόπος ἐν ᾧ οἱ δεσμῶται ἐργάζονται. *Locus in quo vincti operantur.* Vberius idem, ſed non verius, Iſidorus; *Ergaſtula*, inquit, *vbi deputantur noxij ad aliquod opus faciendum, vt ſolent gladiatores & exſules qui marmora ſecant, & tamen vinculorum cuſtodiis alligati ſunt.* Nam de noxiis primum, haud vſquequaque verum: quia empti ſerui innoxij ſæpe, ſolùm ad hoc munus. De gladiatoribus, planè falſum: qui in ludis ſuis benè & commodè habiti, in ergaſtulis numquam. Sed nec de exſulibus adſentior:

*Quid fuerit, confuſè & breuiter. Iſidori in definiendo peccata.*



adſentior: & de marmoribus ſecandis, pars minima fuit ergaſtularij laboris. Præcipuus enim finis Agricultio, vt mox dicam, apud Romanos quidem. De vinculorum cuſtodiis quæ dicit, vera. non ſic tamen, vt duo, tres, ſerui vincti Ergaſtulum confecerint: ſed certo numero, quem acceptum referes ſoli Appuleio. *Quindecim*, inquit, *liberi homines, populus eſt: totidem ſerui, familia: totidem vincti, ergaſtulum.* Quod tamen de pleno legitimoque ergaſtulo dictum capio: quia aliâs ſcio pœnalem illum carcerem ſtetiſſe numero minore.

*Quis numerus requiſitus ad legitimum Ergaſtulũ.*

Habes lineamenta ruditer: colores addam, & Originem, Cauſſam, Finem, Locum, Homines, Modum ediſſeram diſtinctè. De origine, vetera ea eſſe video, & apud alias etiam gentes vſurpata. Certè Aegyptij habuerunt, & cùm ad alia opera, tum ad metalla dãnarunt: quod libro I. atque alibi notat Diodorus. Imò & Medi habuêre, ex I. item Iuſtini. At Romani, ſi Liuio fides, iam à regibus exactis. Libro enim ſecundo quiſpiam è Nexis apud eum queritur: *Ductum ſe ab creditore non in ſeruitium, ſed in ergaſtulum & carnificinam eſſe.* Quod tamen aptius veriuſq; ex perſonâ & temporibus Liuij ſcribi cenſeam, quàm illius nexi. Vera enim & propria Ergaſtulorum pœna tunc ignota, vti & nomen ipſum. Hoc ſanè conceſſerim, iam tunc ſæuitum in ſeruos, & velut relegatione quadam miſſos in piſtrinum, in lapicidinam, in agrum: ſed nec perpetuùm, nec eâ formâ quæ poſteà increuit. Itaque apud Plautum comminationes herorum ſæpe tales: ipſa Ergaſtuli vox tamen irreperta. Quæ propriè nata & ad huius Capitis mei ſenſum, vt cenſeo, vix ante Gracchorum æuum.

*Quando cœperunt? Liuij ambigua & parũ cauta forſitan dictio. Serui quidem in agros antiquitus miſſi, nõ ad propriè Ergaſtula.*

Nata autem ab hac cauſsâ. Romani deuictâ Italiâ, ceperant iure belli haud parum ſuburbani & longinqui agri. Eum vniuerſum partim ſub haſta vendidêre; partim tenuioribus ciuibus vtendum fruendum locauêre, exiguo aliquo tributo impoſito ſiue penſione. Hoc velut præmium iis militiæ & ſanguinis. placuitque res omnibus præter diuites, qui paulatim egenos pellere, & ad ſe trahere cœperunt finitimos quiſque agros. Donec Stolonis lex paulliſper eos coërcuit, definito quingentûm iugerum modo. ſupra quem haud fas poſſidere. Sed coërcuit certè paulliſper; rupit enim mox hoc frænum cupiditas, & ſuppreſſa auaritia non oppreſſa caput extulit altius, agroſque omnes pretio, fraude, vi, à pluribus traxit ad paucos. Hinc illa diuitum latifundia: hinc pauperum ab agris exſilia: hinc inductio Ergaſtulorũ. Vnde enim pauci illi, tot agris colendis? Plutarchus egregiè in Gracchis: ὕστερον δὲ τῶν γειτνιώντων πλουσίων ὑποβλήτοις προσώποις μεταφερόντων τὰς μισθώσεις εἰς ἑαυτοὺς, τέλος δὲ φανερῶς ἤδη δι' ἑαυτῶν τὰ πλεῖστα κατεχόντων, ἐξωσθέντες οἱ πένητες, οὔτε ταῖς στρατείαις ἔτι προθύμους παρεῖχον ἑαυτοὺς, ἠμέλουν τε παίδων ἀνατροφῆς. ὡς ταχὺ τὴν Ἰταλίαν ἅπασαν ὀλιγανδρεία ἐλευθέρων ἔσεσθαι, δεσμωτηρίων δὲ βαρβαρικῶν ἐμπεπλῆσθαι, δι' ὧν ἐγεώργουν οἱ πλούσιοι τὰ χωρία, τοὺς πολίτας ἐξελάσαντες. id eſt: *Paulò verò pòſt, cũ vicini illi diuites per ſuppoſitas perſonas tansferrent conductiones agrorũ in ſeſe, & deniq; palam iam etiam & ſuo nomine pleraſque detinerent: expulſi pauperes, neque ad militiæ munus alacres ſe præbebant, neq. ad educandos liberos. Ita vt mox Italiam vniuerſam* infre-

*Vera origo & tempus. A multitudine agrorũ, quos diuites tenuêre. Lex de quingentis iugeribus. Irrita facta, vi & pervicaciã. Serui Barbari empti ad colendũ agrum.*

*infrequentem & vacuam liberorum capitum eſſe contigerit, & ergaſtulis compleri ſeruorum barbarorum: per quos diuites agros ſuos colebant, ciuibus exactis.* Et eadem ac plura magis diffusè Appianus, in Ciuilium primo: qui ab infelici hoc Ergaſtulorum fomite ignem deducit Gracchanarum ſeditionum & belli ciuilis. Cuius verba vberiora, quàm vt huc transſcribam: tu, me indicante, vide omnino & lege. Hæc igitur cauſſa, hæc origo. nam antè Romani ipſi colebant, & honeſtiſſimos quoſque ciues ſcimus habuiſſe in agris. Columella mutationem eam conqueritur initio operis: *Rem ruſticam*, inquit, *peſſimo cuiq; ſeruorum velut carnifici, noxæ dedimus: quam maiorum noſtrorum optimus quiſque optimè tractauit.* Nec Lucanus veritus eam ponere inter cauſſas intimas imperij ruentis, lib. I.

*Appiani prudens & digna lectu diſſertio.*

*Ingenui pulſi agris & cultu eorum.*

*Hæc inter cauſſas lapſi imperij verè poſita à Lucano.*

> *Paupertas fugitur, totóque arceſſitur orbe*
> *Quo gens quæque perit. tunc longos iungere fines*
> *Agrorum, & quondam duro ſulcata Camilli*
> *Vomere, & antiquos Curiorum paſſa ligones*
> *Longa ſub ignotis extendere rura colonis.*

Nam ignotos hos colonos non alios poëta (poëta enim certè mihi, & quidem bonus) intellegit, quàm hos in ergaſtulo ſeruos, alienigenas plerumque & à longinquo cælo. Ideò Seneca De Tranquillitate: *Sub alieno colono rura pretioſa.* Atque hæc cauſſa ex quâ non ignotus Finis. Agri enim cultio præcipuè fuit, vt vides. Ideò Lucanus:

*Finis ergaſtulorum, agricultio maximè.*

> —— *vincto foſſore coluntur*
> *Heſperiæ ſegetes.* ——

Ideò Tertullianus alluſione doctâ: *Adam in ergaſtulum terræ laborandæ relegatus.* & teſtimonia pluria: quæ variè aſperſi infrà. Præcipuus, dixi, finis. Nam ergaſtula non rarò etiam ad aliud opus. ad molendum, ad lapidem cædendum, aquam hauriendam: & quidquid tale. De molis aut piſtrino, in comœdiis creberrimum; & exemplum diſertum in Appuleij lib. IX. quæ verba opportunius item reddo infrà. De lapidariis, ecce etiam veteri æuo Plautus, in Captiuis:

*Etiam molitura.*

*Etiam lapidum ceſura.*

> —— —— *ducite*
> *Vbi ponderoſas, craſſas, capiat compedes.*
> *Inde ibis porrò in latomias lapidarias.*

Et eâdem fabulâ, paulò poſterius:

> *Iubete huic craſſas compedes impingier:*
> *Inde extra portam ad meum libertum Cordalum*
> *In lapicidinas facite deductus ſiet.*

Et de aquâ hauriendâ, velut in pœnam, tangit aliquid idem Comicus, in minis Olympionis villici aduerſus Chalinum, in fabulâ Caſſinâ:

*Etiã aquæ hauſtio fortaſſe.*

> *Poſt id locorum, quando ad villam veneris,*
> *Dabitur tibi amphora vna & vna ſemita,*
> *Fons vnus, vnum ahenum, & octo dolia:*
> *Quæ niſi erunt ſemper plena, ego te implebo flagris.*
> *Ita te aggerundâ ceruum aqua faciam probè,*
> *Vt poſtilena poſſit ex te fieri.*

In quo



In quo penultimo verſu alij *curuum*, pro *ceruo* ſubſtituunt: nos *cernuum* magis rectum cenſemus. Credam autem aggeſtionis & egeſtionis huius aquariæ magnum vſum imò neceſſitatem fuiſſe, ſiue in lapidum ſiue in metallorum fodinis: ideoque huic etiam muneri damnatos ſeruos. Id Suetonius appellaſſe videtur, In antliam damnare: loco qui iamdiu à Criticis vexatur, & inuicem eos vexat. Tiberij cap. LI. *Teſtamentum matris pro irrito habuit, omnéſque familiaritates & amicitias, etiam quibus ea moriens curam funeris demandarat, intra breue tempus adflixit: vno ex his equeſtris ordinis viro & in antliam condemnato.* Proba enim & recta mihi verba: quique Anticyram, Andiam, aut nomen inſulæ ſubſtituunt, quî audiam? Cùm Suetonius vt nouum & inuſitatum in viris ſplendidis aut ingenuis narret, ad vile hoc & ſeruile munus equitem damnatum. At de inſulis, receptum ſanè in Senatoribus ipſis ſcimus, & iamdiu tritum. Antliam igitur teneo, & ſuccuſſione virorum doctorum vacillantem firmo nouo & robuſto fulcro: quod petitum mihi ex Artemidori Somniorum ſiluâ. Scribit lib. I. cap. L. οἶδα δέ τινα ὃς ἔδοξε τοῦ παντὸς σώματος ἀτρέμα μένοντος, τοὺς πόδας αὐτοῦ μόνους βαστάζειν. καὶ προβαίνειν μὲν μηδὲ βραχὺ, ὅμως δὲ κινεῖσθαι. συνέβη αὐτῷ εἰς ἀντλίαν καταδικασθῆναι. καὶ γὰρ τοῖς ἀντλοῦσι συμβέβηκε, διαβαίνειν μὲν ὡς βαδίζουσιν, ἀεὶ δὲ μένειν ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ. ἔτι καὶ ἄλλος ἔδοξεν ἀπὸ τῶν ποδῶν αὐτοῦ ῥέειν ὕδωρ: καὶ συνέβη αὐτῷ εἰς ἀντλίαν καταδικασθῆναι ὄντι πανούργῳ. id eſt: *Noui quemdam, qui viſus ſibi reliquo corpore omni immoto, pedibus tantùm laborare: nec progredi hilum, moueri tamen. euênit, vt in Antliam damnaretur. Nam exhaurientibus hoc vſu venit, diuaricare quidem vt ingredientes ſolent, manere tamen in eodem loco. Item alius, viſus videre à pedibus ſuis defluentem aquam. is quoque in Antliam damnatus eſt, facinorum cauſſâ.* Quæ verba firmant prorſus hanc lectionem & damnandi morem: etſi ea interpretari vel de ſentinâ nauis exhauriendâ (id enim Græca vox quoque ſonat) aptè poſſis: vel de Antliâ, quæ non tam vas, quàm inſtrumentum ad hauriendum: ſiue aquaria quædam machina, quæ pedum niſu & agitatu, aquas attolleret per modiolos atque hauſtra. Cuius generis etiam hodie in vario vſu. Martialis:

*Plautus obiter correctus.*

*In antliã damnari, quid? Suetonij locus expenſus.*

*Reiecta Criticorũ emendatio.*

*Petita ab Artemidoro lux.*

*Duplex ſententia ad Antliã damnationis eſſe poteſt.*

> *Curta laboratas antlia tollit aquas.*

Sed abſtineo ab excurſu, & finio hîc de Fine.

LOCVS videndus eſt, etſi adſpectu non ſuauis. Is non in opidis, ſed in villis, & quidem ſubterraneus fuit, depreſſus, ſedibus & anguſtis feneſtris diſtinctus: prorſus ad carceris formam. Itaque iure Iuuenalis ſic appellat:

*Ergaſtula rure. Et inſtar carceris fœdi.*

> —— *inſcripta ergaſtula, carcer Ruſticus.*

Et Liuius eidem æquiparat: verè non oratoriè, de T. Manlij filio: *Quem pater in opus ſeruile, propè in carcerem atque in ergaſtulum dederit.* Et libro VI. eodem ſenſu: *Vbicumque patricius habitet, ibi carcerem priuatum eſſe.* Columella eum exædificat & deſcribit, vt rem cumprimis villæ neceſſariam, lib. I. cap. V. *Solutis ſeruis*, inquit, (nota autem diſcrimen ſeruorum in villis duplex, Solutorum & Vinctorum: quorum hi in ergaſtu-



lis)

*Parua atq; altæ feneſtræ in hoc puteo.*

lis) *cellæ meridiem æquinoctialem ſpectantes fient: vinctis, quam ſaluberrimum ſubterraneum ergaſtulum, plurimis atque iis anguſtis illuſtratum feneſtris, atque à terrâ ſic editis ne manu contingi poſſint.* Et probè eum munitum fuiſſe contra rupturam aut elapſum, idem oſtendit cap. VIII.

*Idem cōtra fugam munitus.*

vbi officia domini deſcribens: *Illa ſollemnia ſunt*, inquit, *vt domini, ergaſtuli mancipia recognoſcant. vt explorent num diligenter vincta ſint, an ſedes ipſæ cuſtodiæ ſatis tutæ munitæq; ſint.* Sed quod in priore loco clarè tradit de Ergaſtuli feneſtris: mirum ni clarorem aliquem Plauti vmbroſo loco adferat.

*Plauto fortaſſe lux ſi non ambitiosè nimis quæſita.*

apud quem Caſſinâ Olympio ille ferox dira multa interminatur riuali ſuo, mox ſcilicet in villam, cui ipſe præfectus, relegando. Atque inter alia addit,

*Noctu vt condignè te cubes curabitur.*
CH. *Quid facies?* OL. *cludêre in feneſtram firmiter,*
*Vnde auſcultare poſſis cùm ego illanc oſculer.*

Nam vt de cubiculari aliquâ feneſtrâ accipiam, in quam ille compingendus, prohibet me ſententię neſcio quod frigus. Magis de ergaſtulari iſtâ: quia de die emittebātur carcere illo ad opus ſcilicet, pedibus tamen vincti: noctu huc immittebantur iterum, arctius aſtricti. Sed argutor fortaſſe nimis: illud certius addo.

*Præfectus Ergaſtuli.*

Præfectum fuiſſe ſuum huic carceri, qui Ergaſtularius Columellæ dictus. Et rectè, atque ad normam. Nam quod Nonius ſuadet ex Lucilio, Ergaſtulum dictum fuiſſe iſtunc cuſtodem pœnalis loci: ſtraba illi mens, vt ſæpe.

*Nonij alucinatio. Ergaſtulus priſcis, ipſe ſeruus Ergaſtuli incola.*

Nec enim aliud ibi Ergaſtulus, quàm ipſe qui in pœnâ & in noxâ: ſeruus inquam, non cuſtos. Colligas facilè ex verbis, quæ tamen apud Nonium corrupta: *Ergaſtulum*, ait, *& Ergaſtulus, vt genere ita & intellectibus differunt. Nam neutro carceris locus eſt: maſculino, cuſtos pœnalis loci. Lucilius lib.* XV. *Non Ergaſtulus vnus. Et alius:*

*Nonius correctus.*

(ita hæc corrigo, ſiue dirigo, aberrantia aliter & confuſa. nam alium aliquem ſcriptorem citat, etſi innominatum: niſi mauis, *Et alibi:*) *Iudicem oppoſuit, vt nemo ſententiam liberè quaſi ergaſtulus poſſit dicere.* Quæ poſtrema verba euincunt de meâ mente: quia nihil certè magis obnoxium quàm ſeruus; & inter ſeruos, ab ergaſtulò iſti.

SED tranſeo ad Homines ipſos. qui è ſeruis quidem, ſed duûm generum.

*Serui bigeneri ad Ergaſtula.*

Aut enim Noxij in hæc Ergaſtula detruſi aut Innoxij. Noxij; puta ſiqui è ſeruis contumaci ingenio, fugitiui, mali & malitioſi, crebri in delicto; hos dominus ex more damnabat in hanc pœnam.

*Mali primùm, pœnæ cauſsâ & vltionis.*

Damnabat ipſe dico. quoniam iudice aut ſententiâ aliâ, pręter herilem, non hîc opus. Atque, vt ſolet, temerè ſępe & per iram. Seneca indicat libro III. De Irâ: *Magnam rem ſine dubio fecerimus, ſi ſeruulum infelicem in ergaſtulum miſerimus.* Horatius item ad ſuum illum monitorem:

*Horatius explicatus.*

——— *ocius hinc te*
*Ni rapis, accedes opera agro nona Sabino.*

Ad quem locum interpres vetus benè & verè: *quaſi octo ſeruos herus miſerit in ergaſtulum agri Sabini.* Prorſus enim illa mens poëtæ minantis. Iuuenalis etiam ad hunc morem, de perditâ illâ nobilitate:

*Quid facias talem ſortitus Pontice ſeruum?*
*Nempe in Lucanos aut Thuſca ergaſtula mittas.*

Et tangit



Et tangit Lactantius libro v. Inſtitutionum, cap. XIX. *Quod ſi ſeruorum nequiſſimus habetur, qui dominum ſuum fugâ deſerit, iſq; verberibus, vinclis, ergaſtulo, cruce, & omni malo digniſſimus iudicatur.* Vbi ergaſtulum inter ſeruiles pœnas recenſet, ex priſci tamen potius æui quàm ſui ritu. Nam Lactantij temporibus id abolitum, vt pòſt dicam.

*Etiam innocentes roboris cauſsâ.*

At innoxij etiam huc immiſſi. puta, ſiqui viles ſerui, captiui, barbari, corpore tantùm boni: & quibus cerebrum omne in manu. hos emebant vulgò in hunc tantùm finem. Didiciſti ſuprà ex Plutarcho & Appiano. Et ex hac quidem duplici fece, ergaſtula plerumque farcta. niſi quod ingenui etiam interdum & liberi coniecti in ea, per vim ſiue fraudem.

*Aliquando & ingenui, per fraudē & plagiū.*

Suetonius indicat in Auguſto, capite XXXII. *Rapti per agros viatores, ſine diſcrimine, liberi ſeruíque, ergaſtulis poſſeſſorum ſupprimebantur.* Iterumque in Tiberio, cap. VIII.

*Repurgatio ergaſtulorum per Auguſtū.*

*Curam ſuſtinuit repurgandorum totâ Italiâ ergaſtulorum, quorum domini in inuidiam venerant, quaſi exceptos ſupprimerent non ſolùm viatores, ſed & quos ſacramenti metus ad huiuſmodi latebras compuliſſet.* Videſque quàm ſeria iſta res, & quale eius pondus, quod Principis etiam humeris ſubeundum fuit.

*Mirum & miſerum exemplum.*

Miſerabile autem huius violentæ fraudis exemplum in Appiani Ciuilium quarto. vbi puer quiſpiam narratur relatus inter proſcriptos, & matrem aggreſſus vt adiutum ſe vellet & celatum: à quâ repulſus (vide impiam ſerpentem) οὐκ ἀξιώσας ἔτι, inquit, εἰς πεῖραν ἐλθεῖν ἑτέρου μετὰ μητέρα, ἐς ὄρος ἔφυγεν, ὅθεν ὑπὸ λιμοῦ ἐς τὰ πεδινὰ κατελθὼν, ἐλήφθη πρὸς ἀνδρὸς λῃστεύειν τοὺς παροδεύοντας καὶ ἐπὶ ἔργῳ καταδεῖν εἰθισμένου. οἷα δὲ παῖς ἐκ τρυφῆς τὸν πόνον οὐκ ἐνεγκὼν, ἐς τὴν ἁμάξιτον αὐταῖς χοινικίσι διέδρα, καὶ παροδεύουσι λοχαγοῖς ἑαυτὸν ἐμήνυσέ τε καὶ ἀνῃρέθη. *non auſus poſt matrem cuiquam ſe committere, fugit ad montana. vnde fame depulſus venit iterum ad plana, captúſque ab improbo quopiam eſt qui viatores prætereuntes rapere ſelitus & in ergaſtulum conitcere vinctos. Ipſe autem puer, in deliciis ſcilicet ſemper habitus, laborem inſolitum hunc non tolerans, in viam publicam cum ipſis compedibus ſe dedit: prætereuntibúſque fortè centurionibus ſeſe indicauit, & ab iis interfectus.* Qui notabilis locus, & infamem hanc graſſaturam ante oculos ponit clarè. Quod ipſum Socrates Eccleſ Hiſt. lib. v. cap. XVIII. oſtendit: & Achilles Statius ſuam Leucippen rapi & in ergaſtulum coniici facit, compeditam, raſam, terram fodientem.

SED ad formam Modumque quo hîc habiti, ſeries me vocat: qui reuera per exempla omnia iit miſeriæ & depreſſionis. Inferos ſuos ſomniabant? in ergaſtulis veri illi.

*Ergaſtuli ſemper vincti.*

Nam primùm perpetim vincti habebantur (cuſtodiæ ſcilicet cauſsâ) & in ferrò. Columellæ ſerium præceptum eſt, vt *Dominus villæ exploret, num villicus aut alligauerit quempiam ipſo neſciente, aut reuinxerit. Nam vtrumque maximè ſeruari debet, vt & quem paterfamilias tali pœna multauerit, villicus niſi eiuſdem permiſſu, compedibus non eximat: & quem ipſe ſuâ ſponte vinxerit, antequam ſciat dominus, non reſoluat.*

*Ideoq; eâ voce vulgò notati.*

Et ipſi ſerui ergaſtularij, ἁπλῶς Vincti appellantur, ab hac cauſsâ. Seneca De Beneficiis: *O miſerum, ſiquem delectat ſui patrimonij liber magnus, & ſpatia terrarum colenda per vinctos.* Idem De Breuitate vitæ: *Qui in ceromate ſpectator puerorum rixantium ſedet, qui*

vinctorum

*Seneca emẽdatus. Atque explicatus.*

*vinctorum ſuorum greges metatur, & colonorum paria deducit.* Quæ poſtrema tamen verba in mendo, ſiquid fidis & priſcis libris fidei, qui referunt: *& in colorum paria diducit.* quos equidem audio, & interpreter diuidi greges illos & cohortes Vinctorum (incredibilis enim multitudo, vtique apud illos locupletes) ſecernique per nationes ac colores ſolere. Puta qui Orientales & fuſci, in tali villâ & agro: qui à frigidiore axe & albi, in illâ habeantur, & illo. vt valetudo, vt loca ſuadere videbantur, vt domini libido & voluntas. Hoc in aliis quoque & quidem domeſticis ſeruis factum, idem meus Seneca me docet Epiſtolâ XCVI. *Tranſeo,* inquit, *exoletorum agmina, per nationes coloréſque deſcripta.* vbi à coloribus clarum vides diſcrimen. Sed rem meam premo. & vinctos hos moneo, tamen pedibus tantùm. Nam manibus aut brachiis ſi fuiſſent; quomodo proceſſiſſet iis opus? fodere, arare, ſarrire: & quæ alia rei ruſtris. Ita enim vincti, vt nec inter opus ſoluerentur, metu ſcilicet fugæ. Iuuenalis:

*Seruiper nationes & colores diuiſi.*

*Vincti pedibus tantùm.*

*Etiam inter ipſum opus.*

*Squallidus in magnâ faſtidit compede foſſor:*

de ergaſtulario accipiendum eſt, ex Scholiaſte. Et Ouidius:

*Spes etiam durâ ſolatur compede vinctum,*
*Crura ſonant ferro, ſed canit inter opus.*

*Compedes huic rei.*

Noſtros enim iſtos intellegit, quibus crura adſtricta ſemper: idque compedibus. Cicero pro Rabirio perduellionis reo: *Ille ex compedibus atque ergaſtulo Gracchus.* Ideò *Cathenatos cultores,* Florus eos appellat: & Appuleius *pedes* iis tribuit *Anulatos.* Vterque rectè; quia compedes illæ laxæ ad motum aliquem & ingreſſum, & orbes cathenæ è ferro, inſtar anulorum. Itaque Martialis has ipſas compedes Anulos appellauit, & quæſiuit in eo cauſſam ioci:

*Quas & Anulos appellant.*

*Anulus iſte tuis fuerat modò cruribus aptus.*

Et iterum:

*Has cum geminâ compede dedicat cathenas*
*Saturne tibi Zoilus, anulos priores.*

*Eaq; è ferro.*

Ait, cum geminâ compede: ergo ligatum iis crus vtrumque, quod res ipſa ſuadet me ſilente. Sicut & illud, quod è ferro. Plautus eo adſpectu, ergaſtulos genus ferratile appellauit, Moſtellariâ:

*Plautus illuſtratus.*

*Augebis rure numero genus ferratile.*

Interminatur enim ſeruo, illuc eum ſe miſſurum. Et ab eodem fonte iocus in Perſâ:

*Negotium edepol fuit.* TOX. *ferreum fortaſſe.* SAG. *pluſculum annum*
*Fui præferratus apud molas Tribunus vapularis.*

cum alluſione item, quaſi ſi Tribunus militaris apud Nolam. At Tertullianus tamen alibi etiam fuiſſe oſtendit ex auro. Libello De Habitu mulierum: *Apud barbaros quoſdam,* inquit, *quia vernaculum eſt aurum & copioſum, auro vinctos in ergaſtulis habent.*

VINCTI igitur. addo etiam, Inſcripti. id eſt, ſtigmatiæ, ſiue litteris notiſque in facie puncti, vt eſſent noſcibiles. Martialis:

*Inſcripti ergaſtuli, ſiue notis compuncti.*

*Quattuor inſcripti portabant vile cadauer.* Auſonius:
*Ergo notas ſcripto toleraſti Pergame vultu.*

Vetus



*Mos compungendi vetus, & per gentes ſparſus.*

Vetus ea pœna, & aliis quoque gentibus non ignota. Plutarchus auctor, Samios captiuis Athenienſium Noctuam inuſſiſſe: & hos viciſſim illis Samænam. nauis id genus eſt. Idem in Niciâ de Syracuſanis ſcribit: καὶ τούτους (Athenienſes) ὡς οἰκέτας ἐπώλουν, ςίζοντες ἵππου ἐς τὸ μέτωπον. Plato libro VIII. De Legibus, ſacrilegos fronte & manibus inurit. ὃς δ' ἂν ἱεροσυλῶν, inquit, ληφθῇ, ἐὰν μὲν ἢ δοῦλος ἢ ξένος, ἐν τῷ προσώπῳ καὶ ταῖς χερσὶ γραφεὶς τὴν συμφορὰν, καὶ μαςιγωθεὶς ἐκτὸς τῶν ὅρων τῆς χώρας ἐκβληθήτω. id eſt: *Siquis ſacrilegium commiſerit, ſi quidem ſeruus aut hoſpes fuerit, in facie manibuſq; crimen inſcriptus & flagellatus, extra fines patrios proiicitor.* Plutarchus etiam Thracibus adtribuit, libello De Tarditate diuinæ vindictæ: οὐδὲ γὰρ Θρᾷκας, inquit, ἐπαινοῦμεν, ὅτι ςίζουσιν ἄχρι νῦν, τιμωροῦντες τῷ Ὀρφεῖ, τὰς αὐτῶν γυναῖκας. Et quod Græci paſſim in ſeruos vſi, indicat Phocillidis admonitio eos à crudicate hac reuocantis:

*Græci & Siculi vſurparunt.*

*Thraces item.*

Στίγματα μὴ γράψῃς, ἐπονειδίζων θεράποντα.

*Sæpiſſimè Romani. In liberos,*

Creberrimè tamen ante omnes & liberrimè Romani: etiam in liberos homines, qui calumniæ damnati. Eorum enim fronti K. littera inuſta: quoniam priſci videlicet Kalumniam ſcribebant. Idque aliis iam notatum. At in ſeruos nihili & nequam multo magis; & maximè in iſtos ab ergaſtulis, velut ſolemni quodam ritu. Ideò Iuuenalis inſcripta ergaſtula agnominat:

*Seruoſq;.*

*Quem mirè adficiunt inſcripta ergaſtula.*

Et Plinius clarè: *At nunc eadem illa* (rura) *vincti pedes, damnati manus, inſcripti vultus exercent.* Scribonius Largus opportunâ quadam narratiunculâ cap. CCXXXI. *Quatenus acrium & exulceratorum medicamentorum habita eſt mentio, ponemus quo ſtigmata tolluntur indignis. Etenim multis hæc calamitas ex tranſuerſo accidit, vt diſpenſatori Sabini Calui* (lego, *Caluiſij.* ſiquidem ille eſt, qui Senecæ & Plutarcho nominatus, diues & potens ſub Claudio: quo æuo Scribonius quoque vixit) *naufragio in ergaſtulo deprehenſo: quem Tryphon multis deluſum, & ne caſu quidem notas confuſas habentem, vno medicamento liberauit.* Ita totum eum locum vetuſti medici legimus & diſtinguimus, in noſtro quidem libro valdè confuſum. Et hæc quoque Inſcriptio vſurpata in piſtrinenſibus ſeruis. Appuleius prorſus graphicè deſcripſit libro IX. *Dij boni, quales illi homunculi, vibicibus liuedinis totam cutem depicti, dorſúmque plagoſum ſciſſili centunculo magis inumbrati quàm obtecti, nonnulli exiguo tegili pubem tantummodo intecti* (commodius liber ſcriptus qui apud me à Victore Giſelino, *iniecti*) *cuncti tamen ſic tunicati vt eſſent per pannulos manifeſti: frontes litterati, & capillum ſemiraſi, & pedes anulati.* Nam frontes litterati, inſcripti noſtri ſunt: idq; eum ſcripſiſſe adſeuerem imitatione Plauti. apud quem in Caſſinâ ſeruus conſeruo conuicium facit, *Si hic litteratus me ſinat:* nec aliter quàm Stigmatiam & litteris in vultu notatum interpreter, etſi contrà nitente Lambino: qui accipi eum vult, cuius tergum velut litteris, virgis conciſum ſit atque conſcriptum. Non diſſimulo tamen in manuſcripto noſtro hîc eſſe, *frontes liturati.* quod ipſum haud diſpliceat, quaſi ſcripti & reſcripti. & fortaſſe an ita ſcripſerit & Plautus. Quamquam cur ambigimus? veræ litteræ fronti inſcribi ſolitæ, imò vultui ſæpe toti. Litteræ,

*Scribonius Largus emendatus.*

*Piſtrina etiam inſcripta.*

*Leuiter Appuleius emendatus.*

*Litterati ſerui, qui Appuleio & Plauto.*

*Noua in Appuleio lectio: fortaſſe & ad Plautum propugnâda.*



dico

*Qualis illa vultus inſcriptio.* *Multorum verborum ſæpe.* *Imò & verſuum.* *Quomodo inuſtio facta.*

dico aut plura verba quæ crimen continerent cauſſamq́; notæ. puta *Caue à fure: A fugitiuo:* &c. Benè explicat Petronius, *Impleuit Eumolpus frontem vtriuſque ingentibus litteris, & notum Fugitiuorum epigramma per totam faciem liberali manu duxit.* Iuuat & Seneca De Beneficiis libro IV. *Improbiſſimo militi, ingratiſſimo hoſpiti, auidiſſimo naufrago ſtigmata inſcriberet ingratum hoſpitem teſtantia.* Sed optimè Petronius: qui faciem etiam totam complet, nec falsò. Ioannes Zonaras Tomo III. Annalium duos quoſpiam monachos quia Imp. Theophilum liberius monuiſſent, inter alias ignominias, inſcriptos ait: & quidem ita, vt duodecim verſuum epigramma exciperent illâ vultus, vt ſic dicam, tabulâ. Εἶτα, inquit, καὶ τὰς ὄψεις αὐτῶν κατέστιξε, καὶ ταῖς στιγμαῖς μέλαν ἐπέχεε. γράμματα δ' ἐτύπουν τὰ στίγματα. τὰ δ' ἦσαν ἴαμβοι οὗτοι. id eſt: *Deinde facies eorum compunxit, & notis illis hos Iambicos verſus atramento infuſo expreſſit.* additque ipſos verſus probos, plenos. Vide & nota, quæſo, locum: etiam illud, quod de infuſo atramento. Nam ratio inſcribendi ita habuit, vt primitus litteræ ſiue notæ inurerentur candenti ferro. Iuuenalis:

*Tum felix, quoties aliquis tortore vocato*
*Vritur ardenti duo propter lintea ferro.*

Seruum intellegit, qui ob furtum duûm linteorum, frontem inuſtus.

*Næuius poëta explicatus.* *Et Columella.*

Næuium de hac re ego capio apud Priſcianum libro VII.

*Signare oportet frontem calidâ forcipe.*

Et ab hac cauſsâ iuſtè, Focorũ ſigna appellauit ipſa Stigmata, Columella:

*Deletura quoque eſt fronti data ſigna * focorum.*

** Alij, fugarum: vt ad Fugitiui notas referatur.* *Atramentũ ſtigmatis infuſũ.*

Benè ergo Valerius: *Seruus inexpiabili litterarum notâ per ſummam oris contumeliam inuſtus.* Poſt inuſtionem autem, atramentum infunderetur, quò eminerent magis litteræ & præberent ſe lectui. Ex Zonarâ & Petronio ſuprà, vides.

*Ergaſtuli ſemiraſi.* *Sicut viliores omnes ſerui.* *Itemq́; in opus damnati.*

IAM tertia Ergaſtulorum nota, vt Semiraſi. Competiit id in omnes ſanè viliores ſeruos, vt capitis altera pars iis capillata eſſet, altera nuda, per ignominiam perque riſum. Catullus de Buſtuario ſeruo, qui vilis vt omnes Libitinarij:

*A ſemiraſo tunderetur vſtore.*

Sed propriè in eos, qui ad Ergaſtula damnati, aut etiam in publicũ opus. Appuleius ſuprà de Piſtrinariis: *capillum ſemiraſi.* Artemidorus lib. I. cap. XXII. ὁπότερον δὲ ἂν τῆς κεφαλῆς ψιλὸν ἔχοι τις ἐκ ὢν εὐσυνείδητος, καταχριθήσεται τὴν εἰς ἔργον δημόσιον καταδίκην. τοῦτο γὰρ κἀκεῖ παράσημόν ἐστι τοῖς δικαζομένοις. id eſt: *Vtram autem partem capitis nudam ſibi habere viſus, ſi parum meminit: damnabitur ad opus publicum. nam & hoc iſtîc damnatis inſigne eſt.*

*Tenuis & aſper ergaſtulorum victus.* *Diaria.*

AD formam habendi, aliquid etiam facit Victus. qui pertenuis ſanè illis, & aſper. Dimenſum enim quoddam exiguum habebant in diem, & tenuius omnino quàm vrbani ſerui. Quâ cauſsâ Paulus Ic[tus] argutè colligit, ex cibariis quoque deprehendi poſſe, quos ſeruos paterfamilias adnumerare ſit ſolitus inter hos, aut illos, l. Seruis vrbanis. De legat. III. Hunc diurnum cibum, Diaria appoſitè appellarunt. Martialis:

*Sed Lupus vſuram, puerıq́; diaria poſcunt.*

Seneca



*Iuſta.* *Canon.*

Seneca pater lib. IX. Controuerſ. IV. *Cùm introductus eſſet è carcere in Senatum, poſtulaturus vt diaria* (malè in libris, *diariam*: nam & in carcerariis hoc ſeruatum) *acciperet.* Iuſta, Columella dixit, in hiſipſis ergaſtulis: *Diligenter dominus,* inquit, *cùm & ab ipſis* (vinctis:) *tum & abſolutis, quibus maior eſt fides, quærat, an ex ſua conſtitutione iuſta percipiant: atque ipſe panis potionisq́; bonitatem guſtu exploret.* Canonem Saluianus vocat, De Prouidentiâ lib. IIII. *Serui ſi fures ſunt, ad furandum forſitan egeſtate coguntur. quia etiamſi eis ſtipendia vſitata præſtentur, conſuetudini hæc magis quàm ſufficientiæ ſatisfaciunt: & ita implent canonem, quòd non explent ſatietatem.* Hunc omnem victum, conſtitiſſe pane tantùm, aquâ, ſale, & ſi fortè aceto, auguror ex aliis locis: quibus non hîc locus. Pleraque dixi de Modo.

*Crebritas ergaſtulorum mira.* *Florus benè correctus.* *Eaq́; intima cauſſa ſolitudinis per prouincias.* *Ergaſtula prorſus ſublata.* *Ideò ſilentium de iis apud Iuriſconſultos priſcos.* *Ambroſij locus, & mens.* *Relegatio quædam ſeruorum.*

AT multitudo & frequentia ergaſtulorum mira. Totam Italiam obtinebant, nec liberis capitibus iam in eâ ſedes aut locus. Liuius iure queritur, libro VI. *Olim multitudinem innumerabilem liberorum capitum in iis locis fuiſſe; quæ nunc, vix ſeminario exiguo militum relicto, ſeruitia Romana ab ſolitudine vindicant.* Et adpoſitè Seneca, in verbis ſuprà, *Greges vinctorum metari,* dixit: copiam hanc adſpiciens, & quod iis tantum non per cohortes & legiones metanda velut caſtra. Sparſa etiam per prouincias. Florus de Siciliâ: *Terra frugum ferax, & quodammodo ſuburbana prouincia, latifundiis ciuium Latinorum tenebatur. Hîc ad cultum agri frequentia ergaſtula cathenatiq́; cultores, materiam bello præbuere.* Quo loco parum mihi grati aut rati ciues illi Latini. quis veterum ita loquitur? ſocios Latinos dicunt, non ciues. Res ipſa non vera. certè enim Romani ipſi agros eos habuerunt, non Latini. Corrigo, niſi fallor, aptè: *ciuium lautiorũ.* Diuites ſcilicet intellegit & lautos, qui per illam aliaſque prouincias latè poſſidebant. In terrâ etiam Galliâ ita crebra, vt M. Antonius ad Mutinam victus & fugiens, exercitum ſuum ex iis ſupplere conatus ſit. D. Brutus ita ſcribit ad Ciceronem: *Quacumq́; iuit, ergaſtula ſoluit, homines abripuit.* Nec aliam magis intimam cauſſam ſcio ſolitudinis & vaſtitatis inductæ per Romanas prouincias: quâ Barbaris deinde expoſitæ in direptionem & prædam. Atque hæc de ergaſtulorum carcere. quem in pœnam generis humani, non in bonum vllum publicum inuentum eſſe, fatebuntur mecum omnes qui ſunt ſuæ mentis. Diu tamen manſere, & quidem ad Principatum vſque Hadriani: qui ſalubriter ſuſtulit. Spartianus paucis verbis, ſed claris: *Ergaſtula ſeruorum & libertorum tulit.* Ita enim ſæpe ij ſcriptores Cæſarei Ferendi verbum vſi, pro Auferendi. Etſi parum plenè fortaſſe aut firmiter: & iterùm ſuſtuliſſe videtur Theodoſius Imp. ex Cedreno & Hiſt. Eccleſiaſticâ. Quod autem in Ambroſio eſt: *Plerique diuitum amandare conſueuerunt mancipia ſua, & in agellulos relegare: atque hæc pœna grauior exiſtimatur.* omnino non de iſtis, nec damnatione in opus accipiendum, ſed de temporaneâ ablegatione quadam extra oculos domini offenſi. Vlpianus aperit, l. XXXV. De hered. inſtit. *Proinde ſi ſeruus miſſus fuerit in villam, interim illic futurus, quia dominum offenderat, quaſi ad tempus relegatus: reſponſum eſt eum ad villæ legatum non pertinere.* Similis relegatio illa clementis Principis apud Sueto-

 Sueto-

Suetonium, Auguſti cap. XXIIII. *Equitem Romanum haſtæ ſubiecit. quem tamen, quod imminere emptioni publicanos videbat, liberto ſuo addixit, vt relegatum in agros pro libero eſſe ſineret.* Et Manliana illa vetus: de qua Seneca libro III. De Beneficiis: *Vicit patrem Imperioſum quidem Manlius. qui cùm ad tempus relegatus eſſet à patre ob adoleſcentiam brutam ac hebetem.* Vbi nihil temerè mutem, ambigam tamen an non, *ad campos relegatus.* ſicut in Suetonio, *in agros:* quia libri veteres vacillant, & quidam, *ante tempus.* Dixi de Ergaſtulis quæ legi, quæ ſciui. ſiquid omiſi, aut commiſi: tu ſcilicet exple, aut ignoſce. iuſtiſſimâ veniâ nobis: qui ſcripſimus hæc corpore & animo parum firmi.

*Leuis coniectura in Senecâ.*

## CAP. XVI.

*Iani Gulielmi præceps obitus. eius defletio, & laus. Carmen ſub iter Gallicum, ad me ſcriptum: doctum & elegans.*

*I. Gulielmi mors; qui Auarici Biturigum acerbo fato periit. Eius laudatio.*

ITA viuam ipſe & valeam, vt peracerba nuper mihi accidit Iani Gulielmi mors, ſiue potius raptus. Subita enim fuit: & vix Biturigas venerat, cùm febris eum occupauit, & in paucis diebus extremus ille dies. Sanè amabam adoleſcentem inſigni indole, magnâ ſpe: nec facilè ingenium videram (iuuenile quidem) magis mihi ad guſtum. Libelli iudicio meo teſtes. quos in Critico iſto genere paucos edidit; ſed probos doctoſque, & quos haud temerè Inuidiæ dens atteret aut lima labentis æui. Sed peracerba mihi tamen hæc mors, non noua. Quæ enim alia vitæ lex? Vt lignum vri natum eſt, ariſta ſecari: ſic homines mori. Ite mei iuuenes, & animis fidite aut annis. vna nempe morbi aura eſt quæ adurit & exſtinguit hunc omnem vitæ florem. Quin vt venti cùm vehementiſſimè perflant, ponunt ferè & deſinunt: ſic mortales, cùm grandia maximè ſpirant & ſperant. Ego ipſe, qui iſta loquor, quamdiu hîc ſum? Fallor: aut ſtrictum iam in me quoque fatale hoc ferrum, & ſequor te mi Gulielmi, imo calcem premo calce. Ita lentus difficiliſque morbus hic ſuadet: qui vt hedera quædam ſerpens, implicat & enecat me longo tractu. Sed hoc quidem fiet cùm deo meo viſum: intereà iudicij mei de te & amoris monumentum hoc poſitum eſto. non æternum, ſcio, (ſtulti qui ab his ſcriptis id ſperant,) ſed longæuum fortaſſe: ſi tamen, vt cum Pindaro dicam,

——— *Σύν τινι μοιριδίῳ παλάμᾳ
Ἐξαίρετον Χαρίτων νέμομαι
Κᾶπον. ———

** Cum fatali quodã auxilio Eximium Gratiarum decerpo Hortum.*

Cui monumento carmen etiam tuum inſculpo. certum & elegantiſſimi ingenij ſymbolum, & in me puri adfectus.





# IANVS GVLIELMIVS IVSTO LIPSIO S. D.

VELLEM, *diuiderent non tot nos millia,* LIPSI,
*Diſpernunt Vbiis millia quot Batauos:*
*Non ego commiſſem mutis mea verba tabellis,*
*Hei deſiderij conſcia verba mei;*
*Coram melli eſſet ſermones cædere tecum,*
*Et bibere attonitis mutuum amorem oculis.*
*Nunc quid agam? prohibentq́ue viæ, prohibéntque pericla,*
*Plurima ab hoſtili quæ metuenda dolo:*
*At nil certè animos vmquam diſtraxit amicûm,*
*Quos germana pio vinxit amore fides.*
*His certè vnà erimus. non nolis tu modò,* LIPSI,
*Méque tuum puro ſi modò amore coles.*
*Quod facies. nec enim te,* IVSTE, *ſerenior alter*
*Dicitur, aut canæ carior eſſe fidem;*
*Nec cui poſt Sophiam ſit amicior aurea virtus,*
*Nec cui poſt Muſas plus Charites faueant.*
*De me, mî certè penitas penetrare medullas*
*Et potuiſti imo te illatebrare animo,*
*Vnde dies nulli, nulli te extrudere amores,*
*Non mors occaſu poſſit auara meo.*
*Viuit enim ſemper poſt vltima funera virtus,*
*Et ſibi cognatis pendet ab vſque bonis,*
*Nec cum mortali ſtudia immortalia vita*
*Parcarum rapidam fas temerare manum eſt.*
*Sed quibus aut Muſis ceſſare ætate in agunda*
*Aut illibatæ cura fuit Sophiæ,*
*Mens eadem poſt fata manet: ſemperq́ue beatis*
*Otia pacato dantur in Elyſio.*
*Heic me ſiue Sophi ſtipabunt agmine caſci,*
*Siue piis medius vatibus ingrediar:*
*Narrabo ſuperis vnum te viuere,* LIPSI,
*Qui vatum princeps ſit Sophiæq́ue locis.*
*Et dicam, Cicero licet audiat, ipſeq́ue Varro,*
*In te Varronem cum Cicerone loqui.*
*Interea autem hic dum vegeta perduxero vita,*
*Ardebo in noſtro ſemper amore recens:*
*Nec me deficiet de te meminiſſe, tuúmque*
*Promeritum in vates hiſtoriáſque loqui.*
*Vt per te rigua reſtinguat ab Hippocrene*
*Vberius ſacram Muſa Latina ſitim;*
*Vt veterum mores, te producente, viróſque*
*Penè oculis ſit contingere, penè manu.*

*Vt non iam tacitus Tacitæ pater hiſtoriaï*
*Germanos iterum vociferetur auos,*
*Et tibi Cæſaribus voluenda in ſæcula miſto*
*E quercu porgat ciuica dona ſacra.*
*Nam tu,* IVSTE, *ſalus illi, tu vita fuiſti,*
*Semianimi longo depoſitóque ſitu:*
*Membra ſeneſcenti cum putiſcentia tabo*
*Felici Chiron es medicatus ope,*
*Inductúmque nouis renouato in corpore ſuccis*
*Doctorum miſti rurſus in ora virûm:*
*Cuſtodes iuueni ponens doctóſque catóſque,*
*In caro vigiles aſſiduos latere:*
*Ne fera barbaries mulorum extorsq́ue lubido*
*Mordicibus ſacrum ſcinderet hiſtoricum;*
*Aut barbatorum gens horrida Grammaticorum*
*Impeteret verſis poſtmodò, vt antè, ſtylis.*
*Non ſecus, vt fama eſt, felicibus Aeſona plantis*
*Phaſias in pueros tranſdidit ante-ſcnem;*
*Illi etiam tenero fertur Medæa magiſtros,*
*Illi etiam comites adtribuiſſe ſuos.*
*Felix! vitalem cui bis decurrere campum,*
*Et reditum à metâ fata dedêre nouum.*
*At tuus hic,* LIPSI, *Tacitus felicior. illi*
*Circumiit nihilo mors minus atra caput;*
*Huic æterna dehinc, te procurante, iuuenta,*
*Non defecturæ lucis & vſus adeſt.*
*Hæc ego, quæq́ue tibi debemus cetera docti,*
*Quo potero ſemper commemorabo ſono.*
*Quod ſi etiam inter nos, video vt non nolle, meabunt*
*Scripta per alternas miſſiculata vices:*
*Efficiam certè, ne te conſtantius vlli*
*Néve fide videas candidiore coli,*
*Neu tibi quid rerum poſſit latuiſſe mearum,*
*Neu pars officij claudicet vlla mei.*
*Non ita ſopitos infuſa reſuſcitat ignes*
*Pallas, & in viua calce referuit aqua;*
*Quanto laxatos protelo intendit amores*
*Nuncia diſiuncti littera colloquij.*
*Quare, quod tua non offendat commoda,* LIPSI,
*Hanc operam caræ ſurripe amicitiæ.*
*Méque, ſatin ſaluæ? ſcitare frequenter, & iſthic*
*Vos etiam rectè viuere ſignifica.*
*Quæq́ue modò elimes Muſis affecta ſecundis,*
*Quæq́ue parata foras ſcripta operoſa feras:*
*Et quibus auſpiciis Ledæis abdita lucis*
*Belgica Pieriis teſqua rigentur aquis,*

*Et ſi*



*Et ſi quid docti vis incinat enthea Duzæ*
*Quod memoret ſero tempore poſteritas,*
*Duzæ, cuius amor tantum mihi creſcit in æuum*
*Et Phœbi quantum creſcit & Aonidum.*
*Omnia quæ mihi mox rectè vt perſcribere poſſis,*
*Et validè nobis & tibi,* IVSTE, *vale.*

## CAPVT XVII.

*Pluria in Suetonio emendata aut illuſtrata. Nepos Iulij Cæſaris. Salaciones. Quis Senatorum cenſus legitimus ſub Auguſto? Quoties ludos dederit? Notare. Copriæ, qui dicti? Deiectus rex Armeniæ.*

SVETONIVM Tranquillum non iniuriâ commendo ſæpe iuuentuti. *Tranquilli commendatio.* Verba vides? pura, terſa, propria. Filum totum orationis? breue, neruoſum. Rem ipſam? vtilis pariter & iucunda hiſtoria eſt: &, quod mihi caput, plena moris & doctrinæ antiquæ. Quis, obſecro, ritus publicus olim priuatuſq́ue fuit, quem velut de induſtriâ non tangat? Quod munus, *Qui bonus dux ad mores veteres.* quis magiſtratus, quem non libet? Tangat & libet, dico. non enim explicet: quod inſtitutum eius vetuit & ratio ſcribendi. At viam tamen latam ſternit ad indagandum: & aures atque animum imbuit auditione aliquâ, imò cognitione. Ad quam qui curam deinde adiungit ſubtilius perquirendi, (& id lectorem ſerium decet:) quid eſt quod occultum aut ignarum ei eſſe poſſit, in omni genere ſcriptorum? Itaque operam nihil ludam, ſi eam ponam breuiter in ſcriptoris tam vtilis locis aliquot emendandis aut illuſtrandis. qui iſti.

In Iulio cap. XXVI.

*Eodem temporis ſpatio matrem primò, deinde filiam, nec multò pòſt neptem amiſit.*

Dio Caſſius ab hac lectione eſt, fateor: qui extremo libro XXXIX. ſcribit: ἐν αὐτῷ τούτῳ χρόνῳ καὶ ἡ τοῦ Πομπηίου γυνὴ θυγάτριόν τι τεκοῦσα, ἀπέθανε. *Sub idem tempus Pompeij coniux filiolam quampiam enixa, obiit.* Sed repugnat optimus ille Vatic. codex, qui *nepotem* hîc præfert, non *neptem.* *Diſſenſio, nepóſne an neptis natus Iulio.* Quem ego audio prorſus, ſuaſus à Lucano libro V.

*Dilectus tibi, Magne, ſocer, poſt pignora tanta*
*Sanguinis infauſti ſobolem, mortemq́ue nepotis,*
*Te, niſi Niliacâ, propius non vidit, arenâ.*

Quid enim vitij hîc eſſe potuit in verſu? Addo & Velleium: *Iulia vxor Magni deceſſit: atque omnia inter deſtinatos tanto diſcrimini duces dirimente fortunâ, filius quoque paruus Pompeij, Iuliâ natus, intrà breue ſpatium obiit.* Quos valere pluris apud nos par eſt, quàm illum Græcum.

Cap. LIX.

*Deſpectiſſimum quendam ex Corneliorum genere, cui ad opprobrium vitæ Saluitoni cognomentum erat, ſecum in caſtris habuit.*

Obſcuri

Obſcuri ſanè opprobrij cognomen, lectionisq́. & veritatis incertæ. Alij libri, *Salutioni*, quidam *Salutationi*. Dioni Σαλάττων eſt, libro XLII. προσπαρέλαβέ τινα, inquit, ἐκ τοῦ γένους τοῦ τῶν Σκιπιώνων ὄντα, καὶ τὴν προσηγορίαν ταύτην φέροντα. ἐπεκαλεῖτο δὲ Σαλάττων Meminit & Plinius lib. VII. cap. VIII. in quo legas itẽ *Salutioni*. Omitto interpretum ſomnia: ego veram vocem & aptam opprobrio cenſeam, *Salacioni*. Libidinoſum ſcilicet illum homuncionem fuiſſe, & vitæ ſpurcæ atque impuræ. Ita autem à Salax Salacio, vt à Senex Senecio, & talia.

*Salacio, à ſalacitate.*

## Cap. LXXVI.

*Comitia nulla habuit, Præfectosq́. pro Prætoribus conſtituit, qui præſente ſe res vrbanas adminiſtrarent.*

Hæc quidem de præfectis vrbanis è Dionis XLIIII. clara. ſed rectène, *præſente*? Imò abſente Cæſare, & vicem eius ſubſtituti ſunt: quod ex illo item Græco clarum, & reipsâ. Scribimus igitur, *qui pro ſe res vrbanas*.

*Præfecti vrbis per abſentiam Cæſaris.*

## In Auguſto, cap. XLI.

*Senatorum cenſum ampliauit, ac pro Octingentorum millium ſummâ Duodecies* HS. *taxauit, ſuppleuitq́. non habentibus.*

Locus inſignis & notandus de Senatorio cenſu, qui ſub Auguſto: quem tamen habemus nos pro parum firmo. Nam Duodecies HS. ait. at Dio Caſſius duobus locis diſertè & expreſsè, Decies tantùm. Verba non pigebit me exſcribere in re tantâ. Libro LIIII. hoc ipſum Auguſti factum narrans, infit: τάς τε ἀρχὰς ἅπασι τοῖς δέκα μυριάδων οὐσίαν ἔχουσι, καὶ ἄρχειν ἐκ τῶν νόμων δυναμένοις, ἐπαγγέλλειν ἐπέτρεψε. τοσοῦτον γὰρ τὸ βουλευτικὸν τίμημα τὴν πρώτην εἶναι ἔταξεν, ἔπειτα καὶ ἐς πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας αὐτὸ προήγαγε, καί τισι τῶν εὐβιούντων ἐλάττω, τότε μὲν τὰ δέκα, αὖθις δὲ τὰς πέντε καὶ εἴκοσι, κεκτημένων, ἐχαρίσατο ὅσον ἐνέδει. id eſt: *Magiſtratum capere iis omnibus qui Quadringenta in cenſu haberent, quiq́. aliâs per leges poſſent, permiſit. Hũc enim primò cenſum Senatorium* (parum attentè Xylander, *patricium*) *conſtituerat, quem poſteà ad Decies ſeſtertiûm produxit: & quibuſdam probæ vitæ (qui initiò vel minus Quadringentis, vel poſtea Denis haberent) addidit quod ad cenſum deerat.* Iterumque eodem libro perſeuerat in eâ ſummâ: Ἐκ δὲ τούτου, inquit, ἐξέτασις αὖθις τῆς βουλῆς ἐγένετο. ἐπειδὴ γὰρ τὸ μὲν πρῶτον δέκα μυριάδων τὸ τίμημα αὐτοῖς ὥριστο, διὰ τὸ συχνοὺς τῶν πατρῴων ὑπὸ τῶν πολέμων ἐστερῆσθαι, προϊόντος δὲ τοῦ χρόνου καὶ τῶν ἀνθρώπων περιουσίας κεκτημένων, ἐς πέντε καὶ εἴκοσι προήχθη, οὐκέτι οὐδεὶς ἐθέλοντι βουλεύσων εὑρίσκετο. id eſt: *Exin recenſus denuò Senatorum factus. Quoniam enim primò Quadringentorum iis cenſus definitus, idq́. reſpectu ad bella quibus paternis bonis euoluti multi: poſteà tamen auctis opibus, is quoque auctus & ad Decies* HS. *productus: ægrè iam reperiebatur, qui ſponte Senaturiret.* En, vtrobique clarè adfirmat de Myriadibus vigintiquinque. (ita computatio Græca eſt.) atqui eæ ſanè Latinis legitimum illud Decies efficiunt, non Duodecies quod in Trãquilli libris. Plutarchum audi in M. Antonio, pro te ſummas has æquantem: τὰς, inquit, πέντε καὶ εἴκοσι μυριάδας οἱ Ῥωμαῖοι Δεκιὲς καλοῦσι. *Vigintiquinque myriadas Romani Decies appellant & efferunt.* Igitur aut Dio in hac totâ re turpiter falſus, aut ſcriptura in Suetonio: quod magis cenſeam, ſcribamque

*De ſummâ Senatorij cenſus ambigua ſcriptura.*

*Dio diſſentit palàm à Tranquillo.*

*Xylandri cõniuentia.*

*Myriades vigintiquinque drachmarũ quid Latinis.*

*Reſcriptus Suetonius.*



ſcribamque *Decies*. Nam quod idem Dio diſſentit etiam de Quadringentis (in Suetonio enim duplo numero legis, Octingenta anteà fuiſſe:) non moueor. quia Tranquillus mentem habuit in Senatorio cenſu qui receptus ante Auguſtum, quique vetus: Dio adſpexit mutationem poſt bella ciuica ab eodem Auguſto factam, ſed nouiter nec in longum. Itaq; ſubterhabuit eam Suetonius, quaſi nec fuiſſet. Haud aliter concilio.

*Cõciliatus cum Dione.*

## Cap. XLIII.

*Feciſſe ludos ſe ait ſuo nomine quater: pro aliis magiſtratibus, qui aut abeſſent aut non ſufficerent, ter & vicies.*

Ain tu? ludos tantùm quater dederit Auguſtus? Atqui terdecies conſul fuit, (omitto alias occaſiones:) quo magiſtratu coactus dare more & lege. Sanè anguſtus is numerus pro liberalitate huius Principis, quam Suetonius magnificat & omnibus prioris æui præponit. Scribo, *quater & vicies*, repetitâ eâ voce ex lineâ ſequenti. Imò ambigo, ne etiam pluriens: vt ambitio & effuſio fuit eius æui. nec ſpernã ſiquis mauolet, *quadragies*.

*Creber & largus in ludis Auguſtus.*

*Numerus in Suetonio pleniſſimè falſus.*

## Cap. XLVI.

*Italiam operibus ac vectigalibus publicis plurifariam inſtruxit: etiam iure ac dignatione vrbi quodammodo pro parte aliquâ adæquauit.*

Non eſt dubium quin illud, *quodammodo*, gloſſematium ſit, à ſtricto & Attico ſcriptore noſtro repudiandum.

*Gloſſema ſublatum.*

## Cap. LXIV.

*Nepotes & litteras, & natare, aliáque rudimenta per ſe plerumque docuit: ac nihil æquè laborauit quàm vt imitarentur chirographum ſuum.*

Scio & Romanos & Athenienſes inter gymnaſia natationem habuiſſe: ſcio prouerbium, Neque nare neque litteras. Tamen ægrè perſuadeor huic rei aut voci hîc eſſe locum. De gymnaſiis enim aut exercitiis non agitur: de inſtitutione tantùm & diſciplinâ. Et credimúſne Auguſtum tam aliarum rerum fuiſſe, vt vacare potuerit ad nepotum natationes? Cuique ſua lectio & electio: ego ſcribam, *& notare*. De ſcripturâ enim & puerilibus rudimentis ſermo eſt. itaque & litteras eos docuit, inquit, & notas. Probat quód ſequitur, de chirographo: qui nihil ad natationem. Notandi autem verbum capere etiam potes de ſcriptione per notas crebrâ Romanis.

*Natatio crebra Romanis & Græcis.*

*Pueri litteras & notas docentur.*

## Cap. LXXV.

*Solebat & inæqualiſſimarum rerum ſortes, & auerſas tabularum picturas in conuiuio venditare, incertóque caſu ſpem mercantium vel fruſtrari vel explere: ita vt per ſingulos lectos licitatio fieret, & ſeu iactura ſeu lucrum communicaretur.*

Facilè capimus. nec inſcitum aut improbum aliquid in hac ſcripturâ. niſi quod de eâ vt ambigam me facit admonitio Cl. V. Læuini Torrentij: viri non in omni re litterariâ ſolùm, ſed in poëſi (quod mihi quidem eximium eſt: qui ſcio poëtam præſtantem neminem fuiſſe ſine parte quadam vberiore diuinæ auræ) magni, vel potius ſummi. qui notat in probo libro eſſe, *per ſingulos lotros* non *lectos*: itemq; paulò pòſt, *comitaretur*, pro *communicaretur*. Et mirum ni id rectum ſit: Lotri, inquam ſemigræcâ voce, pro lotionibus: cuius generis voces plures in vſu vulgi, nec

*Læuini Torrentij laus.*

*Diuinatio ex ſcriptura veteri mihi orta.*

*Lotio in cõuiuiis repetita per ſingula fercula.*

nec Suetonio alibi ſpretæ. Aut ſi emendatio adhibenda, legam, *per ſingulos lotus*. hac mente, vt quoties mutarentur fercula & manus lauarent (vſitatum id docui II. Saturnalium) licitatio iſta ex interuallo fieret, & quemque bona ſua aut mala ſors cum fide comitaretur.

In Tiberio cap. LX.

*In quodam itinere, lecticâ, quâ vehebatur, vepribus impeditâ, exploratorem viæ primarum cohortium centurionem ſtratum humi pænè ad necem verberauit.*

*Prætoria cohortes.*

Ordinem numerumque in cohortibus fuiſſe, non nego: conuenire id huic loco nego. ſcriboque, *prætoriarum cohortium centurionem*. Nam Prætoriani ſcilicet comitabantur vſquequaque Principem: ortuſq; error ex epitome ſcriptionis.

Cap LXI.

*Interrogatum eum ſubitò & clarè à quodam nano adſtante inter capreas, cur Paconius maieſtatis reus tamdiu viueret?*

*Copria, pro ſcurris: fœdâ origine vocis.*

*Lactantius explicatus.*

Alij *inter capreas*, interpretantur ſeceſſum Caprearum: imperitè. vir doctus, Capreas capit ſcurras, à laſciuiâ eius animalis & adſuetudine carpendi rodendique. acutè. at mihi *Coprias* reſtitui placeat, veram germanamque vocem. Ita enim Scurras vocitabant: quod primus nos docuit litteratorum rex Scaliger. Exempla in iis ad Feſtum promit. quibus hoc ipſum Suetonij à me nunc adde, & alterum Lactantij lib. v. Inſtit. cap. II. vbi de Cypriano noſtro: *Audiui quemdam diſertum ſanè hominem, qui eum immutatâ vnâ litterâ Coprianum vocaret, quaſi quod elegans ingenium & melioribus rebus aptum ad aniles fabulas contuliſſet.* Ita quidam libri, non *Caprianum*. & rectè. vult enim impius ille deriſor & ipſe verus Coprias, inter ridicularios ſcurraſque Doctorem noſtrum ponere, quaſi qui ad fabellas Chriſtianorum relictâ Romanâ religione auertiſſet.

In Caligula, cap. I.

*Conſul deinde iterum creatus, ac priuſquàm honorem iniret, ad componendum Orientis ſtatum expulſus, cùm Armeniæ regem deuiciſſet, Cappadociam in prouinciæ formam redegiſſet.*

*Falſa rei lectio.*

*Ea reuocata ad veritatem.*

De Germanico Cæſare hæc narrat. quomodo verè? Illéne Armeniæ regem deuicit? Hiſtoriam vide. ne potuit quidem: quia nuſquam tunc bellum cum Armeniis, aut ſuſpicio belli. Veriſſimè & ad rem corrigo: *Armeniæ regem deieciſſet*. Ita enim fuit. Vononem Germanicus regno amouit deiecitque: & impoſuit eius vicem, Zenonem Polemonis Pontici filium. ſed ſine vllâ vi aut armis, auctoritate Romanâ ſaltem, & Armeniis ipſis volentibus. Præter alios, Tacitum noſtrum vide diſtinctè & diffusè libro II. Annal. hæc narrantem.



CAP. XVIII.

*Senecæ Fragmentum inſigne in ſuperſtitionem veterem. multi in eo nec vulgati ritus. Igitur percurſum id à capite, & emendatum, atque illuſtratum. Dij veterum, mixtâ formâ. Lumina iis accenſa. Nomenclatores habuere. Horæ in templis nuntiatæ. Appuleius correctus in templorum velis. Salutationes deorum. Fictores, & Unctores, & Veſtitores. Specula tenebant diis, ſtrigiles & lintea. aliaque ineptiarum veterum.*

*Conatus meus & cœptus in Fragmẽtis colligendis.*

*Qui furto interruptus.*

FRAGMENTA ſcriptorum veterum, adoleſcens olim (vt ferebat illa ætas) cum impetu & labore collegi. quæ diſtinxeram claſſe quadruplici, Oratorum, Hiſtoricorum, Poëtarum, Miſcellorum. Inter Miſcellos præcipuum Varronem poſueram. Atque hæc non in meum ſolùm vſum, ſed publicum: niſi viſum aliter ἀφίλῳ cuidam φίλῳ fuiſſet, qui cœptum hoc omne meum turbauit. non fraude, ne erres; ſed (dicam verè & fortiter, etſi parum comiter) turpi furto. Heu iuuentus! quàm falli facilis ab iis, qui ſcelera ſua velant & tegunt veſte aliquâ doctrinæ! Parit enim hæc admirationem: illa amorem: iſte fidem. Mihi id factum, non diffiteor: & amicus audiui iis, quorum ingenium longè à meo diuertebat, quique ſeorſim ibant à probo more iſto & ore. Inter eos Autolycus ille (latêre enim eum patior, etſi me non latet) qui, præter alias fraudes, partem Fragmentorum eorum è domo meâ abſtulit, malâ & ragace manu. Abſtulit etiam vnà animum in cœpto opere pergendi: quia & difficilis inſtauratio iacturæ eius mihi viſa; & poſteà intellexi Ianum noſtrum Douſam eumdem laborem ſeriò elaboraſſe. cui non vnâ cauſsâ cedo. Amorem adſpicio? ipſi & famæ eius ante meam faueo. Ingenium, doctrinam, iudicium? hæc quoque meis præpono, aut certè compono. & libens, non hîc ſolùm, ſed in omni litterario iſto curſu, vegeto huic & valenti athletæ, feſſus ipſe ac languens, lampadem meam trado. Sed, quod inſtitui, in congerie eâ multâ Fragmentorum, memoriâ teneo Senecæ vnum infuiſſe, quod iamtum valdè mihi placitum acumine, prudentiâ, libertate. addo, & granditate: quia longum & diffuſum, & ſententiarum ac rituum plenum. Placet adeò etiamnunc, vt Electa noſtra hac velut gemmâ ornatum iri cenſeam: ſic tamen, ſi polimen aliquod à me accipiat & candidiorem velut lucem. Exſtat in Auguſtini ſexto De Ciuitate: cuius verba vnà cum ipſis Senecæ paulò diffuſius adſcribam, vel ad continuanda fragmenta ea, vel etiam interpretanda. Sic igitur Antiſtitum ille antiſtes:

*I. Douſæ laus.*

*Falſæ Epiſtolæ Pauli ad Senecã.*

ANNAEVS *Seneca, quem nonnullis indiciis* (quibus ô Auguſtine? illíſne Epiſtolarum ad Paulum? Suſpicamur id te ſuſpicatum. ſed fruſtrà: quia vanæ illæ, & ab inſcito impoſtore: & bonis ſanè humeris Hieronymus, qui admiſit, & habuit fidem. Tamen quid indiciis opus? aquâ & aëre iſto liquidius eſt, comparem ætate Senecam Apoſtolis fuiſſe, & vixiſſe

Claudij ac Neronis æuo) *inuenimus Apoſtolorum claruiſſe temporibus, in eo libro quem contra ſuperſtitiones condidit, multò copioſius atque vehementius reprehendit ipſe ciuilem iſtam & vrbanam Theologiam, quàm Varro Theatricam atque fabuloſam. Cùm enim de ſimulacris ageret,*

I. Fragmētum. *,, Sacros, inquit, immortales inuiolabiléſque deos in materiâ viliſſimâ atque*
*,, immobili dedicant. Habitus illis hominum ferarumq́; & piſcium, quidam*
*,, verò mixto ſenſu diuerſis corporibus induunt. Numina vocant, quæ ſi*
*,, ſpiritu accepto ſubitò occurrerent, monſtra haberentur.*

*Deinde aliquantò pòſt, oppoſuit ſibi quæſtionem, & ait:*

II. *,, Hoc loco dicet aliquis, Credam ergo cælum & terram deos eſſe? & ſupra Lu-*
*,, nam alios, infra alios? Ego feram aut Platonem, aut Peripateticum Stra-*
*,, tonem, quorum alter fecit deum ſine corpore, alter ſine animo?*

*Et ad hoc reſpondens,*

III. *,, Quid ergo tandem? veriora tibi videntur T. Tatij, aut Romuli, aut Tulli*
*,, Hoſtilij ſomnia? Cluacinam T. Tatius dedicauit deam, Picum Tiberinumq́;*
*,, Romulus; Hoſtilius Pauorem atq; Pallorem, teterrimos hominum adfectus.*
*,, quorum alter mentis territæ motus eſt, alter corporis, nec morbus quidem*
*,, ſed color. Hæc numina potius credes, & cælo recipies?*

*De ipſis verò ritibus crudeliter turpibus, quàm liberè ſcripſit?*

IV. *,, Ille, inquit, viriles ſibi partes amputat: ille lacertos ſecat. Vbi iratos deos*
*,, timent, qui ſic propitios merentur? Di autem nullo debent coli genere, ſi*
*,, & hoc volunt. Tantus eſt perturbatæ mentis & ſedibus ſuis pulſæ furor,*
*,, vt ſic dij placentur, quemadmodum ne homines quidem ſæuiunt. Teterrimi*
*,, & in fabulas traditæ crudelitatis tyranni, lacerauerunt aliquorũ membra:*
*,, neminem ſua lacerare iuſſerunt. In regiæ libidinis voluptatem caſtrati*
*,, ſunt quidam, ſed nemo ſibi ne vir eſſet iubente domino manus intulit. Se-*
*,, ipſi in templis contrucidant, vulneribus ſuis ac ſanguine ſupplicant. Sicui*
*,, intueri vacet, quæ faciunt quæq́; patiuntur, inueniet tam indecora hone-*
*,, ſtis, tam indigna liberis, tam diſſimilia ſanis; vt nemo fuerit dubitaturus*
*,, furere eos, ſi cum paucioribus furerent. Nunc ſanitatis patrocinium, in-*
*,, ſanientium turba eſt.*

*Iam illa quæ in Capitolio ipſo fieri ſolere commemorat & intrepidè omnino coarguit, quis credat niſi ab irridentibus aut furentibus fieri? Nam cum in ſacris Ægyptiis Oſirim lugeri perditum, mox autem de inuento magnum fuiſſe gaudium deriſiſſet,*

V. *,, Huic tamen, inquit, furori certum tempus eſt. tolerabile eſt ſemel in anno*
*,, inſanire. In Capitolium perueni. pudebit publicatæ dementiæ, quod*
*,, ſibi vanus furor adtribuit, officij. Alius numina Deo ſubiicit, alius ho-*
*,, ras Ioui nunciat, alius lictor eſt, alius vnctor, qui vano motu brachio-*
*,, rum imitatur vngentem. Sunt quæ Iunoni ac Mineruæ capillos diſpo-*
*,, nant; longè à templo non tantùm à ſimulacro ſtantes, digitos mouent or-*
*,, nantium modo. Sunt quæ ſpeculum teneant, ſunt quæ ad vadimonia ſua*
*,, deos aduocent, ſunt qui libellos offerant & illos cauſam ſuam doceant.*
*,, Doctus archimimus ſenex iam decrepitus, cottidie in Capitolio mimum*
*,, agebat; quaſi dij libenter ſpectarent, quem homines deſierant. Omne illic*
*,, artificum genus operantium dis immortalibus deſidet.*

*Et*



*Et paulò pòſt:*

*,, Hi tamen, inquit, etiamſi ſuperuacuum vſum, non turpem nec infamem* VI.
*,, deo promittunt. Sedent quædam in Capitolio, quæ ſe à Ioue amari pu-*
*,, tant: nec Iunonis quidem, ſi credere poëtis voles, iracundiſſimæ reſpe-*
*,, ctu terrentur.*

*Hanc libertatem Varro non habuit; tantummodo poëticam Theologiam reprehendere auſus eſt, ciuilem non auſus eſt, quam iſte concidit. Sed ſi verum attendamus, deteriora ſunt templa vbi hæc aguntur, quàm theatra vbi finguntur. Vnde in his ſacris ciuilis Theologiæ has partes potiùs elegit Seneca ſapienti, vt eas in animi religione non habeat, ſed in actibus fingat. Ait enim:*

*,, Quæ omnia ſapiens ſeruabit tamquã legibus iuſſa, non tamquam dis grata.* VII.

*Et paulò pòſt:*

*,, Quid quòd & matrimonia deorum iungimus? & ne piè quidem, fratrum* VIII.
*,, ſcilicet & ſororum. Bellonam Marti collocamus, Vulcano Venerem, Ne-*
*,, ptuno Salaciam: quoſdam tamen cælibes relinquimus, quaſi conditio defe-*
*,, cerit. præſertim cùm quædam viduæ ſint, vt Populonia vel Fulgora, &*
*,, diua Rumina: quibus non miror petitorem defuiſſe.*
*,, Omnem iſtam ignobilem deorum turbam, quam longo æuo longa ſuperſti-* IX.
*,, tio congeſſit, ſic, inquit, adorabimus, vt meminerimus cultum eius magis*
*,, ad morem quàm ad rem pertinere.*

En fragmenta, & quidem tota. Iuuit enim deſcribere: atque vtinam plura! Nam quid non ſolùm liberius, ſed melius, acutius, prudentius potuit, in impiam illam pietatem? Et ſi non vagus aut vanus tibi ſenſus; habebis, Lector, quod huic etiam æuo ſeruiat: quo religionum, vt ſic dicam, thyrſo percuſſæ, bacchantur ac gallantur multorum mentes. Sed vt maneam in meo circo: promit hæc Auguſtinus è libro Senecæ quem contra Superſtitiones ſcripſit. Qui, vt optima pleraque, periit: ſed memoria tamen eius apud Tertullianum etiam, in Apologetico hoc velut auctoritatis firmæ telum intorquentem contra Gentes. *Infrendite,* inquit, *inſpumate; iidem tamen eſtis qui Senecam aliquem pluribus & maioribus de Superſtitione veſtrâ perorantem reprehendiſtis.* Vbi ſcripſiſſe Doctorem magnum cenſeo, *aliquampluribus*: quâ formâ & coniunctione in Appuleio, imò & in Ciceronis Verrinis lego, *aliquammultos.* Et alludere quidem Tertullianus ad hunc titulum videatur: non tamen nego, quin pluribus locis imò libris hoc argumenti genus tractarit Annæus. præſertim in Exhortationibus: quas Lactantius aliquotiens nominat, & adducit ſententias haud diſpares iſtis. At Fragmenta ipſa ordine videamus.

*Senecæ liber De Superſtitione.*

*Tertullianus periuam emēdatus.*

Fragm. I.

*Quidam verò mixto ſenſu, diuerſis corporibus induunt.*

Libri veteres, *mixto ſexu.* quod haud improbo, quaſi è mare & fæminâ compoſiti quidam diui: vt Hermathenæ, Hermeracles. *Mixto ſenſu* tamen præferam, vt velit deos componi & miſceri ex hominibus ſimul feriſque, & animantibus quibus diuerſi ſenſus. Quod in * picturâ & fictura ſtultiſſimè receptum illis ſcimus.

*Dij mixtî ſexu, aut ſenſu.*

* Adi Epiſtolicas noſtras lib. I. epiſt. XX.

Fragm. III.

*Quorũ alter mẽtis territæ motus eſt; alter corporis: nec morbus quidẽ, ſed color.*

 Si atten-

Si attendis, omnino ex ſubiectâ ſententiâ, vtrobique aut *motus*, ſcribendum, aut *morbus*. atque illud potius.

Fragm. IV.

*Vbi iratos deos timent, qui ſic propitios merentur?*

*Ridicula pietas ſeſe cædentium.*

Acutè. nec alius Quinctiliani priſci illius & Attici (ita me iudice audiet) declamatoris ſenſus, in Fanatico: *Iſtud ſi deus cogit, iratus eſt.*

Ibidem.

*Sed nemo ſibi ne vir eſſet, iubente domino, manus intulit.*

Mallem, *lubente animo*. Nam vt à dominis quidam ad id adacti, cur pernegemus?

Fragm. V.

*Alius numina deo ſubiicit.*

*Cerei in templis accenſi.*

Legebam, *lumina*. & carpi cenſebam eos, qui cereos lychnóſque paſſim clarâ luce accendebant in templis. Lactantius libro VI. *Mactant hoſtias deo, tamquam eſurienti, profundunt vina, tamquam ſitienti; accendunt lumina, velut in tenebris agenti.* At liber vetus & bonus, quem nactus ſum ex diſſipatâ bibliothecâ Batauâ Egmundanâ, refert, *nomina*. & vide num occultior ritus ſit, tamquam diis adſtiterint ſui nomenclatores, qui ſalutantium ſiue adorantium nomina velut neſciis ingererét; ambitione videlicet & ritu qui inter proceres Romanos. Mihi hoc adſidere ineptiis iis videatur, quæ ſequuntur.

*Diis nomẽclatores ſui.*

Ibidem:

*Alius horas Ioui nunciat.*

*Horæ iis acclamatæ.*

Ita enim mos paſſiuè apud alios etiam deos. Martialis de Iſide: *Nunciat octauam Pariæ ſua turba iuuencæ.* Appuleius libro XI. de eâdem: *Ac dum valuis candentibus reductis in diuerſum, deæ venerabilem conſpectum apprecamur, & per diſpoſitas aras circumiens ſacerdos rem diuinam procurat, ſupplicamentis ſollemnibus de penetrali fonte petitum ſpondeon libat: rebus ritè conſummatis, incohatæ lucis ſalutationibus, religioſi primam nunciantes horam perſtrepunt.* Quo loco obiter legendum moneo, *dum velis candentibus*, fide ſcripti mei libri. Et ſanè vela fuiſſe ſcimus ante ſanctiores aras ſtatuaſq; (etiam apud Iudæos) quæ adduci ſolitum & reduci. Idem Mileſius ſcriptor, de ſe initiato: *Sic ad inſtar Solis exornato, & in vicem ſimulacri conſtituto, repentè velis reductis, in aſpectum populi errabam.* Quin & Chriſtianorum templis ſimilis ornatus. Paulinus Nolanus:

*Appuleius correctus.*

*Vela oppanſa aris aut ſtatuis.*

*Aurea nunc niueis ornantur limina velis.*

& alibi in VI. Natali Felicis. Ita enim & hæc ex eodem meo codice emendo. Ceterùm ſolemnes ſalutationes has deorum, vt multa, è tenebris eruit Ioſ. Scaliger Notis in Tibullum: quibus appoſitè hunc è Seneca locum addes, & alterum ex Epiſtola XCVI. *Vetemus ſalutationibus matutinis fungi, & foribus aſſidere templorum. humana ambitio iſtis officiis capitur: deum colit, qui nouit.* Sed pergo in Fragm. eod.

*Salutationes matutinæ deorũ.*

*Alius lictor eſt, alius vnctor.*

*Fictores deorum.*

Diſplicet hîc lictor. ſcribo, *fictor*. Id enim nomen inter officia diuina. In lapidibus legi: DISCIPVLVS. FICTORVM. PONTIFICVM. item: FICTOR. V. V. id eſt, Virginum Veſtalium. alibi: FICTORES. PONTIFICVM.



TIFICVM. Quid fuerint, Iſidorus explicat apertè ſimul & ad noſtram mentem aptè: *Fictor*, inquit, *à componendo & fingendo, velut qui capillos mulierum linit & pertractat, vngit & nitidat.* Nam aliâs Fictor Latinis, qui Græcis Plaſtes: notione magis vulgari. Agnoſcit autem has eaſdem vanitates in deorum cultu etiam Artemidorus libro II. cap. XXXIV. περὶ θεῶν τιμῆς. Ait: ἐκμάσσειν δὲ θεῶν ἀγάλματα, ἢ καθαίρειν, ἢ ἀλείφειν, ἢ σαροῦν τὰ πρὸ τῶν νεῶν καὶ τὰ πρὸ τῶν ἀγαλμάτων, ἡμαρτηκέναι τι εἰς αὐτοὺς ἐκείνους τοὺς θεοὺς σημαίνει. Sed & Veſtitores ſuos diis fuiſſe, Iulius Firmicus me docet libro III. *Mercurius*, inquit, *cum Venere in tertio ab horoſcopo loco, faciet veſtitores deorum.*

*Quid fuerint.*

*Veſtitores deorum.*

Ibidem:

*Sunt quæ ſpeculum teneant.*

*Specula iis oſtenſa, ad cultum.*

Inſignis nec vulgò nobilis hic ritus. Speculum autem diis præſertim fæminis tenebant oſtendebantque, quaſi ad inſpiciendum explorandumque ſatiſne cultæ. Seneca ipſe in Epiſtolis: *Vetemus lintea & ſtrigiles Ioui ferre, & ſpeculum tenere Iunoni.* Vbi lintea & ſtrigiles ad balnea ſcilicet referes, quaſi lotione quoque Ioui vſus. Appuleius de hiſdem ſpeculis benè illuſtrat, Mileſiar. XI. De pompâ Iſidis: *Mulieres*, inquit, *candido ſplendentes amicimine, verno florentes coronamine, quæ de gremio per viam, quâ ſacri incedebant comitatus, ſolum ſternebant floſculis. aliæ, quæ nitentibus ſpeculis ponè tergum reuerſis, venienti deæ obuium commonſtrarent obſequium.*

*Strigiles adhibitæ ad frictum: lintea ad exterſum.*

Ibidem:

*Sunt quæ ad vadimonia ſua deos aduocent.*

Imo, *qui*. nec viros ab his nugis excernamus: quorum vadari certè eſt, & hæc forenſia obire, non fæminarum.

Ibidem:

*Doctus Archimimus ſenex iam decrepitus.*

*Archimimi nomen latens.*

Itáne Docti adiectio conueniens Mimo? non meo ſenſu: putémque nomen certi hominis fuiſſe, & ſcribendum *Docimus Archimimus*, aut *Docio*. Memoria non ſemper mihi prompta: tamen lectum ſimile aliquod mimi nomen confuſè mihi eſt in mente. In iiſdem etiam verbis lego, *ſenex, imò decrepitus.*

Fragm. VI.

*Etiamſi ſuperuacuum vſum, non tamen turpe neci nfamem deo promittunt.*

Haud mutem: &, *deo promunt*, tamen verius cenſeo.

Fragm. VIII.

*Quibus non miror petitorem defuiſſe.*

Erige ſententiam iacentem interrogandi notâ, & ſcribe, *mirer*. Nec plura ad hos ritus: in quibus perclara imago vanitatis & erroris priſci; à quo quantum beneficium eſt, quod eripuit nos melior ille deus?

CAP.

## CAP. XIX.

*In Floro complura ab ingenio aut à libro emendata. Subrecti vel ſurrecti vox. Lucilius correctus & explicatus. Vmbri veteres Italiæ incolæ. Remos detergere, nauticum verbum. Poſtpoſitio copulæ notata, & Agellij firmatæ ſcripturæ veteres. Perſes rex è templo receptus. Plebs hereditatis iure poſcebat agros. & notæ plures.*

ANNÆVS Florus, etſi acrium aliquot Criticorum manus ſubiit, non effugiet tamen meas. Medicinam à me aliquot locis accipiet, aut quis ſcit ſi nouas plagas? Verè enim anceps noſtrum auxilium, imò ſæpe præceps: & conuenit illud Homeri in iſta,

Φάρμακα πολλὰ μὲν ἐσθλὰ μεμιγμένα, πολλὰ δὲ λυγρά.

Libro I. cap. XIII. De Gallis:

*Hi quondam ab vltimis terrarum oris, cùm cingerentur omnia Oceano, ingenti agmine profecti.*

*Oceanus magnus, terras circumfluus.*

Liber ſcriptus qui apud me, hîc melior: *ab vltimis terrarum oris & cingente omnia Oceano.* Magnum enim hoc noſtrum mare intellegit, orbique circumfluum.

Cap. XVI. De Caudinæ cladis deterſâ ignominiâ:

*Et vltionem flagitans miles, Papirio duce, (horribile dictu) ſubiectis enſibus per ipſam viam ante pugnam furit.*

*Subrecti enſes.*

Lege, *ſubrectis*: & acrem ardorem hinc militis pugnaturientis percipies. Liuius in eâdem re ſcripſerat: *Strictis ante pugnam gladiis.* Eadem vox reſtituenda Lucilio, in hiſce verſibus,

*Subiectum mœtinum, ſiue Phallus.*

*Nam quid mœtino ſubrectóque huic opus ſigno?*
*Vt lurcaretur lardum & carnaria patrum*
*Furtim conficeret.*

non, vt viri docti etiam edunt, *ſubiectóque.* Nam ſubrectum illud ſignum, res turpicula eſt; quæ appendi contra faſcinum ſolita. Plinius: *Contra faſcinationes in remedio ſunt Satyrica ſigna.* Satyri nimirum picti & ficti ſemper, rebus iis ſurrectis: ſicut & Hermæ illi viales aut hortenſes. Macrobius lib. I. *Plerumque etiam ſimulacra Mercurij quadrato ſtatu figurantur, ſolo capite inſigniti, & virilibus erectis.* Hoc diduxi: quia doctiſſimo *Turnebo hîc nubecula: qui Mutinum etiam interpretatur in illiſce verſibus, ſilentij deũ. At nos ex Feſto & Arnobio longè aliũ eum ſcimus.

*Id contra faſcinum.*

*Lib. XVII. Aduerſ. cap. XXII.

Cap. XVII.

*Hactenus populus Romanus bellum cum ſingulis gentium: mox aceruatim, tamen ſic quoque par omnibus. Etruſcorum duodecim populi in id tempus incitati, antiquiſſimus Italiæ populus Samnitium, reliqui in excidium Romani nominis repentè coniurant.*

*Expletus Florus.*

Hæc confuſa, mutila, partim falſa. Corrigo & expleo à meo libro, *Etruſcorum* XII. *populi, Vmbri in id tempus intacti antiquiſſimus Italiæ populus, Samnitium reliqui in excidium,* &c. Omnino enim inſerendum id de Vmbris, qui intacti, & vt Liuius in hac ipsâ re ait, *integri à cladibus belli*: non autem Etruſci aut Samnites. Sed & iidem Vmbri rectè antiquiſſimus Italiæ populus: quod & Dionyſius non abnuit, libro primo.



Eod. cap. de Fabio Maximo in Etruſcos pugnante:

*Nam ſubitò inconditos atque palantes aggreſſus eſt, captiſq; ſuperioribus iugis in ſubiectos ſuo more detonuit.*

*Subtilior in eodem diuinatio. Fabij cum Ioue comparatio.*

Quid illud, *ſuo more*? An ſæpius id à Fabio factum? Parum aptum, & vanum eſt: ſcripſerimque, *Iouis more.* Spectauit enim ad Detonandi verbum: & certè ſequitur, *Ea namque ſpecies fuit illius belli quaſi in terrigenas è cælo ac nubibus tela mitterentur.* Itaque omnino cum Ioue eum comparare voluit, & quidem gigantes ex alto attonante.

Cap. XXII.

*Cum Senatu quoque de æquo bonóque certatum eſt: adeò vt relictis ſedibus ſolitudinem & interitum patriæ ſuæ minarentur.*

*Vehementius æquo certatum.*

Certamina inter Senatum & plebem, at non de æquo & bono. Scribe cum meo libro, *Cum Senatu quoque vehementius æquo bonóque certatum eſt.* id eſt, acrius quàm æquum bonumq; eſſet.

Libro II. cap. II. De pugna Duilij nauali:

*Prælij verò fama mirabilis, cùm illas celeres volucréſque hoſtium naues, hæ graues tardæq; comprehenderent. Longè illis plus nauticæ artis, detorquere remos, & ludificari fugâ roſtra. Iniectæ enim ferreæ manus, machinæq; aliæ, ante certamen multum ab hoſte deriſæ.*

*Longè illis artes.*

*Cæſar correctus.*

*Detergere remos.*

Locus non ſemel vitioſus. Primùm lego, *prælij verò forma mirabilis.* non *fama.* De ipsâ enim imagine habituque pugnæ loquitur, non de rumore. Deinde ex priſco libro, *longè illis nauticæ artes.* omnino eleganter. Procul, inquit, Pœnis maritimæ ſuæ artes & ſine vſu, contra vim fortunamque Romanam. Genus dicendi elegans, huic noſtro infrà iteratum, & in Cæſare etiam corruptum, lib. I. *Longè iis fraternum nomen populi R. abfuturum.* ſcribendumque, *futurum.* Poſtremò iterum è coniecturâ, *detergere remos.* Quid enim artis in detorquendis remis? nec ſanè legi. At detergêre, nauticâ & maritimâ phraſi, nimis crebrò. quod non aliud, quàm tranſuerſæ nauis hoſtilis cum impetu & tranſcurſu remos perfringere, auferre, & velut puram ab iis reddere. quâ formâ Detergere palmites, ſcriptum Columellæ: Detergere pinnas muri, Liuio. Cæſar de Maſſilienſibus: *Pluribus nauibus adoriri ſingulas, aut remos tranſcurrentes detergere, ſi poſſent, contendebant.* Liuius XXXVI. *Duæ regiæ vnam circumſiſtunt, & ab vtroque latere remos detergent.* & exempla obuia.

Ibidem:

*Metello igitur Conſule, ſpirantibus altius Pœnis & reuerſo in Siciliam bello, apud Panormum ſic hoſtes cecîdit, vt ne amplius ea inſula concitaretur.*

Vetus, *vt nec amplius eam inſulam concitarent.* ego, *cogitarent,* rectũ cenſeo.

Cap. VI. De Fabij legati animoſâ voce & facto in curiâ Carthaginienſium:

*Quæ, inquit, mora eſt? Fabius. in hoc ego ſinu bellum affero & pacem. vtrum eligitis, vtrum placet, ſumite. Cúmque ſucclamatum eſſet,* &c.

*Circumciſus Florus.*

Multò breuius & concinnius noſter; *in hoc ego ſinu bellum pacémque porto. vtrum eligitis? Cumq́; ſuccl.*

Ibid. De liberali ſtudio Romanorum in patriam:

*Opes ſuas libens Senatus in medium protulit, nec præter quod in bullis, cingulis, atque anulis erat, quidquam ſibi auri reliquêre.*

*Non aurum in Senatorũ cingulis.*

*Copula, Atq; trãſpoſita aut poſtpoſita. Agellij lectiones firmatæ, quas temerè ſolicitant.*

Apage aurum cingulare. non hoc Romanum. Scribe, *ſingulis atque anulis*. Auguſtinus III. De Ciuitate Dei, hac ipſâ in re: *Præter ſingulos anulos aureos ſinguláſque bullas, miſerabilia dignitatis inſignia, nihil ſibi auri Senatus ipſe reliquit.* Corrumpendo loco tranſpoſitio illa copulæ fuit, priſcis tamen vſitata, & per me nunc reuocanda. In Agellio lib. I. cap. II. *Totiúſque villæ venuſtate, aquis vndique, canoris atque auibus perſonante.* In eodem, libro XIX. cap. I. *Nihil de periculo, de ſæuitiâ atque remiſſum.* Et cap. IX. *Poculis mox, ſermonibus atque tempus fuit.* Quæ tamen omnia mutant contra libros & corrumpunt. Atqui in vetere etiam lege Mamiliâ clarè: *Municipibus, eis atque in quorum agro id factum erit.* Notet, atque imitetur iuuentus.

Ibidem:

*O populum dignum orbis imperio, dignum omnium fauore & adminiſtratione hominum ac deorum!*

Vetus, *admiratione hominum*. rectiſſimè:

Cap. VIII. De bello Antiochico:

*Hoc velut ſidere Aſiatici belli mota tempeſtas, & maximus regum conuentus fortiter indicto bello, cùm ingenti ſtrepitu ac tumultu mouiſſet ex Aſiâ, ocia & luxus tamquam victor agitabat.*

Vetus, *indixiſſe bellum.* ex quo ſcribo, *maximus regum contentus fortiter indixiſſe bellum.* ſententia planâ & verâ. Non enim tam geſſit bellũ, quàm mouit.

Cap. X.

*Gallogræciam quoque Syriaci belli ruina conuoluit. Fuerant inter auxilia regis Antiochi. An fuiſſet cupidus triumphi Manlius, an eos viſos ſimulauerit, dubium. certè negatus eſt victori triumphus, quia cauſſam belli non approbauit Senatus.*

Diſtinctione & correctione ſententiam totam expedio: *Fuerint inter auxilia regis Antiochi, an fuiſſe cupidus triumphi Manlius ac eos viſos ſimulauerit, dubium.* Réne ipſa auxiliatores Antiocho fuerint, inquit, an famâ tantùm & ſermone Manlij, ambigitur.

Cap. XII.

*Multò vehementius ſub hoc Macedones, quàm ſub patre conſurgunt. Quippe Thracas in vires ſuas traxerant. Atque ita induſtriâ Macedonum, viribus Thracum, diſciplinam Macedonicam temperauere.*

*Auctus Florus.*

Plenius veriuſq; iſta meus codex: *Atque ita induſtriam Macedonum viribus Thracum, ferociam Thracum diſciplinâ Macedonum temperauere.*

Ibidem, de Capto Perſe:

*Sed nec reuerentior captæ maieſtatis alius Paullo fuit. cùm in conſpectum veniſſet hoſtis, in templum recepit, & in conuiuiis adhibuit, liberoſq; admonuit ſuos vt fortunam cui tantum liceret reuererentur.*

*Falſa rei lectio.*

Aliquantiſper anxium me habuit locus. Quomodo enim in templum receptus Perſes? quod nemo tradidit: imò omnes contrà, in tabernacu-





lum Paulli deductum & in caſtra. Vetus liber, *receperat*, non, *recepit*. ex quo occaſio mihi bellæ coniecturæ: *cùm in conſpectum veniſſet hoſtis (nam templo receperat) & in conuiuiis*, &c. Atque hæc ipſa res eſt. Perſes in templum confugerat. inde ab Octauio eductus, & ad Paullum in prætorium perductus, eodem die conuiuio comiter adhibitus, & ceteri honores habiti. Liuium ac Plutarchum vide.

*Submota per coniecturam probam. Perſeus è templo Samothracum eductus.*

Cap. XV. De Carthaginis incendio:

*Quod domibus ac templis ſuis ſpontè hoſtes immiſerant, vt quatenus vrbs eripi Romanis non poterat triumphis, arderet.*

*Acuta ſententia repoſita.*

Acumen & lucem ſententiæ reddo: *quatenus vrbs eripi Romanis non poterat, triumphus arderet.* Carthaginienſes, inquit, ſua ipſi templa ædeſque incenderunt: vt quoniam vrbs eripi iam Romanis non poterat, ſaltem inſtrumenta triumphi & prædam ne haberent.

Libro III. cap. V. De Bellis Mithridatæis:

*Ictum cum Ponticis fœdus. recepit [Sulla] Bithyniam à rege Nicomede, ab Ariobarzane Cappadociam. ac ſic erat Aſia rurſus noſtra, vt cœperat.*

*Florus ex hiſtoriâ emendatus.*

Hæc manifeſtè παρὰ ἀλήθειαν καὶ ἱστορίαν. Scribe verò, *recepit Bithyniam à rege Nicomedes, Ariobarzanes Cappadociam.* Non enim Sulla aut Romani, ſociis regibus & eo bello benè meritis, auita regna extorſerunt; ſed contrà, Mithridati erepta reddiderunt. Appianus, Plutarchus, & alij, clarè in hoc ipſo fœdere Sullano.

Ibidem, De Pompeio:

*At in Septemtrionem Scyticum iter tamquam in mari ſtellas ſecutus, Colchos cecidit.*

*Sequi iter ſtellis.*

Optimè liber ſcriptus, *tamquam in mari, ſecutus ſtellis.* quaſi vagum illud & ignotum Romanis iter ad ſtellas direxerit, vt curſum nautæ. Et ſtatim, *excîdit*, pro, *cecidit*. Vulgata lectio obſcura & cum fluctu.

Cap. VI.

*Ipſas Propôtidis fauces Porcius Cato, ſic obditis nauibus, quaſi portâ obſeruauit.*

*Similitudo pulchrè ſignificans.*

Lego illuſtri imagine, *obditis nauibus quaſi portâ, obſerauit.*

Cap. XIIII. De ſeditionibus agrariis:

*Reduci plebs in agros vnde poterat, ſine poſſidentium euerſione? qui ipſi pars populi erant. Et tamen relictas ſibi à maioribus ſedes ætate quaſi iure hereditario poſſidebant.*

*Plebi in agris hereditarium ius.*

Non ea mens Flori defenſum euntis poſſeſſores. attẽde. ſed contrà quid pro eiectâ plebe dici poſſet, adiecit. Itaque veteri libro rectè abeſt τὸ *ætate.* quo duce coniicio deinceps, *hereditario iure poſcebant.* Plebs ſcilicet fraude, vi, pecuniâ potentium eiecta agris, &, vt ipſe capite ſequenti loquitur, laribus focíſque exſul; ſedes veteres à maioribus relictas, vt hereditatem, repetebat.

Cap. XVIII.

*Ipſe Iulius Cæſar exercitu amiſſo, cùm in vrbem cruentus referretur, miſerabili funere mediam etiam vrbem peruiam fecit.*

*Voces duæ in vnam contractæ.*

Siue de Iulio hæc verè, ſiue potius de Rutilio (nam alij Annales aliter:) tamen de peruiâ vrbe factâ haud conuenit. Omnino lego, *vrbem permadefecit*, compulſis vocibus quæ malè diductæ.

Lib. IIII. cap. I. De coniuratione Catilinæ:

*Tanti ſceleris indicium per Fuluiam emerſit, viliſſimum ſcortum ſed parricidij innocens. Tum Conſul* &c.

Vetus, *ſed patriciis innocens.* Lego, *patriciis innocentius. Conſul* &c.

Cap. II.

*Numquam imminentis ruinæ manifeſtiora prodigia. fuga victimarum, examina, inſignes interdiu tenebræ.*

Auctore libro, *examina inſignis*, veriſſimè.

Ibidem:

*Photinus atq. Ganymedes, diuerſi per mare, & transfugio, & morte cōſumpti.*

Egregiè idem liber, *diuiſa per mare, & terras fugâ, morte conſumpti.*

Ibidem:

*Quinam ille horror, cū eodē tempore fluctus. procellæ, armamēta confligerent?*

*Expletus Florus.*

Noſter codex, *procellæ, viri, naues, ſcementa, confligerent?* optimè. ſic tamen vt, *elementa*, reſtituam, pro ſpurcâ eâ Scementorum voce.

Ibid. de nece Iulianâ.

*Nec diutius dilatio donata eſt. ſed Brutus, Caſſius, aliiq; patricij, conſenſerunt in cædem Principis.*

*Falſa adſertio remota.*

Patriciíne? Atqui Caſſius ipſe quem nominas, & plerique coniurati alij, è plebeiis. Emendo, *aliiq; patrum.* E Senatu enim dumtaxat fuiſſe eos ſignificat, non è patriciis.

Cap. vlt.

*Aſtures per idem tempus ingenti agmine à montibus ſuis deſcenderant. nec tenuêre ſuos, vt barbari impares: ſed poſitis caſtris apud Aſturum flumen, trifariā diuiſo agmine, tria ſimul Romanorum agmina inuadere parabant.*

*Proba è libro emendatio.*

Longè diuerſa libri mei lectio, & palàm probior: *nec temerè ſumpta, vt barbaris, ſpes: ſed poſitis caſtris.* Non hæc deſcenſio temeritatis fuit, inquit, quæ agnata barbaris: ſed conſilij & aſtutiæ. cum effectu quidem, niſi proditio interueniſſet. Sed facio finem, cùm pluria ſanè habeam in hunc ſcriptorem. verùm hæc ipſa nónne nimia? quibuſdam ſcio, qui ad Capita iſta paulò pleniora nauſeant & faſtidiunt, ipſi rerum vacui. Quibus Critice hæc in ſpeciem eſt, non in vſum: qui in multas areas pedeſque diuidant vnicum hunc agellum. At me diffindere & partiri hæc talia iam piget tædetq;: admetiar ea potius perticis, imò iugeribus totis. Tibi autem, Lector, quantulum eſt, adnotare hæc ad oras tui libri? Laborem certè quærendi, cogitandi, nonnihil minuit tibi labor noſter.

## CAPVT XX.

*M. Ciceronis obſcuro loco fax prælata. Quis Fænicularius campus! & Strabo ſtrictim emendatus.*

AMBVLABAM otioſè domi ſub meridiem. occupauit me Andræas Schottus inſignis iuuenis, & Da operam magiſter, inquit: nubes mihi ænigmatis eſt in Ciceronis hiſce verbis, quam ſol ille Galliæ Turnebus pellere conatus non pellit. Verba ecce è lib. XII. ad Attic. Epiſt. IX.

*Scribe*



*Scribe quæſo quid referat Celer egiſſe Cæſarem cum candidatis. vtrum ipſe in Fænicularium, an in campum Martium cogitet?*

*Turnebi, non recta interpretatio.*

Quæ Turnebus nimis profectò frigidè & errabundè interpretatur, quaſi alluſio hîc ad fænus vſuraſque. Sententiam autem eſſe, Scribe quæſo vtrum Celerius profitendi nomen ſuum inter candidatos impetrarit, an potius depoſitâ ambitionis omni curâ redire cogitet ad ſuum fænus. Symeonem etiam Boſium conſului, magnum virum & Epiſtolarum iſtarum lucidam plerumque facem: at hîc ſilet. Tu quid iuuas? quid cenſes? Ego ad eum ſubridens, Ita me captas? inquam. an cenſes, vt cum Platone dicam, me eſſe λόγων θύλακον? Tamen hîc non capies, & è tenebroſo loco me emergam bono & fido duce. Is Strabo eſt, qui ſolus, vt opinor, euoluet tibi hoc inuolutum. Scribit lib. IIII. in Hiſpaniæ deſignatione, de viâ quadam: φέρεται δὲ ἐπὶ Ταρακῶνα, ἀπό τε τῶν ἀναθημάτων τοῦ Πομπηΐου διὰ τοῦ Ἰουγαρίου πεδίου καὶ Βετέρων καὶ τοῦ Μαραθῶνος καλουμένου πεδίου τῇ Λατίνῃ γλώττῃ, φύοντος πολὺ τὸ μάραθρον. id eſt: *Fert autem hæc via Tarraconem verſus à Pompeij Tropæis, per campum Iugarium, & Vetera, & qui Latinâ linguâ Fænicularius campus dicitur, à copia Fæniculi quē gignit.* Pulſa tibi omnis nubes, ſi legis hæc oculo non conniuente. Nam loca aliquot nota & nobilia nominat, in queîs crebrò exercitus Romani, ideoq; Romana iis etiam nomina: interq; alios Fænicularium hunc campum. Clara igitur Ciceronis mens, Scribe quid Celer de Cęſaris conſiliis dixerit. vtrúmne in campum Martium cogitet ad comitia, an in Fænicularium (id eſt, in Hiſpaniam) & ad reliquias belli? Turnebum autem θεοείκελον ἄνδρα, vt Homericum epithetum eſt, ſine contumeliâ dimittamus: mirati potius, quomodo à Fænore Fænicularium deriuarit, quàm irati. In Strabone etiam, μαραθρωνίου leges ſcilicet, non quod vulgatum.

*Fænicularius campus in Hiſpaniâ.*

## CAPVT XXI.

*Pro Appuleio aliquid dictum contra aures & mentes nimis teneras. Occultos in eo verſus agnoſci. Emendatus ipſe plurifariàm. Repigrandi verbum erutum, & Antelucio: Medicifici, & Feminal. Dea Syria. Detrux, noua vox. Circumſecus. Voti compotire. Hiſtricus decor. Degere, pro minuere.*

*In Appuleio occultior ſæpe doctrina.*

DE Appuleio non ſum neſcius quid vulgus hodie ſentiat, & quid melior doctorum ordo. Iacet apud illum, ſtat vigetque apud iſtos, hoc ſaltem talo, quòd nugarum illum ludum temperet ac miſceat crebro velut ſale priſcæ ac reconditæ doctrinæ. Doctrinæ, in moribus dico & in verbis. Nam ſtilum eius quod ineptum eſſe volunt: fatebor in parte, (nec enim aſperitatem illam & horrorem quæſitæ dictionis vſquequaque excuſo.) ſed tamen doctè ineptum, & è quo multa bona ſelectaque hauriat, bonæ ſelectæque mentis Lector. Verba non pleraque omnia proba? propria? phraſis non ſæpe florida? metaphoris & imaginibus amœna? mihi ſic videtur: etſi in vniuerſo orationis filo, ſcabrum illud

*Verba ſelecta, fortaſſe nimis.*



&ex

& ex affectatâ nimis antiquitate horridum, radit ſæpe & lædit meas aures. Sed hîc quoque duo ei patrocinantur, Patria & Argumentum. Ortu enim Afer fuit: quibus velut inſitum in ſententiis inuentionibuſque, acutis eſſe: aſperis duriſque, in ſermone. Iam argumentum miſcellum ei eſt, & ſatyricum. quod amat hunc cultum, quæſitum, pinguem, & ſqualenti quodam auro. Varronis Fragmenta è Satyris vident? etiam examinent. reperient ea haud longè eſſe à Mileſiis iſtis Punicis, & inculti cultus ſtilo. At non defendendi ſcriptoris eius, ſed leuiter & breuiter emendandi inſtitutum eſt: atque hoc iam igitur ago.

*Afri vulgò in ſcribendo acuti & aſperi.*

*Satyris ſua quadam dictio.*

Ait libro I. De Aſino:

*Eadem amatoris ſui vxorem, quòd in eam dicaculè probrum dixerat, iam in ſarcinam prægnationis obſepto vtero & repugnato fætu, perpetua prægnatione damnauit.*

Hæc narrat de Meroë anu, & vi eius in magicâ arte. Sed quid eſt, *repugnato fætu?* an coërcito vinctóque, vt ait Beroaldus? miror quî id expreſſerit ab eo verbo. Liber noſter ſcriptus, *repigto fætu.* ex quo, *repigrato fætu*, verum cenſeo. Lego etiam *in ſarcinâ*, non *ſarcinam*: & diſtinguo, *iam in ſarcinâ prægnationis, obſepto vtero & repigrato fætu.* hac mente: Cùm vxor amaſij eius iam prægnas grauidaque eſſet; ecce illa clauſo vi verborum eius vtero tardatoque fætu, æternùm iuſſit eſſe prægnâtem.

*Fætu repigrato.*

Hoc eodem libro, infrà:

*Somno leuatâ laſſitudine noctis ante lucẽ aufugiamus, quàm putas lõgiſſimè.*

Idem liber, *antelucio*, veteri probaq; voce, & quam ipſe Appuleius poſteà iterat. Eſt autem ex Aduerbiorum (cũ litteratoribus loquor) illo genere & facie, quâ Heſternò, Annò, Cottidianò, &c. At quod ibidem ſequitur, *quàm putas longiſſimè*: verum ſcibis, *quàm poteſt*: vel etiam, *pote*: quoniam in ſcripto, *puta*, repperi.

*Antelucio aduerbiũ.*

Haud longè poſt:

*Ne meritò, inquam, medici fidi cibo & crapulâ diſtentos ſæua & grauia ſomniare autumant.*

In fidis hiſce medicis ſcriptura non fida. Ego longinquiorem voculam odoror & acerſo, *medicifici* vel *medicifices*. pro ipſis medicis, quiq; artem eam faciunt. Eo exemplo Significes, & alia multa.

*Medicifici compoſita vox.*

Lib. II. in turpiculo luſu cum ſuâ Fotide:

*Pauliſper etiam glabella femina vel roſea, palmulâ obumbrans de induſtriâ quàm tegens verecundiâ.*

Claude hîc oculos iuuentus: tu qui vir es lege, *glabellum fæminal.* Ita enim ſuadet ſcriptus codex qui, *glabellum feminea*, præfert. Et ſanè in habitu hoc Veneris emergentis, non tam femina tecta ſcimus, quàm partem eam quæ fæminas facit. Ea Fæminal dicta iterùm huic ſcriptori in Apologiâ priore: *Sed enim fæminal nullo pacto reperiens munditer dicere, ad mea ſcripta confugit: quia & è quodam meo libro legit, Interfæminium tegat.* Fæminal igitur & interfæminium, eadem. Sed & Virginal, partem eam alibi appellat, verbo ſanè quàm honeſto.

*Fæminal, pro naturâ fæmineâ.*

*Virginal.*

Libro VI in Pſyches precibus ad Iunonem:

*Quam cunctus Oriens Zygiam veneratur, & omnis Occidens Lucinam appellat.*

Cogno-



Cognomina eius deę magis trita & vulgata recenſet, quibusq; in duplici orbis parte propriè adficiebatur. Sed in Zygia offendo. non quia neſciam id quoque inter Iunoniæ agnomenta: ſed itáne vulgò & paſſim indigetata? ita Oriens vniuerſus Græcâ eâ voce vſus? Vereor vt verius ſit, *Syriam veneratur.* Nam eo nomine paſſim in Oriente culta Iuno. vel Lucianus vnus te docuerit, in Sermone De deâ Syriâ, itéq. lapides priſci: inter quos hic Romæ:

*Syria, pro Iunone.*

IOVI. O. M.
ET. DEAE. SYRIAE
ET. GENIO. VENALICI.

Libro IX. vbi ad piſtrinum datus aſinus:

*Talis familiæ funeſtũ mihi etiam metuens exemplũ, veteriſq; Lucij fortunam recordatus, & ad vltima ſalutis me tandẽ detruſũ, ſummiſſo capite mærebam.*

Germanam ego cenſeo lectionẽ mei libri: *& ad vltima fortunæ meæ iam detrux, ſummiſſo* &c. Quæ verbi nouo-antiquitas planè Appuleiana.

*Detrux.*

Libro XI. de naue Iſidis:

*Nauem faberrimè factã, picturis miris Aegyptiorum circumſeptus variegatã, ſummus ſacerdos tedâ lucidâ & ouo & ſulphure purificatã, deæ nũcupauit.*

Cui hîc rei vox, *circumſeptus*? Sanè, ſi attendis, & ſententiam turbat, & leges Latinæ linguæ. Vetus noſter, *circumſpectus.* malè pariter. Ego veram veteremque vocem eruo, *circumſecus.* id eſt, in ambitum & in orbem. Ita enim componebant hæc Aduerbia, *Altrinſecus, Vtrinſecus, Circumſecus.* vſúſque iis noſter Comicus (Plautum dico,) qui Appuleio ſermonis velut exemplar.

*Circumſecus, Aduerbium.*

Eodem libro, vbi initiandus Appuleius:

*Sed noctis obſcuræ non obſcuris imperiis euidenter monuit, aduenisſe diem mihi ſemper optabilem, quo me maximi voti competeret.*

Plautinam verò phraſim libens hîc reſtituo, *maximi voti compotiret.* id valet, compotem faceret. Comicus ille in Amphitruone: *Qui fuerim liber, eum nunc potiuit pater ſeruitutis.* In Rudente: *Quæ in mari fluctuoſo, piſcatu vberi me compotiuit.*

*Voti compotire, Plauti Phraſis.*

Libro II. Floridorum:

*Eiq; prorſus citharœdicus ſtatus, deam conſpiciens canenti ſimilis, tunicam picturis variegatam deorſus ad pedes deiectus ipſos, Græcanico cingulo, chlamyda* (ita liber vetus) *velat vtrumque brachium aduſque articulos palmarum. Cetera decoris inſtrumentis dependent. Cithara baltheo cælata, apta ſtructim ſuſtinetur* &c.

Graphicè planè depingit Bathylli ſtatuam, & in eâ habitum citharœdorum. Ac priora quidem leges & diſtingues, vt iam præiui. nam vulgò turbant. at illud, *cetera decoris inſtrumentis dependent*, damnabis cum libro meo, qui ſcribit *decoris hyſtriis.* ex quo nos verace coniecturâ, *decoris hiſtrici.* Æmulatus ſcilicet etiam hîc eſt Plautum, & Hiſtricum decôrem, Hiſtrionium appellauit. Notum illud è Pœnuli Prologo: *Audire iubet vos Imperator Ruſticus.* & illud: *Hæc imperata quæ ſunt pro imperio hiſtrico.* Quæ alluſiones eò magis lepidæ, quòd hiſtriones ex Hiſtriâ primùm veniſſe dicantur (ait Feſtus) atque inde nominati.

*Hiſtricum, pro Hiſtrionicum.*

Lib.

Lib. IIII. Florid. vbi Aſclepiadem narrat, hominem iam pro mortuo ſeruaſſe:

*Poſtremò propinquis etiam* hominibus inuitis, quod ne iam ipſi hereditatem habebant, an quod adhuc illi fidem non habebant, ægrè tamen ac difficulter Aſclepiades impetrauit breuem mortuo dilationem.*

** Lego, omnibus.*

*Hauere & Habere appoſitè iuncta.* Acutius haud paullò legerim, *quódne iam ipſi hereditatem hauebant.* Ambigit, cur reluctati medico propinqui. & ideóne, inquit, quod hauebant inhiabantq́; hereditatem; an quod parùm fidei haberent eius verbis? Alluſio autem pulchra in Hauendi Habendiq́; vocibus.

In libello de Deo Socratis, qui pars & ipſe Floridorum:

*Næ ego inſcita, quæ cũ alite Apollinis fruſtrà certauerim. quippe* cùm pridem tam concinnum eſt, neq. oppidò paruum neque nimis grande ſit, ſed quantum ſatis ad vſum decoremq́: pluma mollis, caput argutum, roſtrum validum.*

Scribit iſta in Apologo de Coruo & Vulpe. & hæc quidẽ vulpeculæ vulpinantia verè verba, ſubdoleq́; coruum laudantis: quibus corruptelæ notam videmur poſſe demere: *quippe corpus eidem tam concinnum, & neque oppidò paruum* &c. Imò nec ambigo hæc ita ſcripta olim. *Reſtitutio proba lapſantium vocum.*

Eodem libro:

*Hinc & illa Virgiliana matrona, quæ in mediis millibus auxiliabunda fratri conuerſatur*

*——miſcétque viris, nec cernitur vlli.*

*Protinúſque Plautinus miles ſuper clypeo ſuo gloriatur, præſtringens oculorum aciem hoſtibus.*

Vide, ſi vacat. haud facilè ſine correctione ſententiam eius loci vllam expedies. Scribe mecum, *potius quàm Plautinus miles.* Mens iſta: Illa Iuturna apud Virgilium Turno auxiliatur inter medios hoſtes, nec conſpecta tamen iis: quæ magis iure glorietur, quàm ille miles Plautinus, de ſeque iactet, *Præſtringens oculorum aciem in acie hoſtibus.* ita enim & verſum hîc explendum cenſeo. *Obſcurior locus reſtitutus.*

In Apologia priore:

*Suſtineo enim non modò meam, ſed etiam Philoſophiæ defenſionem, cuius magnitudo vel minimam reprehenſionem proximam crimini aſpernatur.*

Liber vetus, *proximo crimine aſpernatur.* Verum non abnues, *pro ſummo crimine.*

Eâdem:

*Ego nunquam ſtudui malefacta cuiuſquam cognoſcere, ſed ſemper potius duxi mea peccata tegere, quàm aliena indagare.*

Hócne de ſe fatetur Appuleius? vt ſtudioſè celatũ ierit peccata ſua, potius quàm imminutũ? At hoc non ſapientis, non boni viri eſt: ſed plani cuiuſdam & impoſtoris. Lego verò, *peccata degere.* Vulgatam ſcilicet vocẽ, ſed ſignificatione remotâ & veteri, inſeruit aptè & argutè. Nam Degere antiquis, minuere, detrahere. Nonius Marcellus: *Degere, etiam eſt minuere. Plautus Aulularia: Nunc ego iſtum ſoror laborẽ degam & deminuam tibi. Degere, eſt detrahere. Plautus Epidico: Degetur coriũ de tergo meo.* Feſtus hoc idẽ notatum voluit, ſed corrupit Paulus: *Degere antiqui poſuerunt pro exſpectare.* Degere, exſpectare? falſum planiſſimè. nec tamen habeo quî corrigam, niſi ſi *Expectere*: quod eſſet velut detrahere, depectere.

*Peccata degere.* *Mendum in Feſto indicatũ, vix ſublatum.*

CAP.



## CAPVT XXII.

*E Commentario De Bello Africo maculæ aliquot deletæ. Gallorum equitum olim virtus. Fautores, caſtrenſi quodam agnomento.*

INTER libellos qui adiuncti Commentariis Iulianis, vnus eſt De Bello Africo: qui, me iudice, non inter illos tantùm eminet ſed inter pleraque Romana ſcripta. Ita terſa in eo & ad Comicum morem pura dictio; ſimplex, cohærens, & candida narratio; nihil quæſiti coloris aut fuci: omnia denique illo ipſo Cæſare digniora (non tenebo veram vocem) quàm Commentarij illi qui feruntur. At neglectus tamen iacuit, imò vix lectus is libellus (adeò hîc quoque præiudicia valent, & traditæ à magiſtellis opiniones:) quem ſi ſeriò inſpicis, fatebere non alium magis eſſe ad Genium priſci æui. Pueris inter primos auctores formandæ linguæ ſiquis proponat, nihil erret. Hirtium tamen ſiue Oppium auctorem eius ſcripti Tranquillus facit. qui poteſt, ſi ab iiſdem Bellum Hiſpanienſe eſt & Alexandrinum? Nam hoc quoque Suetonius idem tradidit. Atqui tam * diuerſi hi inter ſe abeunt, toto narrationis ſermoniſq́; contextu: vt nulla vis mihi vmquam imprimat eſſe ab eodem patre. Aut ſi ſunt: (iamdiu id ſuſpicor: atque Hirtium ſiue Oppium non negem hæc potuiſſe, aut meliora.) alia quædam ſcilicet & Circæ manus acceſſit, quæ malis venenis duos illos immutauit. Sanè hic vnus Commentarius inter omnes, neſcio quo fato, purus nec interpolatus manſit, & in ſuo vultu. Excipio quòd in partibus quædam labeculæ: è quibus paucas hîc eluam leui manu.

*Laus Commentarij De Africano bello.*

* Certè nec Hiſpanienſis cùm Alexandrino conuenit. eſtq́; ille totus militari quodam & horrido ſtilo.

Fuluianæ apud Plantinum editionis paginâ 381.

*Vnde, inquit, iſtas? Tum captiuus, Venio à Cæſare. Tunc Conſidius, Vnus eſt, inquit, Scipio Imperator hoc tempore populi Romani. Deinde in conſpectu ſuo captiuum iuſſit interfici.*

Clarum ex reſponſo factoque Conſidij, vocem è captiui dicto excidiſſe: quam repono, *Venio à Cæſare Imperatore.* Omnino enim honoris tituliq́; ea adiectio Conſidium offendit, & miſero illi cauſſa necis fuit. Breuiter autem, vt ſolet, notata ea vox, facilè elapſa aut neglecta exſcribenti. *Expletus locus.*

Pag. eâdem:

*Accidit res incredibilis, vt equites minus* XXX. *Galli, Maurorum equitum duo millia loco pellerent vrgeréntque in opidum.*

Sanè res incredibilis. vt pauculi illi tantos? Stilum aliquando ſumpſi ad mutandum. fruſtrà. quia ecce eodem iſto libro non minus, imò magis prodigioſum factum lego de quattuor veteranis militibus: quibus ait *plus duo millia Numidarum terga vertiſſe.* Exempla hæc inſignia ſunt vel Punicæ ignauiæ, vel priſcæ Gallicæ virtutis: quam in nullâ Hiſtoriâ celebrari magis reperies, quàm hîc & De Bello Alexandrino. *Mira Gallorum virtus, an fortuna.*

Pag. 387.

*Deinde legiones conſcriptæ ex cuiuſcemodi generis amplius* XII. *millibus.*

Ineptè intruſa vox. dele, contentus clauſulâ, *amplius duodecim.* Nec enim aliud *Circumciſus locus.*

Tt aliud

aliud vult, quàm legiones non è ſolis ciuibus, vt ſolitum Romanis, ſed è miſcello genere hominum conſcriptas ab iis duodecim.

Paginâ 394.

*Sed mirabili peritus ſcientiâ bellandi, in Prætorio ſedens,*&c.

In Cæſaris hæc laudem. ſed malo, *mirabili penitus.*

Paginâ 406.

*Itémque equites Curiani, diffiſi Scipioni eiúſque copiis, complures ſe eôdem conferebant.*

*Curioniani equites.*

Emendamus, *equites Curioniani.* Eos enim intellegit, qui antè ſub Curione in Africâ meruerant, & à Scipione occupati erant. Ipſe hic auctor, ſuprà meminit, & oſtendit eos è gente fuiſſe Gallorum. *Nonnulli,* inquit, *qui ex Curionis prælio capti conſeruatíq́, parem gratiam in fide partiendâ præſtare voluerant.*

Paginâ 416.

*Namque elephantos in Italiam tranſportari iuſſerat, quò & miles noſter ſpeciemq́ & virtutem beſtiæ cognoſceret,*&c.

Ipſum locum vide: ſcribes audacter mecum, *elephantos ex Italiâ.*

Paginâ 417.

*Per id tempus [ de eorum voluntate ſtudioq́ erga Cæſarem ] transfuga ſuos ciues facit certiores, Iubam regem celeriter cum copiis ſuis ad opidum accurriſſe.*

*Gloſſema turpe ſublatum.*

Confuſus &, vt nunc eſt, inexplicabilis locus. quem peruades ſi gloſſema illud tolles, quod hamatis lineis incluſi. Verè enim gloſſema; & ad oram ſcriptum fuerat, index rei quæ hîc narratur. Nec enim aliud quàm de ſtudio & inclinatione Afrorum in Cæſarem.

Pag. 418.

*Cæſar opidi naturâ perſpectâ, atque inopiâ ab eius oppugnatione deterritus.*

*Aquæ inopia.*

Quâ inopiâ cedò? Nimis id enim communiter ſcriptum. Corrigo, *naturâ perſpectâ, aquæ inopiâ.* Ipſe hic ſcriptor iubet infrà: *Aduerſarios non eorum virtute confidere, ſed aquarum inopiâ fretos deſpicere ſe.*

Ibidem.

*Legatos ad Cæſarem mittunt. rem malè geſtam docent.*

Itáne *malè*? imò optimè: ex ſuâ quidem Cæſarisque ſententiâ. Scribo, *rem à ſe geſtam.*

Paginâ 423.

*Ex ſuo exercitu illuſtres vrbanos, quos Auctores appellabant, complures aut vulnerarunt aut interfecerunt.*

*Fautores.*

Cui rei *Auctores*? Quin potius, *Fautores.* & ita res fuit. Milites ſcilicet turbidi & victoriâ feroces, quoſdam etiam è ſuis interfecere, quos fauere (ſolitum in ciuilibus bellis) & pronos eſſe dicebant in hoſtem. Iis Fautorum nomen inditum, per laſciuiam militarem.





## CAPVT. XXIII.

### *Cum viro magno amica velitatio. & aduerſus calumniatores dicta quædam.*

SED iam abiungo, Lector; etſi in ſpatio adhuc, non in metâ. Capita enim aliquot ſupererant, quæ expolire non vires mihi, non voluntas. Valetudo aduerſa: auerſus hic animus. nec miraberis, ſi iudicia certa aut homines intuebere huius æui. De te & paucis, omnia bona & fauentia iure mihi ſpondeo, (expertus ſæpe anteà pretium à te poni his nugis:) ſed cum ad vulgus me conuerto & ad plures, quod illicium nobis aut calcar ad ſcribendum? Rident, calumniantur, inuident. nec plebs hæc tantùm, ſed non nemo è patribus & è litterario iſto Senatu. Criticam & hæc leuia tango? ſpernunt. Mores & magis ſeria? carpunt. Et in illis ipſis tamen leuibus (quod rideas) Furta, Plagia reperta, & nomina criminum grauiorum. Ille præuentum ſe queritur, alius circumuentum: & omnino ſiqua Nota honeſtior eſt, ecce qui ducere & abducere eam velit non vnus ſponſus. Si iuuenes hęc tantùm: ferremus. at ſenes & viri ſerij etiam in ludicrâ iſta cymbâ. Modeſtia mihi conſtat, & conſtabit quamdiu hæc vita: ſed ægrè linguam aut calamum teneo in eruditiſſimi viri latè ſparſis iam querelis. Ait in ſcriptore aliquo præuentum ſe à me: & id valere vult in crimen. Quæ autem hæc accuſatio? Dic quæſo clarius. præripui tibi aliquid, an eripui? Præripuiſti, inquit, ſcriptorem mihi deſtinatum iam & addictum. Itáne? parum comiter id factum: ſed per errorem tamen, non per fraudem. Publicum enim ego ſcriptorem eum cenſui: tu ſi librâ alibi & ære emiſti, cur nos celaſti? Nam Auguſtum ego illum Hiſtoricum diu ſanè amaueram, conditionem eius palàm ambiueram, libros veteres compoſueram: omnia feceram, quæ conciliando illi eſſent. De te, peream ſi vocula mihi vlla audita ante hanc querelam. Quod ſi fuiſſet: nè ego ceſſiſſem tibi libens, & in tuum caput transtuliſſem omnem iſtam laurum. Nunc quid, præter inſcitiam, in me accuſes? Quin ſilentium in te iuſtius: qui, cum iſtîc eſſem, expertem me conſilij tui habueris & conatus. Intereà quidem in diſſitis locis & terris egi; in quibus, ignoſce, ſi occurſum tuum videre mihi nō fuerit, nec faſces iſtos Quæſtorios ſubmittere Prætori tibi magno. At enim quædam ex iſtis olim apud te legi, & ſublegi. Non dicis id palàm, fateor: (pudor te ligat & vis veri.) ſed ſuſpicionem facis, & ritu Parthorum iacis auerſa ſermonum tela. Obſecro autem te, ſeriò hæc profers? Numquam in os mihi, ſi os tuum noui. Palàm ego & ſeriò nego. tu quî probas? Ecce notata eadem, inquis, ad oram mei libri. Heu vir amice, (talis enim mihi es erisque, vt ille ait, ἑκὼν καὶ ἄκων: nec res iſtæ futiles ſoluerint vmquam amoris priſci vinclum:) túne huc ineptiarum? & fragile hoc telum ad expugnandam fidem valere vis? Erras. ne liuorem quidem infert, adeò non vulnus. Age enim, tu viſa aut lecta hæc apud te conſtanter adnues: ego abnuam. quis finis? quò adſenſum ſuum, nullâ aliâ probatione, auditor inclinabit aut iudex? Cùm multa verba fecerimus, illud verè pronunciabitur, Te hir-



BLIOTE

cum mulſiſſe, me ſuppoſuiſſe cribrum. Nam quod ad illum aut illum amicum confugias: nugæ. iamdiu nouimus patricias iſtas artes. Quin tu oſtium calumniarum hoc ſemel aperi: in paucis diebus auertero, & in ædes meas deduxero, Criticorum omnium Notas. Scæna hæc tota criminum, vt tu quoque vides, ludicra eſt: & in quâ iram facilius teneamus, quàm riſum. Olim M. Scaurus cùm accuſaretur corruptelæ, in concionem progreſſus hoc tantùm effatus dicitur: *Varius Sucronenſis Aemilium Scaurum mercede regiâ corruptum ait; Aemilius Scaurus negat. Vtri creditis?* ſimile auſim hîc dicere, pari animo & fiduciâ, etſi non pari dignitate. Vita mea meruit, & alia noſtra (liberè hoc non ſuperbè dixerim) ſcripta: vt fides nobis apud bonos ſit, nec impares habeamur talibus Notis. Quæ profectò non laborioſè nobis naſcuntur: ſed vt gramina aut herbæ ad nocturnum rorem; ſic iſtæ, inter legendum, ad ingenij moti auram. Quiſpiam eas, vt filiolas ſuas, amat? nos ridemus. nec ſiquis Paris abduxerit, bello ardebit Aſia & Europa. Prouocare ad pugnam hanc aliquis me poteſt, nemo pertrahere. Hæc ad te, non in te, mihi dicta Vir magne: quē amo, quem æſtimo. à quo hoc ſaltē peto, ne exſtingui famæ tuæ Solem cenſeas, ſi terrarum alibi lumen ſpargere incipiat noua ſtella. Nam cum minutis illis meis calumniatoribus, nihil equidem altercor. Latrant me? taceo: & vt ille ex Albaniâ *canis, vindico me ab iſtis ſolo contemptu. Diogenes olim Cynicus, cùm irriſui eſſet turbis, & ingereret quiſpiam, Non vides vt hi te rident? Ego verò non rideor, inquit: magnanimâ & pulchrâ voce. quam imiter, & laceſſentes pungenteſque iſtos non ſentiri à me clamo, non cerni. Dignos eos non habeo, non dicam quos remordeam, ſed in quos reſtringam ſemel iſtos dentes. Scio nec flammam vllam magnam ſine fumo ſolere ſurgere: nec ſine calumniâ famam. Tu tantùm bone Lector, faue mihi, vt ſoles, currenti rectum curſum: neu iniquiorem te concinnent ineptæ pariter & iniquæ voces. Scaligero illi ipſi nuper ſilentium impoſitum videmus & dolemus per has peſtes: quid mirum ſi etiam mihi? Nec tamen faciam: ſed alacer & erectus per medium hoc calumniantium agmen incedam, aduerſus linguarum omnium tela ſcuto tectus Veritatis & Candoris. Illi ringantur & liueant: nos Epinicia læti canemus, & auertentia ſacra faciemus INVIDIÆ ET PALLORI.

* Qui donatus Alexandro.

FINIS.





# INDEX CAPITVM
## LIBRI SECVNDI.


CAPVT I.

LAMPRIDII *obſcurioris mendi locus elautus. Qui Troſſuli: & de Principe iuuentutis. E Senecâ gloſſula ſublata.*

CAPVT II.

*Quis locus honeſtior priſcis, dexter an ſiniſter? illum videri. Refutatus vir doctus, qui nuper aliter ſenſit, & ſcripſit. Quid ſit Latus tegere: quid Exteriorem eſſe, quid Interiorem. Scriptores aliquot explicati, Salluſtius in curſu emendatus.*

CAPVT III.

*Agellij compluria loca emendata. Imitùs, Aduerbium. Canalicola. Fama minuens. Plautus correctus. Sol meridies. Oſcæ compellationes. Erucius Clarus Præf. vrbi. Ignauiones. plura alia non è circulis vulgarium correctorum.*

CAPVT IIII.

*Plinij defenſio. Africam vrſos nō gignere, non certè vulgò. Quid Vrſi Numidici antiquis. ſententia noua, & ad lucem plurium ſcriptorum.*

CAPVT V.

*Locus in Floro magis eximius correctus. Veterum fluctus & erratio ſuper religione Iudaicâ. Vitis aurea in eorum templo. quidq; quaq; formâ ea fuerit. Plinius explicatus.*

CAPVT VI.

*De oſculis, & oſculandi variâ ratione, Romæ. Quo fine fuerint: quâ formâ & modo. Diuina fuiſſe, Humana fuiſſe. Adorare quid propriè ſit, & vnde ea vox dicta & ducta. Scriptores multi explicati. in Ouidio coniectura. Verrere templa crinibus. Statius emendatus. Ad manum accedere, quid in Cæſareis hiſtoricis.*

CAPVT VII.

*Commentarios Cæſaris non vſquequaque tam puros & laudabiles, quàm videantur. Mos attollendi dextras. aliaq; emendata & explicata.*

CAPVT VIII.

*In Plinio correcta quædam. Geneta Mana, dea. Decolorare aurum, quid ſit. & mos diſcrimenq; in anulis. qui ſeruis & militibus è ferro: Senatui & equiti ex auro: plebi ex argento.*

CAPVT IX.

*Seneca plus ſemel emendatus. Neronis principatus initio optimus. Epicuri ſententia deos extra mundum proiicientis.*

CAPVT X.

*De ritu plaudendi & explaudēdi in theatris. item adſurgendi, acclamandi. Quomodo iſta habita ſub Imperatoribus! quæ voces in acclamādo! Plutarchus & Plinius explicati: iſte etiam correctus. Fauor & Fauere, noua ſignificatione. Lampridius, Capitolinus, Vopiſcus illuſtrati. Quid Oraria fuerint: & cui in theatris vſu.*

CAPVT XI.

*E Valerio Maximo deterſæ labeculæ. Liuio ſuus numerus bis reſtitutus. Corruptio frequens in notâ millenariâ. Admouere lineas. Gloſſematium, aliáque.*

CAPVT XII.

*De prodigio quodam Liuij, quæ eius mens ſit. ſatin' firma vulgata ſcriptio? non videri: & noſtra diuinatio adſcripta. Sortes ſacras inuolui lanâ & tæniis ſolere. Plutarchus ita explicatus.*

CAPVT XIII.

*Nouiter erutus vetus mos in creatione Tribunorum. Eos ſub Principibus & paullo antè, tantùm è Senatu fuiſſe. Suetonij loci illuſtrati, & lectio in ijs firmata. Plinio & Appiano lumen immiſſum.*

CAPVT XIIII.

*In Statio Papinio locorum aliquot correctio. Atticus ſector. Arcta purpura. Mens adflata. Crines in ſepulcro.*

CAPVT XV.

*De ergaſtulis diffuſa & libera collectanea. Origo vocis, & rei. Iſidori confuſio, ſiue error. Quādo cœperint, & quâ fine? Agriculturæ cauſſâ ea maximè inſtituta, ſed & lapidum, & piſtrini, (Plautus in iis correctus & interpretatus) fortaſſe & aquæ hauriendæ. Suetonij lectio ſtabilita, & explicata. Quis &*

*qualis ergaſtulorum locus. Plauto iterum lux. Quod genus hominum in ea coniectum. Forma modusq; quo miſeri illic habiti. nempe Vincti, Inſcripti, (Seneca correctus) Semi-raſi, Semi-ieiuni. Poſtremò copia ergaſtulorum. paſsimq; ſcriptores Græci & Latini explicati: Florus etiam correctus, & Appuleius fortè cum Plauto.*

CAPVT XVI.

*Iani Gulielmi præceps obitus. eius defletio, & laus. Carmen ſub iter Gallicum, ad me ſcriptum: doctum & elegans.*

CAPVT XVII.

*Pluria in Suetonio emendata aut illuſtrata. Nepos Iulij Cæſaris, Salaciones. Quis Senatorum cenſus legitimus ſub Auguſto? Quoties ludos dederit? Notare. Copriæ, qui dicti? Deiectus rex Armeniæ.*

CAPVT XVIII.

*Senecæ Fragmentum inſigne in ſuperſtitionem veterem. multi in eo nec vulgati ritus. Igitur percurſum id à capite, & emendatum, atque illuſtratum. Dij veterum, mixtâ formâ. Lumina iis accenſa. Nomenclatores habuêre. Horæ in templis nuntiatæ. Appuleius correctus in templorum velis. Salutationes deorum. Fictores, & Vnctores, & Veſtitores. Specula tenebant diis, ſtrigiles & lintea. aliaq; ineptiarum veterum.*

CAPVT XIX.

*In Floro complura ab ingenio aut à libro emendata. Subrecti vel ſurrecti vox. Lucilius correctus & explicatus. Vmbri veteres Italiæ incolæ. Remos detergere, nauticum verbum. Poſtpoſitio copulæ notata, & Agellij firmatæ ſcripturæ veteres. Perſes rex è templo receptus. Plebs hereditatis iure poſcebat agros. & notæ plures.*

CAPVT XX.

*M. Ciceronis obſcuro loco fax prælata. Quis Fænicularius campus! & Strabo ſtrictim emendatus.*

CAPVT XXI.

*Pro Appuleio aliquid dictum contra aures & mentes nimis teneras. Emendatus ipſe plurifariàm. Repigrandi verbum erutum, & Antelucio: Medicifici, & Fæminal. Dea Syria. Detrux, noua vox. Circumſecus. Voti compotire. Hiſtricus decor. Degere, pro minuere.*

CAPVT XXII.

*E Commentario De Bello Africo maculæ aliquot deletæ. Gallorum equitum olim virtus. Fautores, caſtrenſi quodam agnomento.*

CAPVT XXIII.

*Cum viro magno amica velitatio. & aduerſus calumniatores dicta quædam.*

FINIS.



# IVSTI LIPSI AD VALERIVM MAXIMVM

## Breues Notæ.

IVSTVS LIPSIVS

# STEPH. PIGHIO,

S. D.

IN his Notis, Vir amice Pighi, ſcire te & alios volo quibus auxiliis ſim vſus. Ab ingenio noſtro pleraque eſſe fateor: quod tamen ſæpe in viam veri duxerunt libri. Ij mihi bini manuſcripti: quos Vltraiecto benignè curarunt Viri Clariſſimi Lambertus & Hadrianus Vanderburchij, eximium par fratrum, docti ipſi & in doctos valdè proni. Præstereà veteres editiones inſpeximus: quas hîc & in aliis ſcriptoribus nihilo deteriores inuenimus manuſcriptis. Tu aliique è reipſa iudicabitis,

*Opera nobis hæc inanis, an in vſum impenſa ſit.*

Ad illam enim ego tranſeo.

## PROLOGO.

A*B illuſtribus electa auctoribus deligere conſtitui*] Diſplicet geminatio, *Electa deligere*. Scribam omiſſo verbo altero, *Ab illuſtribus auctoribus deligere.*

*Mea paruitas, eò iuſtius ad fauorem tuum decurrerit*] Seruilis ſermo & cellarius. Ego ſanè paruitatem eam ablegem è Valerio, ſcribamque expunctis duabus vocibus: *ego iuſtius a.f.t. decurrero.*

## LIB. I. CAP. I.

*Decem principum filij*] Conſtat Etruriæ populos duodecim fuiſſe. itaque cùm pro numero eorum, ſingulis populis ſingulos principum filios attributos velit: vide num, *Duodecim principum* corrigi, magis è re & veritate ſit. Cicero tamen De Diuinatione, in hoc facto denarium dumtaxat numerum (ſi & ipſe correctus) agnoſcit.

*Gracchano tumultu*] Veteres editiones, *Gracchano nutu.* placet, *motu.* vt & tu Pighi alibi repperiſti. Non enim Gracchana illa ſeditio, propriè Tumultus.

*Obruitur tot etiam illuſtribus conſularibus L. Furius*] Diſtinctius aptiuſ-

que ſcribo, *tot & tam.* item, *Conſulatibus.* Nam de Marcello rettulerat quintum conſule. Itaque rectè conſulatus multos: non pariter, Conſulares legeris. Nec enim plures præceſsêre.

*Quare agreſte illud & ſordidum plauſtrum capax*] Libri veteres, *Quarum* referunt. Lego, *Quorum*, & ad ſacra refero. In iiſdem, *ſordidius plauſtrum.* Puto, *ſordidans*, fuiſſe.

*Vt ex vno & ſene complures Pœnorum iuuenes penſarentur*] Reiectâ particulâ lego, *Vt ſe vno.* Impurus mihi alter ille ſermo.

*Meritò ſibi infeſtos deos reuerteretur*] De diis parum apta hîc mentio: nec ij ſanè Regulo infeſti. Alij, *hoſtes*, ſubſtituunt: ego, *eos*, verum cenſeo, vt ad Carthaginienſes referas.

*Factum Maſaniſſæ plus animo, quam Punico ſanguini conueniens*] Ita tu è Campenſi. Alij libri, *Maſaniſſæ animo, magis quàm.* Ego vtrumque adiectamentum arbitror, & verum eſſe, *Maſaniſſæ animo, quàm Punico.* quomodo & liberi mei ſcribunt. Sileri & intellegi illud, *Magis*, crebrum & pulchrum in oratione Latinis. Exempla mihi ad Tacitum cumulata.

## CAP. V.

*In omnibus prœliis vti ducem conſtituerunt*] Præoptem vt in priſco: *duce vti inſtituerunt.*

## CAP. VI.

*Veios in poteſtatem populi R. venturos*] Liber vetus, *futuros.* Et quis ambiget? Vetus & ſelectum ſermonis genus, de quo iampridem A. Gellius in Noctibus.

*Angues duo ex occulto prolapſi*] Veteres, *Angues duæ*, &, *prolapſæ.* quod genus magis in hac voce amant.

*In quod metus augurij triſti fine vitæ incidit*] Priſca lectio, *in quem metus augurij.*

*Inuictæ leges neceſſitatis*] Eadem, *neceſſitudinis.* probè.

*Sonum abditis delubris editum*] An potius, *abditis delubri?* Sic Remota templi, in Cæſare lego: & adyta ſignificari ac penetralia tēpli ſcimus.

*Non conſentaneos vſus transtuliſſe videar*] Parum expoſita aut appoſita ſententia in voce, *vſus.* Legam, *viſus.* hoc acumine: (id enim ſcriptor iſte mirum quantum amat.) cum de Diuo Iulio dixerim, inquit, claudam Romana exempla, nec oculos parum decorè transferam è cælo iterum ad terram.

## CAP. VII.

*Diuino munere effectum*] Vetus, *diui numine.* Ego *diuino numine*, omnino malim.

*Vtrius autem dux copias hoſtium aggrederetur, ſuperq́ eas ſeſe ipſum deuouiſſet*] Quod in priſcâ editione verbum, *aggrederetur*, abeſt: valdè probo. Et ſanè additicium eſt. Nam hoc è Liuio clarum deuotionem hanc ita concipi ſolitam, vt ſeſe vnaque hoſtes diis manibus ſacrarent.

*Priuſquam pompa induceretur*] Verbum & ſententia ad rem Circenſem apta

apta



apta. tamen neſcio quid me ſiſtit & illigat vetus lectio, *priuſquam croma induceretur*: neque nunc expedio.

*Capillo demiſſo*] Rectius vetus, *capillo immiſſo.*

*Propioribus lineis, vt ita dicam, ſomnium certo euentu admonitum eſt*] Dixi verè in II. Electorum nuper, legendum, *admotum eſt.* metaphorâ à Circo, vt alibi clarè dicam.

*In deſertis arenis ſtruxerat*] Auctior priſca ſcriptura, *deſertis & ignotis arenis.*

*Duos prænuntios ſomnij*] In vet. *diis prænuntios.* Ego vellem, *deos prænuntios ſomniis.*

## CAP. VIII.

*Bis locutum conſtitit, his pænè verbis*] Ita tu Pighi (ignoſce) me abnuente. Quorſum enim, aut cui ſententiæ illud, *pænè?* Nam ſanè iiſipſis verbis locutam vult, non ambiguè talibus aut ad eum ſenſum. Abis etiam ab omnibus libris priſcis tuis alieniſque, qui referunt, *prius his verbis.* Ibam in coniecturas: ſed veritatem, niſi fallor, Sambuci nobis codex ingerit, cuius miſit ad nos Excerpta. in eo aptè hæc lacuna expleta: *his prius verbis*, RITE ME MATRONAE VIDISTIS. *deinde*, RITE DICASTIS. Vult enim omnino Valerius, bis id ſignum vocem edidiſſe, eiuſdem mentis, verbi tamen vnius immutantis. Scio Dionyſium, Plutarchum, Auguſtinum etiam IV. De Ciuitate ſcribere, iteraſſe Iunonem bis eadem ipſa verba: ſed Valerium ab iis abire (vt ſæpe) teſtari verbum *Vidiſtis* poteſt, quod aliis illis omiſſum. Si improbas: poſſit non ineptè legi, *priuis his verbis.* id eſſet, ſingulis articulatiſque verbis. Siue etiam *conſtitit patribus, his verbis.* Vt vocem patribus, truncatè ſcriptam fuiſſe cenſeamus.

*Non audentibus Romanis prœlio congredi*] Veteres, *prœlium ingredi.* eleganter.

*Cuius ſalus ab imminenti exitio defenſa, ruinæ quoque ſubtracta eſt*] In vet. *officio*, pro, *exitio.* malè. Sequentia connexim lego, *defenſa, ruinæq́ ſubtracta eſt.* Nec enim aliud aliquod exitium Simonidi imminuit, quàm hoc ipſum ruinæ.

*Patrimonij etiam poſsidēdi adeundæq́ ſcholæ communione coniuncti*] Vett. *alendæq́ ſcholæ.* malim, *habendæq́.* vt vnà eos docuiſſe ſignificet.

*Ne ipſa quidem artifex Natura rationem rerum reddiderit.*] Compoſitius hæc priſca editio, *artifex rationem rerum Natura.* Illud, *rerum*, ſanè iungendum cum Naturâ eſt.

*Cum ſciamus rectè ab eâ*] Priſca lectio, *ratione ab eâ.* quaſi dicat, iure ab eâ vindicari.

*Dicit belluæ etiam corium* CXX. *pedes longum in vrbem miſſum*] Breuius antiqui: *belluæ corium* C. & XX. *pedum in vrbem miſſum.*

## LIB. II. CAP. I.

*Initiciam ſtilum tam noſtræ vrbis, quàm ceterarum gentium priſcis ac memorabilibus inſtitutis*] Sambuci codex, *initiabo ſtilum.* quod eſſet, quaſi initium auſpiciumque ſtili capiam. Sed probo lentè.

*Diſciplina contineri*] Ex ſenſu, *diſciplinam.*

*Multorum matrimoniorum experientiam, quaſi illegitimæ cuiuſdam intemperantiæ ſignum eſſe credentes*] Imò verò, *legitimæ intemperantiæ.* Vult tales viroſas fæminas ad pudorem rationemque peccare, ad legem tamen nubere. itaque velut legitimas quaſdam adulteras eſſe. Similis rei in Martiale iocus:

*Quæ toties nubit, non nubit, adultera lege eſt:*
*Offendar mœchâ ſimpliciore minus.*

*Reducendi etiam officio fungerentur*] Vetus, *officium.* probè.

*Breuique progreſſu morarum in lucem virtutum verecundia & laboris meditatione ipſi doctiores eunt*] Contaminatus planè & depoſitus, te iudice Pighi, locus: quem vide an attollam. In meis libris eſt, *breuique proceſſu.* item, *verecundâ,* pro, *verecundiâ.* A tenui hoc auxilio, commodè tamen expedimus: *breuiq; proceſſurarum in lucem virtutum verecundâ & laborioſâ meditatione, ipſi doctiores erant.* Sententiam totam lege, vide: probabis valdè.

*Defuncta virium curſu ætas*] Priſca ſcriptura, *viri curſu.* Nũquid, *viridi?*

## CAP. II.

*Imperij pondus & auctoritatem domari*] Lego, *donari.*

*Credo ne alienigenâ ingenij exercitatione, patrij ritus ſeruus transfuga exiſteres*] Cur, ſeruus transfuga? an non transfugiunt & liberi? Benè emendo, *ſerus transfuga.* Senex, inquit, tu Mari, & poſt duplices triumphos Græcam linguam diſcere ſpreuiſti: ne ſero velut tranſfugio te canoſque tuos dehoneſtares. Sed & liber vetus auctior, *patrij ritus & linguæ.*

*Hoſtiarum exta ad Quæſtores ærarij delata veniebant*] Lege, *vaeniebant.* pecuniam ſcilicet ex iis venditis in publicum redigebant.

*Sub magnis auctoribus celebrabat*] Diſplicet lectio: nec tamen quod præponderet nunc reperio. An *ductoribus?*

## CAP. III.

*Memorq; ſi militaris ignauia humilitatem ſpernere perſeueraret*] Ignauiæ vox haud conuenit. legam commodius, *ſi militaria ſigna.* &, *perſeuerarēt.*

*Q. Næuius centurio, è peditibus lectos expediti corporis, breuibus & incuruis ſeptenis armatos haſtis, paruo tegmine munitos*] Inſignis hic de inſtitutione velitum locus: ſed quem menda obſidet non vna. Primùm legimus, *breuibus & incuruis haſtis.* an rectè? aut censeſne haſtas illas ad iactum incuruas fuiſſe? ego ſcio rectiſſimas, niſi ſi capis de ferro. Vetus lectio, *breuibus & in turmis.* Elegãter & vtiliter emendo, *infirmis.* Deſcribit videlicet velitares illas haſtas; & primùm ait breues fuiſſe (quaternûm enim tantùm pedum, vt Liuius vult: ſiue duûm cubitorum, vt Polybius:) deinde addit & infirmas, id eſt ligno tenui & minimè craſſo. Adfirmat Polybius, qui lignum hoc τῷ μὲν μήκει ὡς ἐπίπαν δίπηχυ, τῷ δὲ πάχει δακτυλιαῖον facit: id eſt, *longitudine quidem omnino bicubitali, craſſitie ſaltem digitali.* Iure igitur, noſter, *infirmum.* Sed amplius hîc ſcriptum: *paruo tegmine munitos.* Quod autem hoc tegmen paruum? indefinita ſcriptio, imò inepta. Lego, *parmæ tegmine.* Liuius enim diſertè libro XXVI. & XXXVIII. parmas tribuit velitibus, Polybius item, & Frontinus lib. IIII. Sed & Varronis fragmentum eſt: *cum rotundis velites leues parmis.* Denique in clauſulâ exempli: *Ideòque auctori eius Næuio adhuc honos eſt habitus.* Quid illud, *adhuc?* An manebat aut repræſentabatur honos Næuij ad Valerianum æuum? nugæ. Scribo, *à duce.* Exprimere & imitari, vt ſæpe, Liuium voluit, qui de hoc facto: *Auctorem peditum equiti miſcendorum centurionem Q. Næuium ferunt: honoriq; id ei apud Imperatorem fuiſſe.* Quod ab Imperatore igitur honorem ei habitum Liuius ſcripſit, id à Duce Valerius.



## CAP. IIII.

*Cuius generis minus certa notitia eſt*] Imò verò ſæcularium ludorum (de iis loquitur) origo certa. meliuſque omnino libri priſci, *minus trita.* Satis firma quidem certaque traditio, at non adæquè vulgata.

*Habitabat enim in villâ ſuâ*] Illud *ſuâ,* additicium videtur.

*Vidiſſe ſe in ſomnis, quos neſcio deorum*] Libri duo è meis: *in ſomnis à neſcio quo deorum.* ſtatimque *prætergi,* &, *præcipi.* Rectè, vt opinor. certè ad Zoſimi mentem, qui lib. II. *vnum aliquem magnum virum & diuinam formam præferentem,* apparuiſſe vult: non, vt vulgata Valeriana lectio ſuadet, plures.

*Ad* XX. *pedum altitudinem*] alta hæc foſſio: verius fuerit, *denûm pedum.*

*Tranſlatum anteà Pœniceis indutum tunicis*] Credo verum, *Tranſlaticium,* id eſt, crebrum, receptum.

## CAP. V.

*Cùm inter publicas priuatáſque ferias, actiones, perſonis tecto capite,* &c.] Quid hîc, *Actiones?* quæ, aut quales in ludicrâ re tibicinum? Hunc quoque locum feliciore ſpongiâ eluimus, reſcribimuſque: *publicas priuatáſque feriationes,* compulſis in vnam vocibus, quæ perperam diductæ: ſtatimque, auctore etiam vetere libro, *concentus edit*: copula eiectâ, quæ ad ſuſtentandas Actiones ſaltem immiſſa.

*Ideò in ſacrificiis mola quæ vocabatur*] Quaſi mola exoleuiſſet Valerij æuo. Scribe, *vocatur.*

## CAP. VI.

*Omnia antiquæ conſuetudinis momenta ſeruanda*] Seruat vetus editio antiqui ſermonis normam: *monumenta ſeruandum.* nec ius peruertere.

*Sine planctu luctus, funeris die*] Confuſa leuiter & leniter ordino: *ſine planctu. luctus, funeris die, domeſtico ſacrif. a. n. conuiuio finitur.* Hæc mens. luctum non produci, ſed finiri ipſo illo funebri die.

## CAP. VII.

*Quod eius culpâ agger incenſus, & penè caſtra fuerant capta*] E terrâ plurimum agger: potuitne accendi? Tu ſedulò velas mi Pighi: ſed velim (puto te non nolente) *agger inſcenſus.* Inſcendi & conſcendi aggerem, vallum, crebra & trita dictio.

*Lictorum verberibus lacerandus*] Ita tu è Campenſi libro. at plerique libri vberius: *Lictorum ſe verberibus lacerandum præbuit.* Reiicis ideò, quia non ſe præbuit Rullianus, inquis, ſed priuſquam verberaretur effugit. Vulgatæ tamen ego verba ſeruem, ſed immutem: & è *præbuit*, faciam *præbeat.* Sententia ita acrior, fortiorque videatur.

## CAP. IX.

*Ite igitur & nodoſam exſoluite ſtipem, vtilem poſteritati numeroſæ*] Nodus aliquis in nodosâ hac ſtipe: nec video quî adiectio hæc conueniat. Legerim, *numeroſam.* Cenſores videlicet, multiplicato cenſu, ærarios fecerunt cælibes: ſiue, vt ipſe Valerius hac ipsâ in re antè dixit, æra pœnæ nomine pendere iuſſerunt. Id more ſuo Valerius alludens, Ite, ait, pendite numeroſam ſtipem in vſum numeroſæ poſteritatis.

*Nec penſi duxerat, iiſdem imaginibus adſcribi*] Vox in pleriſque libris interiecta, *nec indignum penſi duxerat,* me arbitro, non emouenda, ſed velut exclamatio ſeorſim capienda, cum vulgatâ, ſi placet, parentheſeos notâ: *nec (indignum!) penſi duxerat.* Valerius & Annæus Florus hæc talia vſurpant, imò adfectant ſæpe.

*Eáque adieciſſe ſatis erit*] Vetus, *inieciſſe:* quaſi, ſtrinxiſſe, delibaſſe. rectè.

## CAP. X.

*Integritatem tanti viri paucis litteris perpendi*] Libri aliquot vett. *litteris perdi.* ex quo ego, *prodi.*

## LIB. III. CAP. I.

*Expreſſa eſt itaque illa vox hominum, Gratulemur nobis Latini,* &c] Scribo, *illa vox homini.* De Poppedio enim ipſo capiendum. qui, vt ex narratione Valerianâ & clarius è Plutarcho apparet, auctor vnus honorificæ huius in Catonem vocis.

*Ipſum Marium ſiquis eò loci ſtatuiſſet*] Abeſt vett. vox *ſiquis.* Lego igitur concinnius: *ipſum Marium eò loci ſtatuiſſes.*

## CAP. II.

*Nam neque altitudine deiectus, quaſſatuſve, neque pondere armorum preſſus*] De Coclite ſermo eſt, qui è ponte in Tiberim præcipitauit, audaci & felici ſaltu. Sed aptius omnino legeris: *altitudine deiectus quaſſatus, neque &:* Deiectus altitudinem, ſiue deiectionis cape.

*Eadem enim tempeſtate*] Ætiologica illa particula *enim*, non habet hîc planè locum. Mutem, & ſcribam, *Eadem ea tempeſtate.* Ea, videlicet Clœlia.

*Quo ſpectaculo attoniti hoſtes, poſtero die ad eum ſupplices pacem petentes venerunt*] Hæc clauſula tota rei falſæ & abſurdæ eſt. A Catone ne tum admodum iuuene, nullum imperium, nullum munus publicum fungente, pacem publicitus petitam? Numquam factum, nuſquam ſcriptum. Audacior medicina huic loco facienda, ne tam latæ culpæ exemplum ſit exemplaris ſcriptor. Lego igitur, *ad Paullum ſupplices.* Quod ad hiſtoriam eſt: quia vniuerſi Macedones illo biduo (Plutarchus auctor) in fidem Paulli Aemilij ſe permiſerunt.



*Tib. Gracchus, profuſis largitionibus, fauore populi occupato*] Malim, *aucupato.* patiendi ſignificatu, vt aliâs notaui.

*Ego certè aut ſpecioſam optaui mortem, aut felicem audaciæ exitum*] Scribo omnino: *aut ſpecioſam oppetam mortem.* Ea lectio ex mente viri fortis.

*Capitali ſupplicio adficiendos iudicaret*] Imò, cùm id euênit, iam maximè ſupplicio eos adficiebat. Benè igitur vetus, *adficiendo vindicaret.*

## CAP. III.

*Edito gemitu regias aures adſpergeret*] Lego, *aſperaret.*

*Non ergo faſtidioſo aditu virtus excitata, ingenia viuida ad ſe penetrare patitur*] Commodiùs hæc legas & diſtinguas: *Non ergo faſtidioſo aditu virtus. excitata ingenia ac viuida ad ſe,* &c. Non habet, inquit, faſtidioſum aditum virtus. quælibet ingenia, modò acria & viua, admittit.

## CAP. IV.

*Vernam hunc vrbi natum, regem dando*] Verba traiecta recolligo & repono, *Vernam natum, huic vrbi regem dando.* Viliores videlicet nati ſerui, quàm facti. Plautus ad correctionem noſtram appoſitè, de Mercurio & Soſiâ:

> *Satius eſt me queri illo modo ſeruitutem, hodie*
> *Qui fuerim liber: hic, qui verna natus eſt, queritur.*

*Ab his indoctis erroribus abductum animum*] Legendum videri *ab his doctis erroribus,* monui ſecundo Electorum.

## CAP. V.

*Qui in maximo & ingenuorum ciuium, & ampliſſimorũ prouentu*] Emendo, *& ingeniorum, & ciuium ampliſſimorum:* ipsâ ex re.

## CAP. VI.

*In cultu, ceteróque ritu*] Auctiores voce antiqui, *ceteróque vitæ ritu.*

## CAP. VII.

*Quoniam ne ille quidem in conſimili genere virtutis edendo fatigatus eſt*] Parum ſapiebat phraſis, Edere genus virtutis. Adiuuit, & duxit ad veram lectionem ſcriptura priſca, *genere virtutis ſudando.* Ex quo ego: *ſe dando,* veraciter corrigam.

*Non patiuntur me tenuioribus exemplis inſiſtere fortiſſimi duces*] Veteres, *tenerioribus exemplis*, magis rectius. quæſitus enim ſermoni decor ex antithetis Teneriorum & Fortiſſimorum.

## CAP. VIII.

*Quaſi debitum ſupereſt opus conſtantiæ. Natura enim comparatum eſt.* &c.] Libri mei, & pleriq; è tuis Pighi, *conſtantiæ repræſentatione. Cura enim* &c. Verùm ego cenſeo, *conſtantiæ repræſentatio. Natura enim.*

*Dicta-*

*Dictatori ei Magiſtrum equitum Minucium iure imperij Senatus æquauerat*] Hoc de Senatu planè & perſpicuè falſum. Non ſciuerunt, non approbarunt id temerarium & nouum patres: plebis vnius & Tribunorum hæc ſanctio, hic error. Itaque Liuius diſertè Plebiſcitum appellat. Nec aliter Plutarchus. Quin iſte ipſe Valerius lib. v. cap. 11. *Dictatori ei*, inquit, *Magiſter equitum Minutius, ſcito plebis æquatus.* Neſciuit Valerius? corruptores iſti librorum potius, à quibus infarcta vox *Senatus*. Ego cenſeo illum ſcripſiſſe, *iure imperij æquauerant*. Satis enim pronum intellectu, quos intellegat.

*Sæpe etiam ſpecie benè gerendæ rei oblatâ*] Malo, *ſpe benè gerendæ rei.* atque ita priſcus liber.

*Depulſis proſtratiſq́; inimicorum partibus, Sulla*] Vetus, *diſpulſis*, id eſt, diſiectis diſſipatiſq́;. quod probo. Sed & voculam, *Inimicorum*, libens hîc expunxerim, immiſſam ab iis qui Partium nomen quid valeret parum capiebant.

*Sine vllis imaginibus nobilem animum & idem conſtantiæ propoſitum ſecutus C. Mæuius*] Placet magis lectio antiqua cum voce insertâ, *nobilem animum oſtendit, idem conſtantiæ*, &c.

*Vt Cæſaris miles eſſe deſinam, & tuus eſſe incipiam*] Concinniùs concepta in priſco viri fortis verba: *vt aut Cæſaris miles deſinam, aut tuus eſſe incipiam.*

*Quem Syracuſanus Dion diuerſitate exempli prægrauat*] Benè omnino liber vetus, *ſeueritate exempli*. Nam prius exemplum amatorium eſt & tenerum: hoc ſerium, ſeuerum.

*Qui cum ad vnam potionem ſententias direxiſſent*] vetus, *Quorum cum ad vnam.* Lege igitur & ſequentia, *ſententiæ direxiſſent*. Non tritum hodie, ſed priſcæ elegantiæ dicendi genus. Et ſanè frequens illis, verba hæc agentia, ad neutrorum quaſi ordinem ſignationemq́ue transferre.

## LIB. IV. CAP. I.

*Cenſor cùm luſtrum conderet, inq́; ſolito fieri ſacrificio, ſcriba ex publicis tabulis*, &c.] Damno verba, *ſolito fieri*: & iure. Sordent enim, imò & fallunt. An ſolet olim fieri id ſacrum, non Valerij æuo? Imò etiam tunc in vſu, quotiens conditũ luſtrum. Vetus præiuit mihi ad notabilem emendationem, in quo lego, *ſolita viri*. Non ambiges tu optime Cenſor, quin * *Solitaurili*, ſcribendum ſit: quod ſacrificium proprium omnium luſtrationum: & inprimis Cenſoriæ huius. lapis Romæ pulchrè, in quo apparatus omnis iſtius ſacrificij, cum triplici hoſtiâ; ſue, oue, tauro, Cenſore faciente. Vide, ſi lubet, quæ notanimus ad Hiſtorias Taciti.

*Hoc à magno Cuiacio notatũ iam eſſe, per epiſtolam mihi index Th. Canterus.*

*Ita ſibi credi oportere, ſi & alij idẽ aſſeueraſſent*] Priſcæ editiones negationem inſerunt, *ſi non & alij*. falsò. at tu muta, *ſi modò & alij*: & rem habes.

*Vnius teſtimonio aliquem credere, peſſimi eſſet exempli*] Eædem cum altero è manuſ. meis, *aliquem cedere*. & verum cenſeo, aut certè, *cædere*: id eſt perdere aliquem & adfligere.

*Quam anguſto ambitu orationis amplectar*] Vetus, *quàm breuiſſimo.*

*Sed cùm magna & multa breuiter dicenda ſint*] Placet priſca lectio, *cùm magna ſtrictim, & multa breuiter.*





*Sermo infinitis perſonis rebuſq́; circunfuſus, vtrumque præſtare non poteſt. Itaque propoſiti quoque noſtri ratio*, &c.] Abeſt antiquis pleriſque vox, *Sermo*: & ſequentia illa ſic concipiuntur, *vtrumque præſtare propoſiti nequeo quoque noſtri ratio.* Corrigo & dirigo: *vtrumque præſtare nequeo. Propoſiti quoque noſtri ratio.* Sermonis illâ voce eiectâ.

*Vbi maximorum ducum & ciuium tantorum togata prælia*] Vetus, *tantum non togata.* bene ad meum ſenſum.

*Plebis ſcitum enim interpoſuit*] Vetus & vera ſcriptio, *plebei enim ſcitum.*

*A piſcatoribus in Mileſiâ regione verriculum trahentibus*] Priſca editio, *reticulum trahentibus*. An & *reteiaculum?*

*Hoc fortunam tractus ſe emiſſe dicente*] Alij libri, *ductus*, non, *tractus*: duo è meis, *iactus*. quod æquè placet.

*Qua conditione propter nouitatem rei ad vniuerſum populum delatâ*] Omnino ſcribendum, *quâ cognitione.*

*Atque vt Theopompo*] Vetus, *Atque in.* Lego, *Atquin Theopompo.* & ſtatim voce inſitâ, *qui cum primus.* ex eodem libro.

## CAP. III.

*Deinceps ex iis vocemus, quorum animus*, &c.] Præpono veterem lectionem, *Deinceps & ijs vacemus.*

*Cn. Martius, cui Corioli Volſcorum opidum captum cognomen adiecit*] Vetus, *captiuum cognomen.* &, *adiecerunt*. Lego igitur: *Corioli, Volſcorum opidum, capti, ſuum cognomen adiecerunt.*

*Atque ligneo catillo cænantem*] Priſci, *éque ligneo.*

*Poti ſenis animum illecebris pellicere non potuiſſet*] Sambuci codex, *poſſi ſenis a. i. polluere.*

## CAP. IV.

*Cùm Campana matrona apud illam hoſpita, ornamenta ſua illo ſæculo pulcherrima oſtenderet*] De mendo ſuſpicio hîc mihi iniecta primitus, quia cùm verba hæc ſint è Collectorum libris Pomponij Rufi, antiqui ſcriptoris, nec procul adeò à Gracchano æuo: vix conueniebat illum vt de remotiſſimo æuo loqui, *illo ſæculo pulcherrima*. Auxit trium librorum veterum lectio, quæ *illius ſæculi*, præfert. Ex qua bella mihi nata correctio, *illius oculis*. nec ego quidem de veritate ambigo. Certè, vt Campanus luxus tunc fuit, omni ſæculo pulcherrimus videri potuit muliebris ille mundus.

*Quia dominium rerum collabi ſolet, bonæ mentis vſurpatio*, &c.] Sambuci codex voces aliquot ingerit, iſtas: *dominium rerum collabi ſolet, bona mens præfertur diuitiis, cuius vſurpatio*, &c. Purior mihi vulgata eſt.

*Tres cõſulatus acceptiſſimos populo Rom. geſſit*] Vetus, *acceptiſſimè.* accipio.

*Solidæ laudis cupidini*] Magis placet prior lectio, *cupido.*

*Primi belli Punici gloria cladeſq́; maxima*] Acutius videatur & verius, quod in priſcis: *gloria, quia clades maxima.*

*Minus multò cultores*] Sententia vult, *multos*.

*Ideò Senatus*] Vetus, *Idem Senatus*. & rectè.

## CAP. VI.

*Quorum ibi factum ſepulchrum, Tarenti etiamnum conſpicitur*] Vox *Tarenti*, à gloſſulâ eſt.dele. Nam de vrbe eâ antè ſtatim ſermo: & nunc addit, *ibi*.

*Sunt & alienigeni amores iuſti, obſcuritate ignorantiæ non obruti*] Veteres mei vberius & verius: *alienigeni amoris cineres, vſti obſcuritate*, &c. Duriuſculè,fateor. ſed Valerium ne noſce, aut hæc agnoſce.

## CAP. VII.

*Itaque celerius eſt ſine reprehenſione propinquum auertere,quàm amicum: quia altera diremptio iniquitatis, altera vtique leuitatis crimini ſubiecta eſt*] Primùm, lego, *celerius & ſine reprehenſione propinquum auersère*. deinde cũ in veteri ſit,*quia altera delectioni iniquitatis*, malim ſcribere,*quia altera defectio iniquitatis*.tamẽ in Vltraiectino altero,*deſertio*.quod ęquè probũ.

*Tu exilium indiceres: adeò blando vteris imperio, quod is ſupplicium honori prætulerit*] Parũ Latina aut pura hæc iunctura. veteribus abeſt vocula,*is*: item,*Prætulit*,in iiſdem,non *prætulerit*. Ego concinno, *tu exilium indiceres: (adeò blando vteris imperio) ſupplicium honori prætulit*.

*Iuſtæ pœnæ debitum ſpiritum tenebris furari conabatur*] Quis ſpiritum furatur? me arbitro, parum aptè dictum aut ſcriptum. In veteri,*funerari*. Ex quo bellâ metaphorâ eruimus, *fœnerari*. lucrari videlicet & producere ad tempus latibulo illo ſpiritum Brutus volebat.

*Teſtatiorem beniuolentiam*] Priſcus liber, *teſtationem*. rectè,ſi *beniuolentiæ* reſcribas.

*Atque vt illarum ædes, ſacra domicilia*] Melius, *ædes ſacræ, domicilia*.

*At quo ſeceſſu quoſdam fugeris, aut quibus inſulis miſericordiæ permulſeris; non cohibebis ne alienis malis perinde ac bonis ſuis lætentur*] Veteribus nullæ ſunt duæ illæ voces, *non cohibebis*.& ſpernendæ omnino,ſic tamen vt totam clauſulam interrogatione deinde alleues.

## CAP. VIII.

*Si animo erogantis*] Scribes *animum*,ſi tu animum ad priora rettuleris, à quibus hæc pendent.

*Alter enim quod præſtat, poteſt*] Fallor, aut argutior priſca lectio, *quod poteſt, præſtat*.

*Iam qui hac præcipuè negotiatione delectantur.*] Vetus, *negatione*. De re vſurariâ loquitur, eaque inhoneſtâ: cui nimis honeſtum Negotiationis verbum. Credam facilè fuiſſe,*nummatione*.

*Sed etiam quæ alius ipſo tribuente ſenſit, commemorari*] labem & nubem huic loco veteres adimunt, in quibus ſic: *quæ alio tribuente ſenſit*. Tranſitum enim & velut viam ſibi facit (ſolitum id Valerio) ad exempla Externa ſequentia; in quibus non Romanorum in alios, ſed aliorum in Romanos liberalitas expreſſa. Eam autem, inquit, commemorari quoque intereſt Romanæ laudis, quia meruit.

*Quod*



*Quod nollent accipere*] Gloſſulam hoc totum ſapit.dele, aut reſcribe, *ne nollent*: ſed dele magis.

## LIB. V. CAP. I.

*Cùm & viribus corporis, & animi virtute aliquanto eſſet ſuperior*] Puto vocem excidiſſe,ſcribendumq́; *viribus corporis par, & animi*, &c. Nam animo ſaltem excelluiſſe Romanum vult,cùm cetera pares eſſent.

*Proinde in eo prœlio Badius obtruncatus eſt.*] Quo prœlio? non certè ſingulari illo occubuit. Itaque voculam,*eo*,delendam cenſeo. Poſteà ſcilicet pugnâ aliquâ ceciderit.

*Siquis ignarus vir aſpexiſſet*] Lege,*viri*.

*Amicitiæ regis fidiſſimi populo Rom.*] De Maſaniſsâ loquitur. Atqui ille,cùm id contigit,infenſiſſimus Romano nomini hoſtis. Itaque parum attenta Valerij mens hæc ſcribentis.

*Eam ex tyranni ore manaſſe*] Pleriſque libris additum, *ore de humanitate manaſſe*. Reiicis ea verba, Pighi,è libris aliquot ſcriptis; & rectè. Nec malè aut imperitè tamen ſiquis legat, *ex tyranni ore & immanitate*.

*Sermonem habuiſſe*] Vetus, *habitum*. Si rectè: tum paullò antè reſcribe, *quondam*, vbi, *quoſdam*, legis.

*Ad patrem propugnatione laborantem*] Veteres duo, *propugnatorem laborans*. Suſpectus locus, eò magis, quòd duæ eæ voces alteri manuſcripto abſint. An tamen, *pro pignore laborum?*

## CAP. II.

*Coriolanum patriam oppugnare conantem*] Vetus, *Patriæ interitu perficere conantem*. Quid ſi, *interitum?* Vulgatam ſi intueare, diſpliceat: quia non oppugnare conatus ſaltem Marcius: ſed reuera oppugnauit. Si retines, malim *expugnare*.

*Senatus matronarum ordinem*] Addunt veteres, *Senatus gratitudine motus matronar. ord.*

*Vti fœminis ſemitâ viri cederent*] Iidem,*de ſemitâ*. Plautus: *cedam ego illi de viâ, de ſemitâ*.

*Vacaſſe in tanto gaudio Patribus Conſcriptis duabus humilibus fœminis referre gratiam, nedum tam præ ſe tuliſſe, mirandum*] Sententiam haud malam ex his elicias. cùm tamen in veteribus duobus legam, *nedum tam propter ſe tuliſſe*: ambigo an non ſcribend. *nedum tam properiter retuliſſe*. Celeritas enim beneficij, beneficium auget.

*Quidquam decerpſit*] Priſcus codex, *arceſſit*. Poſſis legere, *abſceſſit*.

*Quorum laudem adiecta lege conditio auget magis, quàm extenuat*] Quæ hæc conditio adiecta lege? fruſtrà quæras. Scribe, *abiecta*. Hæc eſt mens Valeriana: Libitinarij, inquit, etſi lege & more abiectum ac vile id genus, tamen, &c. Sanè in vilibus habiti ſemper: ideoque mox etiam appellat, *Contemptum gregem*.

*Sed dum honeſti actus etiam ab infimis editi memoriâ non intercidant*] Abeſt veteri, *actus*: & poſt, *infimis*, inſerit, *eſtis*. Ego legam: *dum honeſti etiam ab infimæ ſortis editi memoria non intercidat*. Dummodo rei honeſtæ,



inquit,

inquit,etiamſi à vilibus editæ memoria duret, &c. Statim etiam malim, *vt nec illis adiecti,nec his prælati:* ordine mutato. & cur malim,vides.

*Quorum quoniam religioſum cultum inſtituimus*] Imò verò, *inſtitimus.* Iam enim dixit de Gratitudine, & locum eum velut peragrauit.

## Cap. III.

*At,inquit,ærario*] Lege, *inquis.*

*Quo enim Iambo, quâ procellâ verborum*] Haud diſplicet de Iambo: nec item quod in veteribus,*nimbo.*

*Ille vicatim diſperſos ciues ſuos in vnam vrbem contraxit*] In veterib. eſt, *ille locatim.* Neutra vox ad verum, & facilè ex hâc inconſtantiâ odoror ſuppoſitas illas pro germana iſtâ, *pagatim.* Athenienſes enim ante Theſea in pagis habitarunt. Plutarchus, & clariſſime Liuius libro XXXI. *Delubra ſibi fuiſſe*(Athenienſes loquuntur) *quæ quondam pagatim habitantes in paruis illis caſtellis vicíſq; conſecrarint.* Idem de iiſdem: *Templa deûm quæ pagatim ſacrata habebant.* Adde, quæ mox addam.

*Abunde non duxerunt*] Negatio abeſt veteri: & tollenda.

*Hanc hereditatem paternam ſolam ſe ſortitum*] Optimè vetus & ex veteri formulâ, *ſolam ſe creuiſſe.* Hereditatem cernere, peruota iam & notata aliis dictio.

*His dotibus,quæ ad pacandum hominem potentiſſimæ indicantur*] Diſplicet iure, *pacandum:* & falſum ſcio: Veteres duo, *pariendum,* certius, *peirendum.* Tentem ex eo, *Parcendum homini.* Etſi malim *pertegendum*, aut eius ſententiæ verbum propinquius.

*Diſcordes foci tui,paucis diuidua tuguria,ô Græcia, facta ſunt.Columē lucet Marathon,*&c.] Curuus locus.quem tentaſti,Pighi,dirigere: ſed tentaſti. Nos,niſi fallor, propitio Phœbi filio ſanamus. Vetus vnus habet,*& paucis.* alij aliquot, *& pacis.* Lego, *& pagis.* Hoc primum. Sanè quin referenda hæc ſint ad Theſeum,qui pagatim habitantes Athenienſes (ſuprà doctum ſatis: & hic locus priori illi firmando item valeat) in vrbem conduxit, nemo ambiget ex cathenatâ hac priorum repetitione. Iam ſequentia ex priſco libro ſic concinno: *& pagis diuidua tuguria tua, Græciæ facta ſunt columen.Lucet Marathon,* &c. Athenienſes ipſos alfantur & increpant. Per nos,inquiunt,tua tuguria & pagi exculti, in caput Græciæ vertêrunt.

*Honore aræ decorata, quaſi ſacroſancta colis*] Vetus vnus, *ſacroſanctiores colis:*alij,*ſacroſanctiora.*& omittunt τὸ,*quaſi.* An legendum, *decorata, ſacrâ ſanctione colis?*quod eſſet,ſacrâ quadam lege & decreto colis.

## Cap. IV.

*Expugnaſti,inquit,& viciſti iram meam,patriæ,precibus huius,*&c.] Confuſa hæc,mala. Scribo: *viciſti iram meam patria, precibus huius admotis. cuius vtero te,*&c. O patria,ait, iam animum meum viciſti telo hoc maternarum precum.

*Quod neceſſe eſt animo quoq; euenire,aliquantò efficaciore picturâ litterarum vetera pro recētibus admonitos recordari*] Locū habes,Pighi,inter mutilos: ego

ego inter malos.Emendari poſſe cenſeo nonnullâ admonitiunculâ libri, qui habet *vetera prodentibus,* Vnde ego, *vetera à prudentibus admonito recordari.* Diſpice, nec fugiet te ſententia. Inuoluta antem huiuſmodi multa in Valerio:nec miror ſæpe in tam tenebroſis ſententiis offendiſſe exſcriptores.



## Cap. VI.

*Quia euerſa domo,intemptatus reip. ſtatus manere poteſt*] Placuit ita tibi Pighi,è Cauchiano. At in duobus meis eſt,*interdum proprius reip. ſtatus.* Non malè certè.Quod ſi Cauchiana ſcriptura præferenda eſt: malim ex eâ tamen, *intemeratus.*

*Namque in capite eius ſubitò veluti cornua emerſerunt*] Vacillant valdè libri. Alij, *cornua eruperunt:* alij, *erepſerunt:* meus palàm, *erexerunt.* nouè,ſed verè. Erexerunt,abſolutè eâ formâ dictum,quâ antè notaui Direxerunt. Sic Minuerunt,Auxerunt, Sedarunt,Poſuerunt: id eſt, minuta, aucta,ſedata,poſita ſunt,veteres paſſim dixêre.

*Cui ius dicenti, cùm in capite picus conſediſſet*] Bona item priſca lectio, *Cuius dicentis.*

*Domus ipſius ſtatum feliciſſimum*] Veteri,*factum fideliſſimum.* probem, *fatum feliciſſimum.*

*vnicum talis Imp. ſpecimen eſſet*] Sambuci codex,*ſectamen eſſet.* Anne *ſpectamen?*

*Ac pabulantium hoſtium globo*] eiuſdem codex,*palantium.*

## Cap. VII.

*Stratonices infinito amore correptus*] An *infrunito amore?* Certè de ſtolido, improbo & impudenti adfectu loquitur priuigni in nouercam.

*Excitatiorem anhelitum*] Falsò. languidior enim anhelitus, & velut abiens cum illâ abeunte fuit. quod ipſe Valerius aperit, qui increbuiſſe anhelitum ait illâ intrante. Veterib. eſt, *exercitatiorem.* Vox accommoda haud mihi nunc accurrit.

## Cap. IX.

*Se nil tale debere ſuſpicari perſuaſus*] Non eſt in veteri vox,*debere.* Ego verò illud,*ſe,* etiam deleo,& lego,*nil tale ſuſpicari perſuaſus.*

## Lib. VI. cap. I.

*Vnde te virorum pariter ac fæminarum præcipuum firmamentum Pudicitia inuocem?* Scribendum eſt, *euocem.* Varia enim eius domicilia recenſet:& velut ambigit, vbi potiſſimum habitet. Vocem etiam *Firmamenti* (neſcio an non calidè) mutem in *Ornamenti.*

*Sanctiſſimúmque Iuliæ gentis genialem thorum aſſiduâ ſtatione celebras*] Inſignis planè reſtitutio, quam tamen libris debemus; quibus ferè vox, *gentis,* abeſt. Et quî expedias alioqui hanc ſententiam? Quæſo te, an gentis Iuliæ genialis aliquis thorus? imò ſingulorum is eſt, nec niſi matronarum. Itaque de Iuliâ hoc capiendum ſiue Liuiâ Auguſtâ:cui ſeruiliter,

 uiliter,

uiliter, vt & Tiberio aliâs, adulatur: tantamque pudicitiam eius facit, vt numen ipſum inhabitare velit Genialem eius thorum. Porrò Iulium nomen poſt adoptionem vulgò datum Liuiæ, docui in Commentario ad Tacitum. cuius rei inobſeruantia locum hunc fœdauit.

*Atque hanc illatam iniuriam non tulit Virginius plebeij vir generis*, etc.] Scribe & diſtingue: *Atque hæc illatam iniuriam non tulit. Virginius*, etc. Claudit exemplum præcedens, & tranſit ad alterum: Atque hæc Lucretia, inquit, illatam iniuriam vlta eſt ferro: Virginius etiam inferendam.

*Deductam in forum puellam occidit*] Imò iam in foro erat puella ad Appij tribunal. Lego, *ſeductam in foro*. Ita res, è Liuio, aliiſque: qui ſeductam paullùm à patre puellam, & tunc interfectam clarè ſcribunt.

*In qualicumque enim ſtatu poſitam Romano ſanguini pudicitiam*] Melius, *poſito*.

*Aequè ſimilis fœdus exitus ſequitur*] Illud, *ſimilis*, infarctum eſt.

*L. Octauium deprehenſum neruis contudit*] Sambuci codex, *pernix contudit*. vnus è meis, *protinus contudit*: alij, *pugnis*. Ego hæreo.

## CAP. II.

*Multi metus vrbis atque Italiæ finiti erant, plebs Romanæ libertatis Scipionis libera non fuit*] Nihil hæc poſtrema ad eam clauſulam. itaque amoue, & copula cum ſequenti exemplo, hoc modo: *Plebs Romana libertati Scipionis libera non fuit. quapropter minus mirari*, &c.

*Idem cùm multa de temporibus Cæſaris liberius loqueretur*] Veteri deeſt vox, *Cæſaris*: & pro, *temporibus*; legit, *patribus*. Tu non ambiges quin, *partibus*, vera ſcriptio ſit, voce etiam illâ reiectâ. Partes, eo ſenſu quem ſuprà notaui.

*Itaque timens ne ſi tu fueris abſumptus*] dele illud, *timens*, fide libri.

## CAP. III.

*Polliæ quæ proxima exierat*] Mallem, *quæ prima*. atque in his vocibus ſæpe commutatum.

## CAP. VI.

*Falſum legationis nomen amplecti*] Vetus, *vocabulum amplecti*. Auſímne, *velabulum*?

## CAP. VII.

*Ne domitorem orbis Africani fæmina impudicitiæ reum ageret*] Impudicitię vox non in virum conuenit, eumque qui libidinosè agit, ſed qui quæ've patitur. Latini quidem ita. Exemplum hîc contrà, ſi locus rectus. In veteri vno eſt, *incontinentiæ*. in altero, *impatientiæ*. ex quo ego reſcribam, *impotentiæ*. Ne is, inquit, qui potens tot hoſtium, parum potuiſſe in ſe coërcendo videretur. Proba omnino correctio.

## CAP. VIII.

*Cuſtodita rei ſalute ſubuertit. Argui fortuna* etc.] Codex meus voces aliquot inſerit bonas & germanas, *ſubuertit, & dominum ſuâ fide & conſtantiâ*



*ſtantiâ liberauit. Argui*, &c. Malim tamen, *ſummi fide*. Paullò item antè legerim, *Plurimis etenim laceratus verberibus*.

*In cubiculum ac lectulum recepit*] Priſca editio, *ac lectuculum*. Lego, *lecticulam*. Is ritus, vt lecticulas haberent non ad ſomnum ſed ad decubitum, in quîs lucubrarentur, ſcriberent, quieſcerent. Suetonium in Auguſto vide.

*Contentus eſſem huius generis exemplis*] Priſci libri inſerunt, *eſſem ex hiis huius generis*. Fuiſſe cenſeas, *eximiis huius generis*.

*Nec ſolùm hactenus beniuolentia proceſſit*] Iugula vocem *ſolùm*, auctore libro. Proprietatem verbi hactenus non cepêre, qui addidêre.

## CAP. IX.

*Nam cùm aliorum fortunas ſpectando*] Vetus, *fortunas & pectora*. Ego veriſſimum cenſeo, *fortunas & decora*. Statimque, *quid aberit*, non *oberit*, ex veteri.

*Sed operas publicanis dedit: idem vltimam inopiam ſuam*, etc.] Scribe, *id eſt, vltimam*. vitio in libris crebro. Sententia hîc poſtulat. non enim aliud aliquod munus obiiſſe narrat, ſed hoc idem interpretando vilefacit & abiicit.

*Victor Capitolium felicitate celebrauit*] De triumphante loquitur. Anne *felici dape*? vt de ſolemni illo triumphatium conuiuio in capitolio capias.

*Turpem decoctoris ſuperlationem iniunxit*] Puto fuiſſe, *appellationem*. & deprauaſſe vocem adhæſu litteræ ſigma è fine alterius.

*Eiuſdem ſtultitiæ imperia ſalutaria*] Stultè interpoſita vox Stultitiæ: quam tolle, natam è lineâ priore. Nam illud Eiuſdem, ad Cimonem planè referendum fuit.

*Improuiſo decurſu deſtitutos*] Veteres duo, *receſſu*. quod approbo.

## LIB. VII. CAP. I.

*Adiecit animi rariſſimas dotes*] Rectè. quia tamen in veteri lego, *animi non rariſſimas dotes*, ambigo an *numeroſiſſimas* non fuerit.

*Nam Q. Metellum*] Duas voces iſtas, *Q. Metellum*, clarum à gloſſographo eſſe. De illo ipſo enim omnis hic continenter ſermo.

## CAP. II.

*Is vbi conſul cognouit*] Vetus, *Id ſic conſul*. Lege, *Id ſicut conſul*.

*Tam citò animaduertit*] Nihil hîc de celeritate: prudentiæ tota conſideratio eſt. Itaque ſcribo, *tam ſcitè*.

*Inſequentibúſque ſæculis ſint habitaturi*] Germanior ſcriptura libri, *inque ſequentibus ſæculis*.

*Quæ fortuitò patimur*] Malo, *ſortitò*: & ſententiam magis explicat.

## CAP. III.

*Sordidâ magorum dominatione oppreſſâ, Darius rex adiutoribus eiuſdem dignitatis aſſumptis*] Mirè inuolutus locus: mihi quidé. Darium ecce regem vocat. atqui candidatus regni ſaltem erat, & de eo agitur, quomodo & quâ

& quâ fraude regnum adeptus. Sed & adiutores eiuſdem dignitatis appellat. Adiutoreſne regni? imò contrà, aduerſarij eius, & quiſque ſibi ſpondebat eam dignitatem. Aut nihil video, aut grandis & audax deprauatio: quæ neſcio an ſic leuanda. (nam vt tollam prorſus, ſine libris vix ſperem.) *Darius rei adiutoribus eiuſdem aſſumptis.* Hiſtoria ſanè talis: & ij qui coniurant in magos, cõuenêre ſimul in hanc conditionem de regno.

CAP. IV.

*Omnes pugnantium globos præcurrit*] Vetus rectè, *percucurrit.*. Miſcuit ſe globis, non præcurrit.

CAP. V.

*Vt propoſitis ante oculos clariſſimorum*, etc.] Tota hęc circumductio melius & compoſitius concepta in veteri: *Qui à propoſitis ante oculos clariſſimorum virorum repulſis, vt non minore cum ſpe honores, ita prudentiore cum animi iudicio petent.*

CAP. VI.

*Quattuor & viginti millia ſeruorum comparauerunt*] Legendum videri, *quattuor millia ſeruorum*, & cauſſam erroris docui in I I. Elector.

*Eámne vnquàm aliquis in acie hortaretur*] Vetus optimè, *En, quem aliquis.* irriſorio illo & diſſimulanti genere ſermonis.

CAP. VII.

*Summâ cum iniquitate paternum nomen abrogauerat*] Priſca lectio, *nomen iurgauerat.* Fuit omnino, *nomen eiurauerat.*

*C. Calpurnij Piſonis Prætoris vrb. conſtitutio*] Libri plerique omnes, *præfecti vrbis.* Referre ad Piſonem præfectum ſub Tiberio conabar, cui dare ſe Valerius voluerit arceſſito hoc exemplo: ſed illi Lucium prænomen fuit.

*Terentius ex octo filiis*] Mentis meæ oculus hîc, niſi legas, *Terentius cum octo*, cæcutit.

CAP. VIII.

*Teſtamento is filium inſtituit heredem*] Si filium inſtituit: quomodo Ti. Longius id ſubuertit? & quomodo is ſanguine ei proximus? clara peruerſio. Emendauimus nuper, *Teſtamento Ofilium.* & probat nunc vetus, cui vocula, *is*, nulla eſt.

*Quid hoc loco inhoneſtius?*] Scribe, *ioco*, non, *loco*.

*Vitæ fructibus continuò cariturus*] Sambuci liber, *vitæ luſibus.* An, *vſibus*? puto.

LIB. VIII. CAP. I.

*Forti punitione liberata fratris dextra*] Verum eſt, *Librata.*

CAP. II.

*Aequitas quærentium delectare*] Vetus, *quæstionum.* Fortè, *quæſtorum*, ſiue, *quæſitorum.*





*Tam minuti à pudore exceſſus*] Vetus, *tam minimo.* Lego, *tam minimi*: ſicut aliâs hic locutus.

CAP. XI.

*Athenæ ſolicitudine agerentur*] Melius, *angerentur.*

*Deſiderium pictoris coëgit explere*] Margines tui præferunt, *coëgit exemplare.* quod & in meo eſt libro. Verbum ignotius fuit, in quo turbant: & me iudice, *eximplere*: quomodo & Adimplere dicimus, aliaque compoſitione geminâ.

CAP. XIII.

*Conſpecta eſt*] Lege, *eſto.*

*Ei noſtra ornata mentio defuiſſe exiſtimetur*] Ambigebam pridem de loco: quia ſuperbè illud de ſe ſcriptum, *ornata noſtra mentio*. Sambuci codex ſubuênit pulchrè: *ei oratione noſtrâ mentio defuiſſe.*

*Et ſimul ſpe diuturnioris vitæ*] Lege, *ſpei.*

CAP. XIIII.

*Dulcedinem gloriæ penè adiecit glorioſam*] Ita tu Pighi, ex omnibus manuſcriptis. Nam anteà legebatur, *Dulcedini gloriæ p. a. gloriam*. At ego lectionem tuam ipſam iacentem erigo, *Dulcedinem gloriæ, penè adieci, glorioſam!* Velut exclamat. & ô dulcedinem, inquit, gloriæ, tantum non dixerim, glorioſam! Acumina & ſententiolas Valerij noſti.

LIB. IX. CAP. I.

*Inde infuſæ culinis oſtreæ. Arte cenſibusq́, edendi atque bibendi voluptas reperta eſt*] Abeſt τὸ, *oſtreæ*, à pleriſque omnibus libris. & tollo ſanè ego, ac reſcribo: *inde infuſæ culinis artes, cenſibúſque, &c.* Sententiam egregiam elicio: & hinc, inquit, repertæ culinariæ illæ artes, & patrimoniorum pretiis empti coqui.

CAP. II.

*In publicâ villâ (quæ in campo Martio erat*] Vide ne totum hoc gloſſematium ſit. niſi fortè docẽdus aliquis Valerij æuo, vbi Publica villa eſſet.

*Incluſus mœnibus Attinguenſium*] Veteres, *Abteguenſium.* Scribam, *Atteguenſium.* Attegua notum Hiſpaniæ opidum eſt.

CAP. III.

*In Fabio pulcherrimam partem omittendam*] Lego, *pulcherrimè partam.* & ad victoriam refero.

CAP. IIII.

*Eius denique confirmandi gratiâ*] Præfero ſcriptã lectionem: *eiuſdémque.*

CAP. V.

*In Hoſtiliam propinquam noſtris ad me venit*] Vocem libri interſerunt, *roſtris idem ad me.* Lego, *id eſt ad me*. Quomodo vocis eius ſuperbæ indignitas magis eluceat.

*Veſtem & inſtituta Perſica aſſumpſit. ſpreto mortali habitu diuinum æmulatus eſt*] Verbi aliquid occultioris hîc delitere docent libri, qui valde titubant. Quidam, *diuinum aucupatus eſt.* alij, *diuinum caput æmulatus.* & qui propius ad verum, *caput latus eſt.* Credam fuiſſe, *diuinum captatus eſt.* pro captauit. Crebrum valde hoc genus antiquis: & infrà, cap. VIII. vbi vulgò, *Itaque exiguo momento maximæ rei caſus fluctuauit*: libri mei tres, *fluctuatus eſt.*

*Iam Xerxes, in cuius nomine ſuperbia & impotentia habitat, ſuo iure quàm inſolenter abuſus eſt, cum Græciæ, etc.*] Abſunt à meo libro illa, *abuſus eſt.* me iudice, meritò. Scribo & diſtinguo: *ſuperbia & impotentia habitat ſuo iure, quàm inſolenter? quòd Græciæ,* etc. Ita enim vetus, non, *cum Græciæ.* Tu vide.

## Cap. VI.

*Cum binis veſtimentis vrbem egreſſos*] At in Liuio hæc ipſa narrante, ſingulis veſtimentis egreſſos eos leges. An igitur hîc, *cum priuis veſtimentis?* quæ corruptio eadem & correctio alibi in Liuio mihi notata. Niſi ſi Liuius ſingula veſtimenta capit, vnam Togam, vnam tunicam. quo reſpectu rectè & Bina & Singula dixeris.

## Cap. XII.

*Imbris cauſſa petitam latebram*] Scriptis meis abeſt, *cauſſa*: nec cauſſa retinendæ eſt.

## Cap. XIII.

*Ita vt viuam, dabo*] Scribe, *Ita viuam.* Iurandi formula, quam inſita vocula peruertit.

## Additio.

Theodorus Canterus amicus meus, & harum artium diligentiſſimus, per epiſtolam me monuit, lib. VIII. cap. VII. vbi legimus: *A Timæo, & Arione, & Cæto Locris præcepta Pythagoræ acciperet*: reppeeriſſe ſe in veteri libro, *Arione* & *Ethecrate.* ex quo appoſitè facit, *Echecrate.* Nam Cæti Pythagoræi mentio nuſquam, nec in Iamblichi quidem Catalogo. At Echecratis etiam Cicero meminit v. De Finibus, vbi pænè hæc ipſa Valeriana: *Cur ad reliquos Pythagoræos, Echecratem, Timæum, Arionem, Locros,* etc.

FINIS.

IVSTI

# IVSTI LIPSI ANIMADVERSIONES IN TRAGOEDIAS QVÆ L. Annæo Senecæ tribuuntur.

# IN TRAGOEDIAS
## SENECÆ
## I. LIPSI V. C. OPERA
## EMENDATAS.

QVAE *tibi rependent, docte* LIPSI, *præmia*
*Doctæ Camœnæ, quas iuuare ſedulò*
*Nulloque ceſſas demereri tempore?*
*In lucis oras doctus en* SENECA *redit*
*Quatiens cothurnos Euripidis ardui:*
*Heroës vnà, parte ſui ſuperſtites*
*Meliore, redeunt, non, vt antè, debiles,*
*Non lancinati. dulcis vſum luminis*
*Sibi reſtitutum gratulatur* OEDIPVS:
*Nec nomine vno debet* HERCVLES *tibi;*
*Vel quod ſceleſtâ cæde manantes manus*
*Viuo abluiſti rore fluminis tui;*
*Vel alta ſcandens aſtra ab Oetæo rogo,*
*Conſumptus igne profuiſſe quòd ſibi*
*Te plus vel ipſo ſenſit Aeſculapio:*
*Laudat renatus* VIRBIVS *tuam manum*
*Reductus ipſis iam ſecundùm ab inferis.*
*Quid plura referam? Romulus debet tibi*
*Cothurnus omnis, inuidens ante Helladi,*
*Plus quàm Poëtæ; nam ille in hoc vnus fuit,*
*Quiritium vnis vt placeret auribus;*
*Tu non, in vrbe tantum vt vnicâ popli*
*Teneret aures vſque, feciſti, vagas;*
*Sed orbe toto reddidiſti nobilem.*

Ianus Douſa Filius.



## IVSTVS LIPSIVS
# FRANC. RAPHELENGIO
## FR. F. PLANTINIANO
## S. D.

QVOD ſeriò tandem manum & mentem admoueris Senecæ Tragœdiis, valdè id nobis, mi Franciſce, gratum. Et nónne diu tale aliquid oportuit, in hoc ingenio, in hoc otio? Illud adeſt, iſtud ſupereſt: nec culpa hîc eſſe poteſt, niſi à deſide voluntate. Atqui ingenium vt ferrum eſſe ſcito. ſplendeſcet, ſi vtare: rubiginem contrahet, ſi recondas. Vtere igitur. & imprimis ad hæc iſta: quæ gratiam tibi apud me apud æuum, famam gignent apud omnes. Sed auxiliúmne etiam à me poſcis? ego conſilio defunctum me putabam. Tamen & illud accipe: ſimul in his talibus veram vocem,

Αὔδα ὅ, τι φρονέεις. τελέσαι δέ με θυμὸς ἀνώγει.

Nam amiciſſimi Plantini mei cauſsâ quid non velim? quid non & pro iſtâ Plantinianâ ſtirpe? quam Deus mihi ſinat creſcere rectam, & in rectâ virtutis viâ.

TRIA petis. Quid de ſcriptore Tragœdiarum ſentiam? quid de ordine? Quid habeam ad ipſas? De primo, ſic reſpondeo. Scriptorem iis dari à me non vnum: nec Criticos noſtros audio, qui aliter pertendunt. Stilum & elocutionem quiſquis ſeriosè paullò magis examinat, non à me ſentit? ſentit, aut profectò nihil ſentit. Diſcrimen nimis clarum. Octauiam & Medæam vnius mentis & manus eſſe quis dixerit? quis Thebaida & Troada? peritus nemo iudex, & cui purgatior paullò auris. Ego tres ſcriptores odoror, fortaſſe & quartum. Audi. Pleraſque ex iſtis Annæi Senecæ eſſe fateor (ſiue Lucium ei prænomen ſiue Marcum. nam liber ſanè meus vno loco vtrumque ambiguè congerit) ſed Senecæ nouioris. Filiíne illius, qui Philoſophus? vix arbitror: nec ſcripta mihi ſuadeant tam bonum æuum. Traiani imperio, imò infrà, ſi vixiſſe quemcumque hunc Senecam dicam, à vero non abibo. Certè à vetere illo alius eſt, vel Sidonio teſte, cuius verſus innotuere:

*Tragœdiæ hæ, non vnius viri opus.*

*Videntur quattuor texuiſſe.*

*Septem iunioris Senecæ ſunt.*

*Qui valdè remotus à Philoſopho.*

 —quo-

*Quorum vnus colit hiſpidum Platona:*
*Orcheſtram quatit alter Euripidis.*

Etiam Terentiano:

*In Tragicis iunxere choris hunc ſæpe diſerti*
*Annæus Seneca & Pomponius antè Secundus.*

Nam Tragicum hunc, ecce, poſteriorem facit Pomponio: quem clarum eſt vixiſſe eodē cum grandiori Senecâ, id eſt, Claudiano æuo. Quòd autē de hiſce Tragœdiis ſentiant, liquet ex eodē Terentiano; apud quem verſus cum Senecæ nomine, quos hodieque in Hercule Furente legas:

*Exemplum & Senecæ dabo.*
*Thebis læta dies adeſt,*
*Aras tangite ſupplices:*
*Pingues cædite victimas.*

*At vna, Senecæ maioris: Fabij fide:*

Is ergo vnus ſcriptor. Quis alter? etiam Seneca: ſed ille bonus, ille meus. Nam Medæ cur non auctorem hunc audacter tribuam? Fabius impellit, qui ſemi-verſum ex eâ hunc citat: —*quas peti terras iubes?* & quidem Senecâ auctore. Quis ergo alius Seneca vſpiam ei nominatus, præter noſtrum? Et certè ſi non hunc voluit, notâ aliquâ aut verbulo (quæ eius accuratio eſt) indicaſſet. Addo argumentum ab æuo, quo colligo eam ſcriptam ex hiſce verſibus:

*Et ratiocinio tēporis.*

*Parcite ô diui, veniam precamur,*
*Viuat vt tutus mare qui ſubegit:*
*Sed furit, vinci dominus profundi*
*Regna ſecunda.*

Quos omnino inſitos decorè & ingenioſè in laudem Claudij, qui Britanniam tunc aperiebat, planè mihi ſedet. At Seneca tunc vixit. Etiam ſtilus & tota ſcriptio hoc perſuadent: quæ optima, & digna optimo illo ſcriptore. Sanè qui Medæam attentâ & ſubſtrictâ, vt ſic dicam, aure leget: illuſtris ingenij fætum fatebitur, & planè melioris viri, melioris æui. En, duos ſcriptores habes. vbi tertius? latet: nec facilè totum eum educam. Video, nec video: eſſe ſcio, ſed quo colore & nomine, nondum. Hunc ego tribuo Thebaidi. Quídni? ex ſtilo & totâ conformatione eius Tragœdiæ tam mihi certum eſt, alium auctorem ei eſſe, quàm me ſpirare. Confer, ſodes, cum ceteris: quid ſimile? Oeconomia diuerſa, ſine choris, ſine interruptione, cōtinua quaſi ad Comicam. Scriptio tota vniformis, ſimplex, ſine carminum vllâ varietate. ſed ſcriptio, ita me Deus amet, alta, docta, grandis: & quæ ſuo iure ambulet in cothurnis. Nihil vſquam iuuenile, arceſſitum, fucatum. phraſis & verba lecta: ſententiarum mira & inopinata acumina; & acumina virilia, fortia: quæ me quidem ita feriunt, vt non exciter ſolùm ad ea, ſed ſubſultem. Quid tale in aliis? audebo rem dicere. Scripti gemmula hæc eſt, & quam lubens retulerim vel ad Auguſti æuum. Per bellum quidem Ciuile eam ſcriptam, & ex argumenti electione ſuſpicor, & ex verſibus qui quaſi datâ operâ huic rei inſerti. Quidquid huius eſt, tollenda ſanè ea, nec vltrà calcanda pedibus ignari vulgi. Vos, Critici, ponite & habete audacter inter prima Romana ſcripta. Quartus ſcriptor producēdus eſt:

*Denique ex ſtilo, qui præfulget.*
*Vna, etiam ignoti Poëtæ.*
*A facie ſcriptionis totius certo argumēto.*
*Quæ nimis bona.*
*Digna Auguſtæo æuo.*
*Legenda & admiranda doctis.*



eſt: ſed ambiguè. Nam nec nôui, nec nimis adfirmatè de eo adfirmem. Sentiſco tamen eum in Octauiâ quæ nimis mutare & abire videtur ab aliis Tragœdiis, imò verbere eruditorum excipienda non plauſu. Conſidera, nec vide tantùm ſed luſtra. quid non in eâ protritum, vulgare? imò & vile? quàm multa rebus verbiſque inepta? quæ piget excerpere & obiicere tibi ſingillàtim. Puer ego ſum, niſi à puero ea ſcripta; certè pueri modo. Habes de Tragœdiarum ſcriptoribus meum ſenſum: addam & de ipſis. Duas duorum, eximias cenſeo: quibus laudator ego, non cenſor. In aliis virtutes video, ſed nō ſine mixturâ vitiorū. Magnus Scaliger quòd tam laudatum de his teſtimonium tulerit, vt etiam Græcis antepoſuerit, an ex vero? non dixeris, niſi ad primas illas aſpectu. Nam ceteræ profectò non aſcendunt culmen iſtud laudis. Sonus in iis & granditas quædam Tragica, fateor: ſed nónne adfectatio ſæpe & tumor? Verba & dictio an vſquequaque electa? Iam ſententiæ probæ, acutæ, interdum ad miraculum. ſed nónne ſæpe & ſententiolæ? id eſt, fracta, minuta quædam dicta, obſcura aut vana: quæ aſpectu blandiantur, excuſſa moueant riſum. Nec enim lumina, ſed ſcintillæ ſunt: nec veri fortéſque ictus, ſed vt in ſomnio, parui & vani conatus. Quas tamen ipſas crebrò nimis & ad faſtidium inculcat, nec inuenit ſed arripit: non tam ſuâ fortaſſe quàm æui culpâ, cui Scholaſticum & Declamatorium hoc genus ita placuit, *vt operum omnium,* (Fabij verba ſunt) *ſolam virtutem Sententias putarent.* Hæc noto, non vt notâ poëtam illum afficiam, ſed vt te formem: diſcaſque iudicio non præiudicio vti, nec ſignare ſtatim omnia lineâ albâ.

*Sed vna itē quarti & ignoti ſcriptoris:*
*Nec ſanè boni. Octauia iacet.*
*Iudiciū de his Tragœdiis meum.*
*Nam Scaligeri haud rigidè verum.*
*Iunioris Senecæ, mediæ ſunt.*
*Sæpe in vitio.*
*Præſertim affectatione ſententiarum.*
*Quæ communis tunc culpa.*

Alterum Quæſitū de Ordine eſt. fruſtrà. Quid enim hæres? nec vnus in libris eſt (omnes ferè variant) nec ſanè refert. In Plauto ad litteram Comœdiæ diſponuntur. tu iſtas, vt voles. Nam in tempora cuiuſque fabulæ quid inquiras? ſuperuacuum eſt. Sequere, ſi omnino aliquid à me vis, ordinem hunc bonitatis, & præeat vel Thebais, vel Medæa.

*Ordo in his fabulis nullus.*

Tertium erat, Siquid ad ipſas? Ego verò, etſi iam antè ſatis emendatas (hæc enim ſtrictis verſibus ſcripta, arcent ferè & cohibent malas manus) poſtremùm etiam ſeriò & induſtriè correxerit V. Cl. Antonius Del-rio, æternùm nobis amicus. Tamen accipe & à me iſta. quorum partem ab ingenio eſſe ſcies & ſubitâ inuentione, cùm tuâ cauſsâ paullò intentius legerem: partem à libro ſcripto veteri ſanè bono, quem habemus dono Paulli Meliſſi magni vatis. Illud te moneo, interpūctiones & diſcrimina valde vitiata eſſe. quorum cùm in eiuſmodi ſubtilioribus ſcriptoribus grande momentum ſit, tu vide vt concinnes. Numeri quos adnoto, verſuum ſunt Fabulæ cuiuſque. Ordior à

*Quæ noſtra hic opera.*
*Et auxilia.*

## MEDÆA.

verſ. 29. ——*Spectat hoc noſtri ſator*
*Sol generis & ſpectator, & curru inſidens*
*Per ſolita puri ſpatia decurrit poli.*

Languet ſētētia litterulâ eam erigo: *& ſpectatur?* Nā acri indignatione Medæa quærit, Hæcne ſcelera, inquit, Sol ille videt auctor mei generis: & idem videtur? quaſi hoc indicans, refugere eū debuiſſe vt in Thyëſtæo aliquo

aliquo ſcelere,& vultus ſuos tegere. Tale illud diuinitus dictum in Thebaide: *Non video noxæ conſcium noſtræ diem, Sed videor*. Quæ acumina ex re nata & ſubiecta, mirificè delectant acres acutaſque mentes. Sequenti etiam verſu Codex noſter, *per ſolita curui.* probè.

31. *Num redit in ortus,& remetietur diem?*

Ita habent manuſcripti, Ortelij ſcilicet & meus. Vet. *Nunc.* ſcribendum † *Non*,aut,*Nec*.

32. *Da,da,per auras curribus patris vehi.*

Minime ſis, *patris*. Aeëtæ in aëre nulli currus. lego, *patriis*. Nam Sol Medææ auus.

35. *Gemino Corinthus litori opponens moras*
*Cremata flammis maria committat duo.*

Leuiculum eſt, ſed ad ſententiæ lucem, ſcribe *committet*. Nec enim vouet,ſed minatur. & ſi ego,inquit,in ſolari ſemel curru; peribit cum ſolo Corinthus, in quâ hæc perfidia.

55. *Quæ ſcelere parta eſt,ſcelere linquetur domus.*

Cod. noſter. *pacta eſt*. &, *rumpetur fides*. Pacta,iuncta.quis mutet?

92. *Vincat femina coniuges,*
*Vir longè ſuperet viros.*

Præfero & hîc ſcriptum: *Vir longè vt ſuperat viros*. Nam formam Iaſonis ita laudat,vt hac parem ei comparem optet.

132. —*funus inceſtum patri,*
*Sparſumq́, ponto corpus.*

An non *incertum?* Nam verè illud funus ambiguum, & corpore ſparſo, quærendum non vno loco.

151. —*grauia quiſquis vulnera*
*Patiente & æquo motus animo pertulit.*

Verius, *immotus*.

170. *Moriere.* ME. *cupio.* NV. *profuge.* ME. *pœnituit fugæ.*
*Medea fugiam?* NV. *mater es.* ME. *cui ſim, vides.*

Acuta & proba. tamen impuritatis aut defectus ſuſpiciunculam Vetus iniicit, in quo eſt: *pœnituit fugæ.* NV. *teipſam vide.* ME. *Fugiam?* quæ verba non concinno.

198. *Vox conſtituto ſera decreto venit.*

Intelligo. ſerotina tua verba,& poſt decretum quod non muto. Tamen veteri eſt: *nox:* ſuâ quoque & bonâ ſententiâ.

204. —*quámque regale hoc putet.*

Quid ſibi vult ſcripta lectio? *hoc caput.*

214. *Armata peltis quidquid exterret cohors.*

Eadem, *exercet*. & ſanè videtur dicere ipſas Amazonas ſubfuiſſe Aeëtæ, ſolumque quod exercebant.

236. *Inceſſe nunc & cuncta flagitia ingere.*

Sic etiam liber Ottelianus. Sanè benè. tamen in vet. eſt, *cuncta flamina*. quid ſi, *fulmina*? haud improbè de regiis iſtis minis.

248. *Petiique ſupplex præſidis dextræ fidem.*

Ort. Codex,* *Fidémque ſupplex p.d.petij*. Et cur mutarunt? Ita Hercul. Fur. *Et fata vici, morte contemptâ redij*. Et Oeteo: *Votis peperci, nil ego à ſuperis petij.*



*petij*. Efferebant hæc enim vulgò vt diſſillaba, & verò ſcribebant: I ſcilicet eo longiuſculo, *PetI. RedI*. Poëta princeps, *ignobilis otI*.

265. *Prorſúſque veſtro purus à cœtu ſtetit.*
Vet.* *Proculque veſtro.* Ort.

314. *Non quæ ſequitur flectitque ſenex.*

Rectum eſt, de Boöte. At vetus, * *deflétque ſenex.* ideóne quia matrem conatus interficere,ad adſpectum eius memoriâ rei lacrimat? Ort.

342. ——*cùm duo montes*
*Subito impulſu, velut ætherio*
*Gemerent ſonitu, ſpargeret aſtra*
*Nubéſque ipſas mare depreſſum.*

Imago bona. quâ & alter Seneca vſus Herc. Fur. de iiſdem Cyaneis:
*In ſe coibunt, ſaxáque in cœlum exprimunt*
*Actis vtrimque rupibus, medium mare.*

Dic tamen ſodes, quomodo aſtra ſpargi poſſunt à mari depreſſo? imò elato. Si ſenſus hic placet, omnino emenda, *mare deprenſum*. interceptum videlicet & quaſi deprehēſum ſubitò inter duas rupes, exprimitur in cælum. At veteri meo diſertè eſt, *Pergeret aſtra*, non *Spargeret*. ex quo alia mihi & proba imago obnata, hæc. Mare, inquit, coitu illo rupium elatum nimis, & ſubitò abiectum, videbatur ſecum nubes detrahere & ipſa aſtra. Omnino oculis ita videtur, qui in commoto mari. *Pergo* autem *depreſſum*, eâ formâ ſcriptum quâ, Eo depreſſum, & talia.

354. *Toties imo latrante malo.*

Bellius quod in veteri,* *vno*. Scilla, inquit, illa toties latrabat, variis vocibus & animalibus in monſtro vno. Mss.

372. *Peruius orbis. Indus gelidum*
*Potat Araxem: Albin Perſæ.*

Hæc diuide, & fac quattuor minutos verſus: aut contra legem hîc Trochæi medij. Quod ſemel monitum ſæpius obſeruabis, & corriges.

388. *Proclamat, ô ſuperi, oculos fletu rigat.*

Egregiè liber: *Proclamat, oculos vberi fletu rigat.*

393. *Non facile ſecum verſat aut medium ſcelus.*

Medium ſcelus capere poſſis, non è turbâ nec mediocre quoddam. rectè. Tamen veteri vox longè alia, mentem præit aliam: *induit ſcelus*. Fecerim, *aut ludit ſcelus*. Quid ſi, *rude ſcelus?* Nam produci eæ ſillabæ ſolent, etiam cùm in voce alterâ binæ litteræ: quod te ſcire ſcio.

410. ——*tantis Aetna feruebit minis.*

Scribe, *ferueſcit*.

477. *Alienáque ſequens regna, deſerui mea.*

Fortius multo ſcripſeris, & interrogando extuleris:
*Aliena ſequeris regna? deſerui mea.*

Idque probè probum eſt. Túne ô Iaſon, inquit, alieno regno immines, ideoque me deſeris? at ego tuâ cauſsâ, proprium deſerui.

508. *Meis Creuſa liberis fratres dabit?*
*Regina gnatis exſulum, afflictis potens?*
*Non veniat vnquam tam malus miſeris dies.*

Ort. Lugd. Perſonis hæc diſtinguenda & illuminanda: **fratres dabit?* I A S. *Regina g. e. a. potens.* M E D. *Non veniat*,&c. Sententia docet.

516. I A S. *Hinc rex & illinc.* M E D. *eſt & his maior metus,*
*Medea. nos * confligere certemus, ſine,* — Ald. Conflige.
*Sit pretium Iaſon.*

Vitium in phraſi, verſu, ſenſu. Quid eſt, *certemus confligere?* Lex verſus quartâ ſede pedem illum qui tolerat? Reſcribo, *neu conflige. certemus, ſine: Sit pretium Iaſon.* Nec te, inquit, voco ad periculum. nullus te oppoſueris: mihi poſco hanc pugnam, in quâ victoris ſit Iaſon.

552. *—— liceat vltimum amplexum dare.*
*Gratum eſt, & illud voce iam extremâ peto.*

Refrigerant hæc legentem. Quò enim illud, *Gratum eſt* referas? Auſim ſcribere: *Ratum eſt?* cum interrogatoriâ notâ. Liberos inprimis apud ſe tenere cupienter cupiebat Medæa, materiem futuro ſceleri. & cùm blandè id peteret, iamque ille annueret; ergóne hoc ratum eſt? inquit: eſto. etiam hoc amplius peto, &c.

631. *At caput tractu fluuialis Hebri*
*Contigit notam Styga, Tartarúmque*
*Non rediturus.*

Ort. Lugd. De Orphei morte. ſed ſermonis ſolæcum hoc quis non videt? lege, * *Ad caput tractus.*

668. *Iam ſatis diui mare vindicaſtis,*
*Parcite iuſſo.*

Explicant: Parcite Iaſoni, qui à Pelia iuſſus nec ſponte aquas violauit. Non refuto. Sed enim cùm in veteri ſit, *Parcite viuo*; acris mihi libido legere, *diuo.* & obliquè ad Claudium aſpectum cenſeam: qui & ipſe cùm ignotum Oceanum intraſſet, tamen parci à diuis æquum cenſet diuo. Tecta & ingenioſa adulatio.

950. *Flentes, gementes: ſed oculis pereant patris,*
*Periere matris.*

Vetus, *gementes. oſculis pereant.* quídni rectè?

1014. I A S. *Iam perage cœptum facinus, haud vltrà precor.*
*Morámque ſaltem ſuppliciis dona meis.*
M E. *Perfruere lento ſcelere, ne propera dolor.*

Hæc confuſa, nec ſanæ mentis. Iaſon cupit ſtatim interimi liberos, non tractim mori & per ſingulos artus. Ea enim ſententia primi verſus. At pugnat ecce alter, & quærit ſupplicij moram. Denique Medea reſpondet quaſi ex voto, & exorata. Omnia contrà ſunt. Suſpicor præpoſterè locatos verſus, & digerendos ſic.

*—— haud vltrà precor.*
M E D. *Perfruere lento ſcelere. ne propera dolor,*
*Morámque ſaltem ſupplicibus dona meis.*

Ita enim malo, quàm *ſuppliciis.* Iſta mens. Optas, inquit Medea, citò defungi hoc ſpectaculo? haud fiet. & cum irriſione, Ne propera mi dolor, & moram ſaltem indulge his qui tibi ſupplices.

1026. *Per alta vade ſpatia ſublimi æthere.*





Codici meo, * *ætheris.* verè. Clauſula autem hæc diuina, *Teſtare nullos eſſe quâ veheris deos:* vt multa in toto opere, cuius cauſsâ te Seneca magis magiſque iure miramur. Transeo — Ort. Ald. Lug.

## AD THEBAIDA.

Verſ. 2. *Patris leuamen gnata, quam tanti eſt mihi*
*Genuiſſe, vel ſic deſere infauſtum patrem.*

Diſtingue & ſententiam acutam effice. * *Genuiſſe vel ſic.* Pronuncianda enim ea ἐμφατικώτερον & expreſſius, notando ſcilicet ſceleri in hac geniturâ. O nata, ait Oedipus, cuius tanta pietas, vt vel cum inceſtu genuiſſe eam mihi pretium ſit. — Ald.

4. *In tecta quid deflectis errantem gradum?*

An in tecta & aulam reducebat patrem Antigona? minimè. tota narratio & rei ſeries refellunt. Occultum mendum: quod odoramur è veteri, in quo eſt, [a] *In rectum.* Omnino ſcribendum, [b] *In recta.* id eſt, Quid me dirigis? rectà & tutò ire iubes? melius cadam. Itaque ſtatim ſubiungit, *Permitte labi.* — a Ort. b Ald. Lugd.

38. *——— quid me gnata peſtifero tenes*
*Amore vinctum?*

Non placet, *vinctum.* Nec enim id queritur, amari ſe à gnatâ, ſed teneri in vitâ. Vellem, *viuum.*

44. *——— gnata genitorem vides?*
A N T. *Ego video. tandem ſpiritum inimicum exue.*
O E D. *Deſertor anime, fortis in partem tui.*

Mirum reſponſi frigus in tam calido Antigones amore. Alit ecce furorem patris, & fatetur ſe quoque videre, quod nec ille quidem videbat. Denique quid eſt, Inimicum ſpiritum exuere? Turbaſſe perſonas video, & Antigonam fruſtrà inſertam. Continenter legenda, *genitorem vides? Ego video. tandem ſpiritum inimicum exue Deſertor anime.* Non tu, inquit, ô filia patrem meum vides? certè ego. Age anime, vitâ & ſpiritu tandem te priua, quem pater repetit.

47. *Mortémque totam recipe. quid ſegnis traho?*

Arenæ verbũ, & alluſum ad gladiatores. Tamen veteri eſt, *totam admitte.*

62. *Regam abnuentem, dirigam inuitum gradum.*

Veteri, *inuitum patrem.*

64. *Non obſto, ſed præcedo. quouis vtere*
*Duce è duobus, omnis eligitur via.*

Tun' hæc capis? haud ego, fateor. Meo libro eſt, *quouis vertere.* legam & diſtinguam, *—quouis vertere Duce me, duobus omnis eligitur via.* Age te & verte quò voles: ſed non ſolus. In te vno, duo peribunt aut viuent.

78. *Sed flecte mentem, pectus antiquum aduoca,*
*Victáſque magno pectore ærumnas doma.*

Diſplicet inamœna verbi repetitio, *Pectore*, & *Pectus.* In meo manifeſtè alia vox fuit; ſed eâ eraſâ, *Pectore* impoſitum. An *robore?*

118. *Vbi torua rapidus deuehat Iſmenos vada.* — Ald.

Veteri eſt, * *ducat Iſmenos.* malim etiam *torta*, quàm *torua.*

178. —— *audias verum Oedipum.*
Scribe cum vet. *Oedipe.* ſeſe enim alloquitur: & ſequentia flagitant.
181. *Hac parte mortem perage, quà cœpit mori.*
Vet. *Cœpi mori,* probè.
182. *Pauca ô parens miſerande magnanimæ precor*
*Vt verba natæ mente placata audias.*
Magis ex decoro & vero ſcripta lectio, *miſerandæ magnanimæ.*
193. *Qui fata proculcauit, ac vitæ bona*
*Proiecit, atque * abceſſit, & caſus ſuos*
*Onerauit: ipſi, ceu video, nullo eſt opus*
*Quare ipſe mortem cupiat aut quare petat.*
*Vtrumque timidi eſt velle. contempſit mori*
*Qui concupiſcit.*

Mss. Lugd. Baſ. *abſcidit.*

Vtinam hîc mihi tua mens Oedipe! dico, illa ſaga & diuina. Nam mirificè hæc turbata & implexa, Sententiam vtcumque video, verba pro ſententiâ non video. Quid eſt *onerare caſus ſuos?* quid illud, *ceu video, nullo eſt opus?* aut tenebræ, aut ſordes. Sed & illîc vitium, *mortem cupiat aut petat.* Nónne enim hæc eadem? & tamen ſequentia diuellunt: additurque, *Vtrumque timidi eſt velle.* Vbi ergo illud vtrumque? In toto non iuuo, in parte ſic. Primum lego, *atq. abcîdit.* ex meo veteri. Deinde pro, *cupiat,* velim *fugiat:* ſententiæ impulſu. Poſtremum quà eſt, *Qui concupiſcit,* ſcribendum affirmo, *Qui non cupiſcit:* planè ex Antigones † mente. Nónne hoc illa argutatur & perſuaſum it patri, neutrum viro forti faciendum, vt voueat mori vel vt fugiat? Itaque addit: ille verè contemnit mortem, qui nec cupit. Sententia, quam ſapientum manus firmat, & noſter Seneca: *Non vult mori, qui optat. Deos vitam roga & ſalutem, ſi mori placuit. Hic mortis eſt fructus, optare deſinere.* Et reuera, nónne vides molliſſimum atque impatientiſſimum quemque mortem optare? ſed optare.

† Etiam ex libri veteris: in quo eſt, * *non concupiſcit.* * Ort.

208. —— *quid te ad infernas agit*
*Sedes? quid ex his pellit, vt careas die?*
*Cares, vt altis nobilem muris domum*
*Patriamq. fugias, patria tibi viuo perit.*
Pulcherrimas ſententias diuide & ordina. — *quid ex his pellit? Vt careas die? Cares. vt altis nobilem muris domum Patriamq. fugias? patria tibi viuo periit.* Diuiſione vtitur, & membratim rogat ac concludit. Cur vis mori? quid te à ſuperis locis pellit ad inferos? An vt diem nô videas? non vides, ſponte tuâ cæcus. Vt patriam fugias? iam es in eâ nec es, viuum cadauer.
218. *Et dira fugio ſcelera, quæ feci nocens.*
Reſcribe, *feci innocens.* Res ita eſt. fato, non culpâ, peccauit Oedipus: & ſuprà ſcriptum, *dis quoque inuitis eſſe eum innocentem.*
230. *Quæ pars meorum criminum es, infelix pater.*
Verſus labaſcit: fulcio tranſiectâ voce, *meorum es criminum.*
254. *Calidóque teneros tranſtulit ferro pedes.*
Ita ſanè & meus liber. ſed transferendi verbum haud ſatis validum notandæ rei. An *tranſtudit?* an potius, *tranſiit?* Nam priſcis editionibus eſt, *tranſſuit.* quod ipſum non nemo defendat.

*Cruo-*



257. *Cruore ſæpe regio attractas alit.*
Vetus, * *tinctas alit.* Ms.
262. —*proh, loqui hymenæum pudet.*
Vno verbo, * *proloqui.* Ort.
313. *Hic Oedipus Aegæa tranabit freta.*
Excuſari ſcio poſſe, à Græcanicâ terminatione. Tamen tutiùs verſui conſulam repetitâ voce, *Hic Oedipus. hîc, Aegæa.*
318. *Iubente te præbebit alitibus iecur,*
*Iubente viuet.*
Veterem librum cur non audiam? cui eſt, * *Iubente te vel viuet.* egregiâ emphaſi, & quaſi extremum malorum illi, vita. At verſus negat, nec continuari cum ſequenti poteſt. Quid mali? præſertim cùm Actus nouus ſequatur. Sanè etiam in Troade verſum abruptum & interciſum legeris, medio quidem Actu. Ort.
—*ſponte deſiluit ſuâ In media Priami regna.*
nouus enim verſus excipit: *Quis Colchus, aut quis ſedis incertæ Scytha.* Hoc hîc cenſe. & proximum verſum alterius Actus initio
—*Regiâ ſtirpe edite.*
audacter è libro noſtro exple, *Exemplum in ingens, regiâ ſtirpe edite.* Ita enim adiuuamus, cùm in eo ſit * *Exemplum ingens.* Hæc gloſſematia non eſſe nec adtextus, nobis ſatis certum. Ort.
328. *Ego ille ſum, qui * ſcelera committi vetem?* Baſ. Pat. bella.
Probè & verè. tamen veteri, *ſceptra committi:* ſuo & probo item ſenſu.
331. —*meorum facinorum exempla appetunt.*
Liber & verſus volunt: *exempla facinorum appetunt.* ſtatimque, *laudo & agnoſco libens.*
336. Ioc. *Felix Agaue, facinus horrendum manu.*
In his verbis initium eſt Actus tertij, libro veteri: tu ſequere, & continuatim lege ad Actum qui vulgò quartus.
366. —*miſera non vltra ſuum*
*Scelus hoc cucurrit. hoc leue eſt, quod ſum nocens,*
*Feci nocentes. hoc quoque etiamnum leue eſt,*
*Peperi nocentes.*
Ingenioſa & mira miſeriarum exaggeratio. ſed lego verſu altero, *hæc cucurrit.* deinde, *Feci nocentem.* Sententiæ valdè conſulo. quos enim alioquin Iocaſta nocentes fecerit? At ſingulario numero ſi leges, ad Oedipum appoſitè referes: quem illa nocentem fecit, ſacrâ mixtione. Cauſſa corruptioni, quòd litteram elidi cenſebant non elidendam.
393. *Curſu citato miles hinc illinc ruit.*
Vetus, * *hinc atque hinc ruit.* Ort.
417. *Ecce ecce motos fletibus credas meis.* Lugd.
Malo ex ſcripto, *Et ecce.*
456. *Donato matrem pace. ſi placuit ſcelus,*
*Maius peractum eſt: media ſe opponit parens.*
Omnino audiendus liber vetus, * *Maius paratum eſt.* Non poſtulat, ſed flagitat hoc ſententia. Si pergitis, inquit Iocaſta, & frater in fratrem ruit, Ort. Lugd.

 non

non ea meta ſceleri: maius ſupereſt, quia primùm interficienda ego mater. Peti neuter veſtrûm niſi per me poteſt, quæ obiicio mediam.

463. *Nunc alter aberit. ergo iam numquam duos*
*Niſi ſic videbo?*

Scripto abeſt τὸ *iam*. Mihi placeat. *ergo non vnquam.*

482. *Dum frater eſt armatus, armatus mane.*

Ort. Cenſores cur mutaſtis? Fuit anteà, * *frater exarmatur:* nimis benè. Intereà dum frater ponit arma, inquit, tu retine. Ita non ſcriptus ſolùm liber, ſed etiam editio vetus, cuius mihi copia fuit è diuite librariâ Cl. V. Franciſci Nanſij.

493. *——hic ferrum abdidit*
*Reclinis haſtæ, & arma defixa incubant.*

Scribe, *incubat.* ad habitum Eteoclis, qui condito gladio & velut in pacem compoſitus incumbebat haſtæ.

632. *——præmium incertum petit,*
*Certum ſcelus.*

Legendum *petis.* affatur ipſum Polynicem. Et priora valdè laborant ab interpunctis, quæ diſpone optimæ ſententiæ bono. His mihi ſalue Thebai, haud paullò melior illâ quę vigilata per biſſenos annos. Prodi tu,

## HERCVLES FVRENS,

Cui à me quoque pars ſanitatis.

Verſ. 12. *Ferâ comâ hinc exterret Orion deos.*

Cománe tam formidoloſa, vt eam dij timeant? Vetus, *Ferâ minax hinc terret.* cui valdè adhæreo, & capio canem qui venatori iſti adiunctus. An & *ferro minax?* nam certè gladium etiam ei attribuunt qui imagines nobis imaginati in cælo.

19. *Sed vetera ſerò querimur, vna me fera*
*Thebana, nuribus ſparſa tellus impiis.*

Mss. Ald. Lugd. Addit liber meus vocem, * *vna me dira ac fera.* malè & præter verſum, niſi alteram deleas. quod mihi videtur, & inducam τὸ *ſerò*. Additiciũ eſt.

33. *——ſuperat & creſcit malis.*

Veteri, *increſcit malis.*

44. *——nempe pro telis gerit*
*Quæ timuit & quæ fudit. armatus venit*
*Leone & hydrâ.*

Timórne in Herculem cadat? non ipſa Iuno dixerit, etſi hîc dicit. Reponam. *Quæ domuit:* ſententiâ & heroë quidem illo volente.

68 *——robore expenſo tumet.*

Placet hoc præ veteri lectione, *robore experto.*

71. *Nec flexit humeros molis immenſæ labor.*

Meo libro, *molis innixæ.* veriùs.

76. *Congredere, manibus ipſa iam lacera tuis.*
*Quid tanta mandas odia?*

Verba Iunonis ſeſe in Dium illum exſtimulantis. in quibus diſplicent

*tanta*



*tanta odia.* An non melius, *tacita*? Quid opus, inquit, clàm & per alios nocere, laceſſere? Quin palàm armor & odium aperio iam ipſa.

94. *Quà mugit ingens montis oppoſiti ſpecus.*

Corrige è libro, * *Quam munit.* Or. Baſ.

119. *——ſtabo, & vt certo exeant*
*Emiſſa neruo tela, librabo manum.*

Vult dicere Iuno, ſe ſuapte manu directurum tela Herculis in corpora liberorum. Itaque cum ſcripto ſcribo, *librabo manu.*

122. *Admittat illas genitor in cælum manus.*

Binos verſus hîc adtexit noſter liber, & germaniſſimos quidem Senecæ:

* *Mouenda iam ſunt bella, clareſcit dies:* Ort.
*Ortúque Titan lucidus croceo ſubit.*

Ita enim claudit Iuno. Verborum & minarum ſatis eſt: arma expedio. quia vocat me ecce dies. Poſterior ex hiſce verſibus in vulgatis nullibi legitur, alter non ſuo loco, ſuprà verſu nonageſimo inſertus. Tu illinc pelle, & huc compelle.

159. *Quibus eſt vitæ tranquilla quies,*
*Et læta ſuo paruóque domus*
*Spes & in agris.*
*Turbine magno ſpes ſollicitæ*
*Vrbibus errant, trepidíque metus.*

Præclara gnome, nec temerè mihi mutanda, cui vita hæc in agris vnicè placet & ex agris. At vetus tamen aliorſum trahit, qui ſcribit, *Spes iam magnis.* Puto verè, ſi cũ ſequentibus adnectas: atq; adeò verſuum ordine moto. *Spes iam magnis vrbibus errant, trepidíque metus: Turbine magno ſpes ſollicitæ.* quę repetitio ſanè decora facit ille ipſe vetus, cui verſus quẽ poſtpoſui totus abeſt, initio Chori malè adtextus. ſed erronem huc reuoco.

171. *Aurâ tumidum voluit inani.*

Scriptus. * *tollit* rectiſſimè. Ort. Ald. Lugd. Baſ.

188. *Certo veniunt ordine Parcæ.*

Idem, *tempore Parcæ.*

213. *——ſequitur apprimè ſtatim*
*Infeſta Iuno.*

Ego legam, *ſequitur à primo ſtatim.* id eſt, Iuno ab vitæ primordiis & ipſis carceribus inſecuta Herculem. Itaque addit, *——numquid immunis fuit Infantis ætas?*

219. *——igneos ſerpentium*
*Oculos remiſſo pectore ac placido intuens.*

Ehò, an pectore quiſpiam intuetur? audi librum, *remiſſo lumine.*

237. *——abrupto obice*
*Etiam ruenti fecit Oceano viam.*

De Hercule, mare ad Gades aperiente. Sed probo veterem ſcripturam, *Latam ruenti.*

277. *adſis ſoſpes & remees tuis.*

Meus codex, *remees precor.* & ſtatim, *diſpulſis manu.*

290. *Erumpe rerum terminos tecum afferens.*

Melius

Melius, *efferens:* ex libro. Suprà: *Et quidquid atrâ nocte poſſeſſum latet, Emitte tecum.*

300. *—tibi frugum parens*
*Secreta reddam ſacra*

Mss. Ad Cererem, rectè. non malè item vetus: *frugum * potens.*

309. *O ſocia noſtri ſanguinis.*

Malè hic initiũ Colloquij. ſuperioribus vno textu iunge, auctore libro.

316. ME. *Prona eſt timori ſemper in peius fides.*

Sententia hæc Megaræ non conuenit. ablega ad Amphitruonem, inductâ eius perſonâ. Illa autem ſequentia dicat, *Demerſus ac defoſſus*. Alioqui turbela.

355. *Namque ipſa triſti veſtis obtectu caput Velata.*

Vetus, *veſtis obtentu*. vtrumuis elige.

362. *Si æterna ſemper odia mortales agant.*

Idem, *mortales gerant*. magis Latinè.

406. *Sed ille regno pro ſuo, vos improbâ*
*Cupidine acti.*

Ald. Imò, * *nos improbâ*. Nã de ſe palã id fatetur Lycus, & vt decuit tyrãnum.

420. *——non vincet fidem*
*Vis vlla* noſtra, moriar Alcide tua.*

* Mss. Par. Vetus, *Vis vlla, namque moriar.*

noſtram. 438. *Quo patre genitus, cælitum * penetrat domos?*

Ms. penetret. Longè melius in vet. *cælitum * ſperat domos?*

* Ott. 471. *Mitrâ ferocem barbarâ frontem premens?*

Hoc ad Herculem vulgati libri referunt (nec malè, nam & mitrâ preſſus Omphalæ ſeruiit) & Lyco tribuunt. At meus ad Bacchum, & Amphitruonis perſonæ adiungit, hoc modo: AMP. *Mitrâ fer. b. f. premens, Non erubeſcit Bacchus*, &c. Et quis neſcit mitram huius dei velut propriam, & mitratos eius cœtus?

528. *Monſtris exagitet cæliferam manum.*

Non mutarem, niſi libri monitu, qui disertè, *teliferam*. Et ſanè nõ manus Herculis propriè cælũ tulit, ſed dedit id eius humeris. At bene de Telis.

576. *Et ſurdis reſonat clarius in locis.*

Poſt hunc verſum iſte inſeritur libro veteri. *Deflent Eurydicen Threiciæ nurus:* planè appoſitè. qui alieniſſimo loco nobis legitur, verſu pòſt quarto. Tu ergo diſpone.

623. *Verúmne cerno corpus? an fallor tuâ*
*Deceptus vmbrâ?*

Vetus & hunc verſum ſuggerit, *Tenеóne in auras editum, an vanâ fruor.* vter germanior, mihi non liquet.

676. *Vt ſæpe puppes æſtus inuitas rapit,*
*Sic pronus agger vrget atque auidum chaos.*

Mss. Par. Bal. Eleganter, de pronâ iſtâ ad inferos viâ. ſed maléne vetus, * *pronus aër?* vt velit ab aëre & occulto vento quodam rapi nos ad atram ſedem.

742. *Animóque parcit.*

Vetus, *animæq;*, id eſt, vitæ ciuium.





769. *Hic onere vacuam litori puppim applicans,*
*Repetebat vndas.*

De Charonte, quaſi retrorſum ierit viſo Hercule. At meo libro, *Repetebat vmbras*. quod veriſſimum cenſeo. Narrat eum vacuaſſe cymbam, narrat reperiſſe nouum onus.

777. *Vtrimque Leten latere titubato bibit.*

Noſter, *Latere titubanti*

779. *Lapithæq; multo bella ſuccenſi mero.*

Vocula addenda è veteri, *multo in bella*. Res clamat.

789. *Attollit hirtas angue vibrato comas,*
*Miſſumq; captat aure ſubiectâ ſonum.*

De Cerbero ſcribit, adſurgente ad Herculis aduentum. Sed emendem, *aure ſubrectâ*. Nónne canum id proprium, & arrigi aures videmus cùm ſonum captant?

792. *—antro cedit incertus canis,*
*Et vterque timuit.*

Et meus, & olim editus, *antro ſedit*. rectè. Non enim fugit, nec decuit Cerberum: ſed aſſedit, ambiguus quietis an pugnæ.

813. *—& nitor*
*Percuſsit oculos lucis ignotæ; bonos*
*Reſumit animos vinctus.*

Ego malim, *lucis ignotæ bono, Reſumit animos*. hac mente. Poſtquam Cerberus ſupera attigit, & lucis dulcedo ac bonum obiecta oculis: luctatur, & negat vinci.

911. *——pinguis exſudet vapor.*

Vetus, *exundet*.

917. *Laremq; regis qui aduena Tyrium colis.*

Idem. *Laremq; regis aduena Tyrium colens.*

948. *—& ignes efflat, & rutilat, iubam*
*Ceruice iactans.*

Leonem eiúſque motus deſcribit. lego, *& rutilã iubam Ceruice iactat.*

991. *—quò ſe cæcus inuergit furor?*

Veteri, *cæcus impedit*. ſed appàret antè fuiſſe, *impẽgit*. eraſum eſt.

1018. *Renuo nouercam, ſequere, da pœnas mihi.*

Fuit in meo, **Teneo nouercam*. ſed altera illa vox ſuppoſita. Omnino furibundus Hercules imaginat nouercã ſe tenere in vxore: eamq; interficit. Par.

1032. *Quò te ipſe, genitor, obuium morti ingeris?*

Ferri poteſt, ex more quo ſenes omnes patres dicimus. Tamen cùm Theſei hæc verba, cur à veteri & veritate non ſtem, *teipſe, ſenior?*

1221. *In ſeipſe ſæuit.* HERC. *Dira Furiarum loca.*

Scriptus, *In ſe ipſe furit*. Verſus labat? fulci, immiſsâ litterâ, *ô dira*.

1256. *A me timetur. ſemper abſentis pater.*

Quid vetus lectio ſibi vult, *Nax timetur?* credo, *Nóbis*.

1265. *Memoranda potius omnibus facta intuens,*
*Vnius à te criminis veniam peto.*

Minimè ſis, & frigidè hoc petat ſenex. Lego, *veniã pete*: ad ipſum ſcilicet

Herculem. quem Amphitruo vult aſpectu aliarum gloriarum, delere & deluere vnam hanc noxam. Herculem hunc, quà potui, adiuui: ſequitur

## OETÆVS.

14. *——omne cùm ceſſet malum*
*Quod terra genuit, pontus, aër, inferi.*

Concinniùs vetus *omne conceſſit.*

28. *Quodcunque tellus genuit infeſtum, óccidit,*
*Meaq́ fuſum dexterâ, iratis deis*
*Non licuit eſſe: ſic negat mundus feras,*
*Animum nouerca. redde nunc gnato patrem,*
*Vel aſtra forti.*

Agnoſco ſcholam, & ſententiolas ibi natas. Tamen quia ſubtiliora paullùm, diſtinctione iuuemus. *óccidit, Meaq́ fuſum* * *eſt* ( vocula hæc à libro noſtro ) *dexterâ. iratis deis Non licuit eſſe.* * *ſi* (non *ſic*) *negat mundus feras, Animum nouerca: redde nunc*, &c. Quidquid monſtrorum ( gloriatur Hercules ) vbique fuit, nos ſuſtulimus. deorum ira ad hæc tollenda nihil opus, & præſtiti eos quietos. Si mundus non vltrà feras mihi dat, ſi animum ſuum & beniuolentiam abnuit Iuno: quid exſpecto? da filio adeſſe patri: natura iubet. da forti cælum: meritum iubet.

*Ort. *Lugd.

35. *Properet malum quodcumque, dum terra Herculem*
*Habet, videtq́. nam quis inuadet mala?*

Betâ languidius hoc poſtremum. addo robur, & lego, *inuidet.* Quis, inquit, ille qui labores & pugnas mihi inuideat? atqui has depoſco.

40. *Me ſenſit Vrſæ frigidum* * *Scythicæ genus;*
*Indusq́ Phœbo ſubditus, Cancro Libys.*

Ort. Scythia,

Offendor. nec rectè Septentrionales mihi dixerit, genus eſſe Scythicæ Vrſæ. Crede mihi emendanti, *Me ſenſit Vrſæ, frigidum Scythes genus, Indusq́ Phœbo ſubditus.* hoc verborum ordine & mente. Me ſenſit Scytha, Vrſæ ſubditus: me Indus, Phœbo: Afer, Cancro.

80. *——Siculus Heſperium latus*
*Tangat Pelorus,* * *vt vna iam tellus erat.*

Intricata inepta. Vetus, *Pelorus, vna iam tellus erit.* rectè. Legebam ego, *vna iam tellus erat.*

*Ms. & *vna ſic tellus erit.* Par. & *vna iam tellus erit.* Del-Rio *vt vna cùm tellus erat.*

103. *Aſtro timendum ſpectat Euboicum mare.*

Idem, *Auſtro.*

140. *—— quà fugit*
*Iſmenos tenui flumine languidus.*

Quî conuenit rapidum & fugæ verbum huic languenti? Scriptus, * *fluit.*

*Ms. Baſ.

151. *Nullis vulneribus peruia monſtra ſunt,*
*Ferrum ſenſit hebes.*

Nullus ingenij ſol hæc illuſtret ſine libro. An monſtra non peruia vulneribus? aliter iſteipſe Hercules docuit. Benè meus, *peruia membra.* De ipſo heroë illo ſermo. quem tam rigidum & durum ait, vt membra eius reſpuant lædi. Scribe & eodem auctore, *ferrum ſentit.*

164. *——quota pars vulnere conſidit.*





*Pro fato patuit vultus iniquior,*
*Et viciſſe ſat eſt Herculeis minis.*

Non ceperunt hæc acumina, & corruperunt. Scribe cum meo libro * *potuit*, non *patuit*: deinde: *Et vidiſſe ſat eſt Herculeas minas.* Hoc ait. Ea vis & virtus Herculis, vt vultus eius iratior, ſit pro fato: & vidiſſe eius minas, ſufficiat in mortem. Oculi & verba eius, telum. Hæc ſubtilia: ſed quò tam ſubtilia? Profectò, ſi inſpicis, tota hæc fabula præter ceteras argutatur, imò tumet, & cum Poëtâ *——nubes & inania captat.*

Ort. Ald. Lugd. Baſ.

167. *Quo vaſtus Briareus, quo tumidus Gyges*
*Supra Theſſalicos conſtitit aggeres;*
*Hoc vultu riguit.*

Quaſi velit eundem vultum fuiſſe Gygis illius & Briarei. Non id mihi bonum. Veteri eſt, *Qui vaſtus* itemq́ *qui tumidus.* quod retineo, & mox lego, *Hoc vultu rigeat*: in hunc ſenſum Illi ipſi Briareus & Gyges, qui cælum impugnarunt feroces, rigeſcant & pereant ab hoc vultu.

184. *——me vel Sipyli*
*Flebile ſaxum figat, ſuperi*
*Vel in Eridani ponite ripis.*

Verus hîc vetus: *ſaxum fingite.* Superos Iole compellat. & me, inquit, vel Sipylæum ſaxum facite vt Nioben, vel populum defigite ad Padum.

204. *—— referam querulo*
*Murmure queſtus, volucremq́ Iolem*
*Turba loquetur.*

In meo, *Murmure caſus.* &: * *Fama loquetur.* Ms.

219. *——proh ſæpe dolor,*
*Formaq́ mortem paritura mihi.*

An dolor mortis cauſa Iolæ? nullus. Ego iam ex ſententiâ emendaueram, *ſæue decor*, vel, *ſcæue.* & repperi ita in libro.

239. *Purúmue claris noctibus ſidus micat.*

Noſter, *Puriſue clarum.*

241. *——fœta vt armento, iacens*
*Sub rupe Tigris.*

Peruersè mutatum, cùm in libris eſſet, *fœta vt Armenia.* Tu repone.

290. *——ſumme protector deûm*
*Et clare Titan.*

Scribo diuiſim, *proh rector deûm.* & ſtatim, * *Herculis coniux timentis.* non, *tumentis.* Ort. Ald. Lugd.

320. †[ *——ſæua, iamdudum faces*
*In te ferentur,*] *vindicem tellus ſuum*
*Defendet omnis,*

Verba nutricis dehortantis Deianiram à ſcelere, quod omnes hominum gentes vindicabunt. Sed noſter liber illuſtriùs ea & veriùs profert: *ſaxa iamdudum & faces.* Ea duo tela in populi ſeditione & aggreſſu. Virgilius: *Iamq́ faces & ſaxa volant.* Iſteipſe Poëta, infrà: *Coïte gentes, ſaxa & incenſas faces Iaculetur orbis*: in hac ipſâ morte Herculis vindicandâ.

† Ignorant iſta verba omnes quotquot vidi, exceptâ Fabricianâ editione.

336. —— *antè ab occaſu dies*
*Naſcetur Indis: antè glacialem polum*
*Scythâsue tepidâ Phœbus afficiet rotâ.*
Nihil hærebam: ſed vetus me ſtitit, in quo *glacialis polus* ſcriptum. Ego verò lego & diſpungo: *antè ab occaſu dies Naſcetur: Indos antè glacialis polus, Scythâſue*, &c. Prius, inquit, ab occaſu ortus erit: prius Indos glacialis polus tanget, aut Scythas Phœbi rota calidior.

345. *Ire, ire, ad vmbras Herculis nuptam licet.*
Probiſſimè. At vetus, [a] *Herculi* [b] *iunctam* [c] *libet.*

[a] Mss. A.B. L.P. [b] Lugd. Par. ſed Ald. Baſ. *victam.* [c] Lugd. *libet.*

353. --*quid caſum times?*
Nubiloſum dictũ, & quaſi hac mēte, quid times eã quæ iam cecidit? Tamen ambigo, ne *caſſum* ſcripſerit: id eſſet, quid fruſtrà & in vanum times?

360. *Amat vel ipſam, quòd caret patrio lare.*
Vetus, *vel ipſum.* optimè. Hoc ipſum, inquit, amat in Iole quod tu pellendo amori eſſe vis: nempe eius miſerias.

363. NVT. *Hoc vſitatum eſt Herculi, captas amat.*
Deleo perſonam Nutricis: & ſermonem continuo.

379. DEI. *Hærere amantes poſt vagos ignes ſolent.*
NV. *Famulámne & hoſtis præferet gnatam tibi?*
Iterum malè inſita perſona. Tu Deianiram tolle, & Nutricem ſubſtitue: cuius duo ij verſus ſunt.

385. *Deforme foliis aſpicis truncis nemus.*
Apage, ineptè. nunquid trunca folia? Vetus ſcriptus, & editus, **Deforme ſolis.* Nihil in nemore, præter nudos truncos. (Ort.)

391. *Ætas citato ſenior eripuit gradu.*
Vt fluat ſententia, ſcribe, *& rapuit.*

400. * —*quo nimis quiſque deos*
*Orabat vllos: nuribus Argolicis fui*
*Menſura voti.*
Mens compâret, verba quæro. Meus, *quéue mens quicquam deos.* Nec hoc placat aures. (Mss. Par. *qua* D'el-Rio *quod*)

405. *Facibus ſuis me iungat Euryſtheus licet.*
*Minus eſt, toros meruiſſe regnantis leue eſt.*
In veteri, *toris caruiſſe regnantem leue eſt.* quod veriſſimum credo. Tanti mihi Hercules coniux, inquit, vt contemnam regum præ eo nuptias: & leue mihi ſit, regnare, ſed carere his toris.

441. *Quem nec nouerca peremit, hunc perimes virum?*
Meus, *nouerca potuit.* benè. In ſequentibus perſonæ turbant: quas ſic digero: *Perimes virum? Cæleſtis ira q. p. m. facit, Humana nullos.* NV. *Parce m. & time.* DEI. *contempſit o. i. q. m. prius. Libet ire in enſes.*

447. *Cur ſæua medicè ſtatuis? vt paſſa es, dole.*
Legebam, *ſæua immodicè.* ex ſententiâ: quam eamdem veriùs fortaſſe præfert liber, **ſæua modicis.* Id eſt: cur delictis modicis tam ſæuã pœnam ſtatuis? ira & vindicta tua, ſint pro culpâ. Idem etiam liber: *vt læſa es.* (Mss, Par. Lugd.)

470. --*& cantu fugax*
*Sit deprehenſum fulmen,*





Optimè vetus, *Stet depreh.* teneatur & ligetur cantu, in ipſo illo curſu.

472. *Medius coäctis fugerit ſtellis dies.*
Ille idem, *ferueat ſtellis.*

486. *Eſt in remoto ſedis egregiæ loco.*
Reſtitue eleganter ex meo, *remoto regiæ ſedis loco.*

491. —— *amoris pignus Herculei manet.*
Vet. **latet.* (Ort. Ald. Lugd.)

494. *Quà celſus aſtris inſerit Pindus caput.*
Idem, *Quà trepidus.*

499. *Vnoq; turpis ſubdidit cornu caput.*
Idem, *turpe.* quod melius. & dicit eum caput ſubdidiſſe, turpe vno cornu.

502. *Euenus altum gurgitem in Pontum ferens.*
Nemo damnet. ſed verior tamen ſententia ſubtiliorque elicitur è veteri, *gurgitem & pontum.* Cauſſa nimirum duplex Eueni aucti & alti. quod & ſuas vndas ferebat, & pontum iam acceperat. ſcilicet per æſtum.

504. *Tranſire Neſſus verticem ſolitus vagum,*
*Pretium popoſcit.*
Audi veterem, *ſolitus vadis.* Planè id germanum eſt.

522. *Traditą; nobis vngulâ inſertam ſuâ.*
Melius, *vngulæ inſertam ſuæ.* atque ita liber.

526. *Hæc docta Mycale Theſſalas monuit nurus.*
Vetus, *docuit nurus.*

538. *Mentem per artus adeat, & tactus ſinus*
*Intret medullas.*
Non conuenit *Sinus.* Veteri eſt, *tactus imas.* legam, *tactu intimas.*

558. —— *perbibat flamas mei.*
Liber, *formam mei.*

566. *Nunc congregetur virus, vt veſtis bibat.*
Emenda ex eodem, *Nunc congeratur.*

685. *Tenuit Latias Dædalus oras.*
In Latióne fuit Dædalus? non nunc ſuccurrit: etſi præfractè haud negem. Veteri meo clarè alia vox fuit, ſed inducta: An, *Italas?* Nam fuit in Italiâ ſanè, id eſt, Magnâ Græciâ. Cumis, & eo tractu.

703. *Fertur rapido regina gradu.*
Vetus, *Fertur medio.* quid verbi fuit? cogita.

706. *Vultus loquitur quodcumque negas.*
Idem, *quodcumque tegis.*

718. *Thalamisq; demens intuli greſſum meis.*
Et hîc neſcio quid aliud liber reponi ſuadet, *Thalamisq; ingerens.* Sanè Dementis vox incongrua.

720. —*ſolibus virus ferum*
*Flammisq; Neſſus ſanguinem oſtendi arguit.*
Non negabis quin coniectura noſtra magis ad verum, **ſanguinem oſtendi arcuit.* Nam Neſſus moriens præceperat, ne in lucem daret hoc virus. Suprà: *Hoc nulla lux aſpiciat, hoc tenebræ tegant Tantum remotæ.* (Ort.)

736. *Sic languet omne virus & perdit comam.*

Vetus, *comas*. ſed neutrum placet, & vulnerum plura in extremo hoc colloquio veſtigia.

739. *Et quidquid illa tabe contactum eſt, labat,*
*Tumensq; tacita ſequitur, & quaſſat caput.*

Quis ἀταξίαν non videat? An ad Tellurem hæc aptè referas? numquam. nec illa ſanè tacita ſequi virus potuit.& caput quaſſare. Nugæ. Tu ſcito plagam hîc eſſe, vel potius hiatum. Deeſt verſus aut alter, & hæc de Nutrice, opinor, dicuntur, quæ cum filio ſuperueniebat mœſto, mœſta. Itaque παρασκευὴ eſt, vt ſolet, ad ſequentia.

746. DE. *Neſcio quod animus grande præſagit malum.*

Mss.Lugd. Poſt hunc verſum liber meus duos iſtos inſerit: * *Regina triumphi templa Iunonis pete, Hæc tibi patent delubra præcluſa omnia.* Quos meæ fidei crede germaniſſimos eſſe, & ab Hyllo pronunciari facito, cum leui emendatione: *Regna, triumpha.* Iam, inquit, licet exſultes. viciſti. i, pete templa, ſacrifica, ſed Iunoni tantùm; cuius odiis gratum tu miniſterium & inſtrumentum. Simile infrà in Choro: *Soláque obductis foribus deorum Templa ſecuræ pateant nouercæ.* Sequens autem verſus, *Effare qui*: iterum ſcilicet Deianiræ dandus.

776. *Euboica tellus vertice immenſo tumens*
*Pulſatur omni parte. Phryxeum mare*
*Scindit Caphareus: ſeruit hoc Auſtro latus.*
*At quà niuoſi patitur Aquilonis minas*
*Euripus vndas flectit inſtabiles vagus.*

Eubœæ deſcriptio eſt, haud ſcio an exactè vera. Ait Capharei promontorium ad Auſtrum eſſe. mallem ad Ortum dixiſſet, & Geographi mecùm. Item, Euripum ad Aquilonem; ille autem certiſſimò ad Occaſum eſt. Quod legitur, *omni parte*: in veteri eſt, *omni latere.* inq; eodem, *inſtabilis vagas.* & ſtatim proximo verſu, *Septémque curſus voluit.*

801. *Sic ille gemitu ſidera & pontum ferit.*
*Et vaſta Calpe ſonuit, & voces Cyclas*
*Excepit omnis.*

Scio, quòd ad veritatem attinet, ἀνευθύνους εἶναι ποιητάς, & tollere iis rem ſupra fidem licere: ſed tamen cum modo, & decoro. Quod autem hoc tam inſolens mendacium, Herculis gemitum è Græciâ producere ad extremam Calpen? Numquam ille ſcripſit, ſed quod liber ſuggerit, *Chalcis.* appoſitè. Nam in eo tractu ad Euripum opidum Chalcis eſt. hanc reſonuiſſe vult, & vicinas Cycladas, itemq; Capharidas petras, quas mox addit. In Hiſpaniam quidem mente aut manu numquam iit.

813. —— *dumq; tremebundum manu*
*Tenuit cadauer, hac manu, inquit, te feram.*
*O fata, victus Herculem perimit Lycas.*
*Ecce alia clades, Hercules perimit Lycam.*

Valdè placet ſcriptura vetus, diſtinctione adiuta, hæc: *hac manu, inquit, hac ferar, O fata victus? Herculem perimit Lycas.*

819. —— *talis in cælum exſilit*
*Harundo, Geticâ viſa dimitti manu,*

Aut



*Aut quam Cydon excuſſit: inferius tamen*
*Fugiente trunco corpus in Pontũ cadit,*
*In ſaxa ceruix.*

Lycām deſcribit violentâ & verè Herculeâ manu interfectum. Miſſum eum in altum vult eo impetu, quo ſagitta Getica ſolet aut Cretenſis. Sed in hanc ſententiam nimis quàm meliùs præit Vetus: *inferius tamen Et tela fugient. truncus in Pontum cadit.* Comparat cum teli emiſſione. tamen, inquit, minus dixi, & illa ipſa tela non ſic in altum ierint expreſſa.

837. *Et nota quærit litora.*

Liber, *Fluctiſona quærit.* quod verum.

842. *Deſtituit animus membra, nox oculos premit.*
DE. *Quid anime ceſſas? quid ſtupes factum ſcelus?*

Prior verſus Hyllo tribuitur, malè, tu Deianiræ, & ſcribe: DEI. *Deſtituit animus.* continenter cum ſequenti. Nam illa ad hanc miſeriarum narrationem animo linquitur, mox ſeſe exſtimulat & armat in ſuam necem. Sed malim & altero verſu legi: *quid ſtupes? factum'ſt ſcelus.*

847. —— *tam leuis pœnas manus*
*Tantas repoſcit?*

Præter Deianiræ mentem iſta: quæ vult pœnam hanc leuem videri tanto admiſſo. Melius, *Leues pœnas manus Tantis repoſcit*: ſiue, *reponit.* Tantis, intellege criminibus.

855. —— *perdidi erepto Hercule*
*Et ipſa populos.*

Ferre poſſem, niſi liber præluceret ad ſubtilius dictum: *Perdidi ſola Herculem.* quod rectum, ſi tamen legis in ſequenti Hemiſtichio, *Et ipſe*: non, *ipſa.* Acutè ad augendum facinus ſuũ dicit miſera: Ego Herculem perdidi, ille terrarum orbē. qui ſcilicet morte eius, præda iam feris & tyrannis.

857. —— *Coniugem Alcidæ necem*
*Optare pudeat: hoc erit votum, manus*
*A me petatur. occupa ferrum ocius.*
*Cur? deme ferrum. quidquid in mortem trahit,*
*Telum eſt abundè.*

Hîc quoque argutiolæ pereunt, à me imò à libro ſubleuandæ. Ille ſcribit, *hæc erit voto manus.* optimè. Cur necem aliunde, inquit, petam? dabit hæc manus, & expleuerit votũ. à me eam capiam. Scribe etiam, * *Cur* Ort. *deinde ferrum? quidquid* &c. Cur autem ferrum peto? inquit. rupes, ſaxum, & quidquid mortem dare poteſt, mihi pro ferro.

895. *Vinci Hercules non potuit, hinc cœpit mori.*

Sanè acutior, quidquid reiiciant, & Poëtâ noſtro dignior lectio vetus, * *cum potuit.* Dixerat nutrix, Viuit etiam ô Deianira tuus Hercules. Subiicit iſta, At cùm inuicta illa virtus vinci potuit (quod veneno meo factũ: cui ille non reſiſtit) potuit, imò cœpit iam mori. quaſi velit, viuum illum vinci nõ poſſe: & hoc argumentũ mortui aut certè morituri, quòd victus. Ms.Ald. Par. Lugd. Baſ.

199. *Si te ipſa damnas, ſcelere te miſera arguis.*

Librum audi: *ſceleris te miſeram,*

906. *Lernæa flectens tela furibundâ manu.*

Sagit-

Sagittas Herculeas intellegit, quas miſit in natos, tinctas Lernæâ peſte. Huic rei non conuenit flectendi verbum: quod damnat Codex, & reponit, *figens*. Sanè figi & defigi ſagittas in corporibus ſcimus.

912. *Fraudem placet punire.*

Vetus, *Placet ſcelus punire*. & inuidioſis his verbis factum ſuum ſemper exauget Deianira.

916. *Immenſa peſtis coniugis membra abſtulit.*

Potius, *Immerſa*.

930. DE. *Quicumque miſero forte diſſuadet mori,*
*Crudelis ille eſt. interim pœna eſt mori.*
NVT. *Sed ſæpe donum in pluribus veniæ fuit,*
*Defende ſaltem dexteram infelix tuam,*
*Fraudiſq; facinus eſſe, non nuptæ ſcias.*

Tenebras tibi has illumino, face diſtinctionum. Vide. *Crudelis ille eſt.* NVT. *interim pœna eſt mori.* DEI. *Sed ſæpe donum.* NVT. *in pluribus veniæ fuit.* Extremo etiam verſu lego cum libro, *ſciat*: vt ad Herculem referas.

945. *Meámque fallax vnda decipiat ſitim.*

Vetus, *deludat ſitim.*

950. — *recipe me comitem tui*
*Phaſiaca coniux, peior hæc, peior tuâ*
*Vtrâque dextra es, ſcelere ſeu mater nocens,*
*Seu dira ſoror eſt, adde me comitem tuis.*

Litterula mihi dux ad veri latebras. nam veteri eſt, *tuo*, non, *tuâ*. Totum locum lego & interpungo: *peior tuo vtroque dextra eſt ſcelere, ſeu.* optimâ iſtâ mente: O Medea, cape me tibi comitem. nam & ego manus inquinaui: atque adeò turpius, quàm tu vtroque illo parricidio, vel cùm fratrem interfeciſti, vel cùm natos.

974. *Virtúſne ſupereſt aliqua? Sarmatica & manus*
*Intendere arcum tela miſſurum valet?*
*Non arma ceſſent, téque languenti manu*
*Non audit arcus, ſi poteſt telum dare*
*Animoſa coniux, dexteram exſpecto tuam.*

Legi hæc ſcio: non intellegi, hoc quoque ſcio. Quæ hæc Sarmatica manus? cur Herculi adtributa? quiáne vſus eâ inter Sarmatas? ſomnia. Veteri eſt, *& armata manus*. Tu ſcribe, *armatæ*: & ſtatim, *valent*. Eodem auctore corrige, *An arma ceſſant t. l. m. Non audit arcus?* Iam illa indubiè ſic legenda: *ſi potes letum dare Animoſe coniux.* Nam hoc clamat impos ſui mulier: Tuâ manu ô marite mori iuuat, ſi vires tibi ad dandam mortem. Dexterâ meâ vti differo, dum tuam exſpecto.

998. *Ita nulla peragas iuſſa, nec peragens mala*
*Erres per orbem.*

Hyllum alloquitur, & deprecatur ab eo labores ac miſerias patris. Commodius ergo veteri, *nec frangens mala.*

1016. — *ſed quid hoc? tellus labat,*
*Et aula tectis crepuit. exceſſit minax*
*Vnde iſte cœtus?*

Liber,



Liber, *excuſſis minax.* placet, ſi puncta ſic mutes: *tectis crepuit excuſſis: minax Vnde iſte cœtus?*

1026. *Peracta iam pars matris eſt, ſtatuit mori,*
*Nunc noſtra ſupereſt, mortis auferre impetum.*
*O miſera pietas, ſi mori matrem vetas,*
*Patri es ſceleſtus.*

Melius fuerit, certè clarius: *Nunc noſtra ſupereſt. mortis aufero impetum?* Hyllus enim animi inconſtans hæc dicit, & quid ago? inquit. prohibeo matrem mori? in patrem pecco, quem illa interfecit; ideoque mori meruit.

1034. *Tangens Threïciam Chelym*

Vetus, *Pieriam.* probè.

1039. *Oblitúſque ſequi fugas*
*Amiſit liquor impetum*

Credo, *fugax*. Diſtinctiuncula iuua.

1049. *Abrupit ſcopulos Athos*
*Et iuxta Rodope ſtetit.*

Imò, *Rhodopen*. Nam ſub ipſâ Rhodope ceciniſſe Orphea vult: ad quam ſcilicet Athos acceſſerit. Atque ita liber.

1063. *Manes commonitos adi.*

Idem, *Manes cum tacitos.* nec aliter ſententiam vllam feceris: *Adit* autem accipe quaſi Adiit, vt ſuprà monui.

1125. *Quis tantum capiet * nefas* Ott. nefas Fatum.
*Fati? quis ſuperis locus?*

Adſentior libens meo Codici, *Fratrum* ſcribenti, non *Fati*. Hoc ait. quis trium fratrum, inter quos diuiſus orbis, Vnus capiet omnia, cùm vnum erunt omnia? Scis de Ioue, Neptuno, Dite, quibus trinum imperium, trino elemento.

1134. — *atrâ nube inhorreſcat polus.*
*Obſta nouerca, nunc pater cæcum chaos*
*Reddi decebat.*

Scribo, * *nouercæ*. Precatur Hercules lucem & ſolem eripi, & nubium velum intendi; ne Iuno videat & triumphet in Hercule moriente. M ss. Par.

1164. *Cùm pæne trepidis excidit Titan equis.*

Bonum hoc, bonum; ſed an germanum? Negat liber, qui præfert, *Cùm pænè laſſis*. Scribam, *lapſis*. metu videlicet viſi Cerberi vult ſuccidiſſe Solares equos.

1173. *Nullum malum proſternit: impendo male.*
*In nulla vitam facta.*

Elegantius liber: *impendo, hei mihi, In nulla v. f.* Quam eamdem eiulationem repono verſu iſto.

1182. — *cadere potuiſſem mihi*
*Iunonis odio.*

Lego inquam, *hei mihi.*

1191. *Adhuc ferebas eſſe te Alcidæ parem.*

Cùm nexum ſententiæ conſidero, ſuadeor legere, *Adhuc fremebas* ſup-

1201. *Vbique me mors fugit, vt leto inclito*
*Fortis carerem.*

Audio te, quiſquis es, bone boni libri ſcriptor: *telo inclitæ Mortis carerem.*

1219. *Eheu quis intus ſcorpius, quis feruidâ*
*Plagâ reuerſus cancer infixus meas*
*Vrit medullas?*

Quantò ille idem meliùs: *Heu qualis intus ſ.q. feruidâ Plagâ reuulſus.* Vulſe ſcilicet vi ablatum & dereptum è cælo in ſuam peſtem.

1226. —— *abſtulit coſtis iecur.*

Aliquoties iam antè iecur nominatum. veriſſimè liber, *latus.* In coſtis ipſis, inquit, adeſum, nec iam compâret latus.

1238. *Aſtris ab ipſis detulit Stymphalidas.*

Scriptum, *depulit.*

1246. —*ô vires prius*
*In me ſepultæ.*

Vetus, *vbi vires.* Diſtinguam, *vbi vires prius In me? ſepultæ.*

1261. *Quæcumque peſtis ſæua, quæcumque effera es,*
*Palam timeres.*

In libro, *peſtis ſiue.* concinno ex hoc reliqua, *ſiue quæcumque es fera.* Ambigit an peſtem hanc dicat, an feram aliquam intra ſe latentem.

1276. *Flentem, gementem, ſumme protector poli,*
*Me terra vidit.*

Rectum eſt, *proh rector.* Atque ita liber.

1286. *Fletum * virtus ſæpe reſoluit.*

*Ms: Baſ. *luctus.*

Valdè fallor, aut ex reipſa & ſequenti imagine, legendum *reſorbet.* Comprimit virtus lacrimas, & iam labentes tantum non deuorat & abſorbet.

1303. *Giganta, crede, non minus verum mihi*
*Aſſerere potui: dum patrem verum puto,*
*Cælo peperci.*

Reformo in alium & pulchriorem ſententiæ habitum ex Codice noſtro, in quo *cælum,* pro *verum.* Optimè. Diſtinguo, *Giganta crede. non minus cælum mihi Aſſerere potui.* Nempe Hercules doloris impotēs Iouem inuocat vt ſe fulminet. Quidni? inquit. olim gigantibus feciſti: crede & me vnum ex illis. Viribus certè non inferior, potui & cælum perfringere: niſi pepercissem, ob te patrem. Hæc præalta & tumida: quis neget? ſed nimirum eiuſmodi complura in hac Tragœdiâ φυσήματα καὶ μολγοί.

1334. *Adhuc malis feriſq; ſuppoſitus fores,*
*Si me tuliſſes. vindicem veſtrum malis*
*Excipite.*

Scribe, *Ni me tuliſſes.* & ſtatim, *Eripite.*

1347. —— *ſed vmbræ ſimile neſcio quid mei*
*Agnoſce mater.*

Nec damnes ſcriptum, *vmbram & vile neſcio quid.*

1363. —— *quæ plaga inferni poli*
*Vetans flagranti currere in Zona diem?*

Dici de polo poſſit nobis depreſſo & minus ſublimi, ſtultè. Aſſentiamur libro, *plaga ignifera poli.*

qui



1384. —— *qui Thracios fluctus Athos*
*Frangit, Tonantis fulmen excipiens Iouis.*

Spurium hoc & ſpurcum deputat liber, *Frangit, Iouiſq; fulmen excipiens minas.* ſi tamen iunges & corrigas, *Mimas.* qui mons inter eximios & ſæpe huic noſtro aliiſq; dictus.

1404. —*ille nimius impulſus dolor.*

Vetus, *impuſſans dolor.* Credo, *impulſans.*

1429. *miſeræq; nato ſimilis Alcmenæ nepos.*

Imo, * *fato ſimilis.* quod & vetus editio habet: quam (ignoſcite & tamen agnoſcite Critici) millies deprauaſtis. On.

1439. *Video nitentem regiam clari ætheris.*

Herculis alucinantis verba, & propinquâ morte, cælum ſomniantis. Sed vetus, *Video intenſam.* ex quo lego: *Videône terſam*

1443. —— *ora Phœbæus modò*
*Afflabat axis, tam prope à letho fui.*

In eodem ſuo delirio hæc enunciat, & eidem rei. Itaque optimè liber. *tam propè à cælo fui.* Hem, inquit. vbi ego nunc? iterum in terris? paullo antè iuxta Phœbum.

1490. *Eſt clara, captas inter incultas, genus*
*Regúmque referens, Euryto virgo edita.*

Profert hæc ad Hyllum Hercules, cui tradit ſuam Iolem. Veteri eſt, * *incultum,* non *incultas.* Ex eo ego, *inclutum genus.* & *Regnúmque* potius, quàm *Regum.* On.

1493. *Victor cruentus abſtuli patrio à lare.*

Liber, *patriam, lares.* benè.

1508 —— *parce iam lacrimis meis.*

Idem, *lacrimis, parens.* quod certè verum.

1510. *Quid tale Iuno peperit, ætherium gerens*
*Sceptrum & Tonanti nupta?*

Ille ipſe, *Quid tale genuit, peperit.* omiſſo Iunonis nomine: quam hic deſignari ſaltem videatur elegantius.

1532. *Quando, proh Titan, vbi, quóue ſumme*
*Herculem in terris alium ſequêris?*

Scriptura palàm melior, *vbi? quo ſub axe?*

1559. *Æacumq; inter geminóſque Cretas*
*Fata diſcernens. fieri tyranni*
*Parcite ô dites, inhibete dextras.*

Etiam hîc: *Fata diſcernens, feries tyrannos.* Ponit Herculem apud inferos quartum iudicem futurum, & qui propriè, vt olim viuus puniat tyrãnos.

1590. *Non duces ſæuos miſeranda tellus*
*Habeat, nec vllâ dominetur aulâ.*
*Quî * poteſt ſolum decus eſſe regni*
*Semper intenſum tenuiſſe ferrum.*

Ms. *pauirent.*

Verſus alter nónne clarè labat? Erige, *Horreat, nullâ.* Nam Sapphici ſunt, puri, puti. Lege etiam connexè, *aulâ Cui poteſt.* item, *impenſum,* è libro, non *intenſum.* Senſum hunc effice. Nuſquam imperes, cui ſolum de-



cus

cus ſceptri eſt, occupatum ſemper habuiſſe ferrum.

a Ald. Lugd. En quid. b Ort.

1596. a *Ecquid hoc? mundus ſonat*

Vetus, b *Heu, quid hoc?* Quem audi, & me ſcribentem, *tonat.* Mundus enim huic poëtæ (nec ſine exemplo) ferè ſemper Cælum.

1624. ——— *Chaonis quondam loquax*
*Stat lata vaſti quercus.*

Non nego. tota hæc deſcriptio exſtructi rogi moleſta, odioſa. quid facias? aut ne lege, aut corrige: *Stat vaſta latè*, traiectu verborum.

1631. ——— *tunc cadens lentâ morâ*
*Duxit ruinam.*

Repperio in ſcripto, *cadens latam ſui.*

1653. *Victure felix: has enim numquam irritas*
*Mittes in hoſtes.*

Verba, quîs Hercules ſagittas porrigit Philoctetæ. Ea in libro meliora: *Virtute felix iuuenis, has numquam.*

1722. ——— *eſt noſtros manus*
*Quæ tendat arcus.*

Scribe & σκωμματικῶς pronuncia, *en, noſtros.*

1726. *Rogat ecce iam me genitor.*

Decorúmne Iuppiter roget? Negat ratio, & liber qui habet, *Vocat.*

1733. *Tantum ingemiſcit ignis ad durum iecur.*

Concinnius feceris, *ignis. ah durum iecur!*

1748. ——— *cumq; iam forti datum*
*Leto ſatis penſauit, igniferas trabes*
*Hinc inde traxit, nimia quas flamma occupat*
*Totáſque in ignem vertit.*

Scribe, *minima quas flamma.* Nam hoc vult longâ & affectatiſſimâ narratiunculâ, Herculem poſtquam probauit ſatis parem ſe dolori & cuicumque ferendo letho, trabes rogi corripuiſſe & ad ſe traxiſſe, quæ minimum etiam vſtæ: ſcilicet vt totus toto rogo iam perureretur.

1756. --- *ſed quid hoc? mæſtam intuor*
*Sinu gerentem reliquias magni Herculis,*
*Crinémque iactans ſquallidum Alcmene gemit.*

E veteri legas, *ſed quid hanc mæſtam intuor Sinu gerentem?* & *Cinerem*, non *Crinem.* Quod planè verum reor, ſi reſcribas in fine, *gerit.*

1763. *Hic tumulus ille eſt. ecce vix totam Hercules*
*Compleuit vrnam.*

Acue ſententiam, & lege, *illi eſt.*

1821. *Hîc pax cruento rege proſtrato data eſt,*
*Vbi enim negata?*

Illuſtriora hæc facio. *Vbi ei negata eſt.* ſine interrogatione, & voculâ additâ è libro. Senſus: Hic Thraciæ vniuerſæ pax eſt data, poſtquam Diomedi vni negata eſt: quem interemit.

1870. *Ille Tyrannus iuſſit Stygias*
*Penetrare domos, populiſq; mandans*
*Ponere ferrum.*





Chorus in laudem Herculis pronunciat. Scribo autem, **tyrannos.* Deinde, **populiſq; madens*: egregiâ & verâ correctione. Nam vulgatum illud versus abnuit, & ſtructura dictionum. Mẽs eſt, Herculem Tyrannos miſiſſe ad inferos, & tinctum cruore populorum ferrum iuſſiſſe deponere. * Ort. *Lugd.

1897. ——— *Flete Alciden*
*Quòd non ſtabulis veſcitur infans*

Ego tibi adfirmo ſcribendum, **naſcitur infans.* Flete, inquit, Herculem: cui debetis, quòd non naſcuntur vobis pueri, futuri pabulum equis. Ort.

1922. *Teq; in primo limine Ditis*
*Monſtra morantur?*

Nihil hîc monſtra valent. lege cum libro, **Fata.* Ms.Pal.

1271. *Proinde luctus pone, quos gnato pater*
*Genetrix inerti.*

Legam, *gnato paret.* Vetus autem *Meretrix* ſuggerit, pro *Genetrix*: nec video quî approbem.

1982. *Et numen, & te mundus æternus tenet.*

Mundus, id eſt cælum: Tamen liber, *te numen æternum.* haud improbè. Sequenti verſu velim, *Io triumphe.* Et vſurpo libens, poſt longam cum vitiis in hac Fabulâ pugnam. quæ ipſa (vno verbo dicam) vitium: nec in vllo ſcripto manifeſtius φρύαγμα & ὄγκος.

## AD THYESTEN.

Quę fabula bona, & in manibus eſt minus maculoſa. Eò hîc ego breuior.

Verſ. 1. *Quis me furor nunc ſede ab infauſtâ extrahit?*

Tantali verba emergentis ab inferis, ſed cum occultâ labe. Téne Furor extrahit? nullus, ſed furia ipſa, Megæra. Aſſentiamur igitur meo libro, *Quis me inferorum ſede ab infauſta.*

9. *Aut pœna Tityi, ſemper accreſcens iecur*
*Viſceribus atras paſcit effoſſis aues?*

Illeipſe hîc hemiſtichio auctior: *Aut pœna Tityi, qui ſpecu vaſto patens.* & ſubiugit deinde, *Semper accreſcens iecur*, Defectúſne eſt? an illa ab adtextu?

54. *Ornetur altum culmen, & lauro fores.*

Leue eſt: ſed nota fidi libri, qui præfert, **altum columen.* Ald. Lugd.

59. *Ecquando tollet ignibus iam ſubditis*
*Spumante aheno? membra per partes eant.*

Melius diſtinxeris: *Spumante aheno membra?*

93. — *moneo, ne ſacrâ manus*
*Violata cæde, neve furiali malo*
*Aſpergat aras.*

Imperandi formulâ ſcribe, *Violate:* itemque, *Aſpergite.*

105. — *iam tuo mæſta pede*
*Terræ grauantur.*

Elegantior lectio ſcripta: *tuum mæſta pedem.*

170. — *ſtat miſer obuius*
*Fluctus ore vocans*

De Tantali inexſtinctâ ſiti. cui verbum aptiùs præfert codex, *ere petens.* Nam captat ſanè identidem, non ſolùm aduocat laticem.

228. *Aurata reges ſceptra Tantalici gerunt.*

Vetus, *Tantali*: ego, *Tantalei.*

237. *Pars nulla noſtri tuta ab inſidiis vacat.*

Idem, *Pars nulla generis tuta.*

300. *Maliſq; feſſos grauibus, & faciles capi*
*Preces mouebunt.*

Quem cur non & hîc audiam? *Prece commouebo.*

329. ——*multa turbatus ſolet*
*Detegere vultus*——

Vetus: *multa ſed trepidus ſolet.* Vtrumuis rectum.

387. *Rex eſt qui metuit nihil.*

Ex manuſcripto & meo & Fabricij verſiculus addendus, *Rex eſt quiq; cupit nihil.* Cur autē eum deleant? plenitudo ſententiæ poſtulat, nec aliter verè hoc regnum conſtat, niſi duplicem affectum adimas, Spem & Metum.

441. *Pater poteſt regnare:* THY. *cùm poſſim mori.*

Subobſcurum hoc reſponſi. legam, *potes regnare.* THY. *quin poſſum mori.* Nempe impellunt filij (heu, improuidi) Thyeſtem ad eundum: & ſpe inprimis regni. Ambigis pater? ecce, in propinquo ſceptrum. Reſpondet ille haud vanè timidus, ſed & mors fortaſſe in propinquo.

459. ——*non ventrem improbum*
*Alimus tributo gentium: nullus mihi*
*Vltra Getas metitur & Parthos ager.*

Hoc dictum de multitudine ſeruorum, ad verbum è Senecæ prioris Epiſtolis ſumptum moneo. cuiuſmodi multa adnotare tibi poſſim in his fabulis, ſtudio quodam ab eo viro ſumpta. Verſu tertio, *metatur,* legit codex, & cum eo ego. *Metabat ſeſe circum loca,* in Poëtâ veteri legi.

463. ——*nulla culminibus meis*
*Impoſita nutat ſilua, nec fumant manu*
*Succenſa multâ ſtagna.*

O ſuaues hîc interpretes! Stagna aiunt ſuccendi, vt fundus dulcior, dulciores reddat piſces. Tu ſcito de Balneis domeſticis & ambitioſo in eo apparatu Poëtam loqui. Non attigiſſem, niſi iuſſiſſet deus Riſus.

487. *Eatur, vnum genitor hoc hortamen eſt.*
THY. *Ego vos ſequor, non duco.* PL. *Reſpiciat deus.*

Quod *hortamen vnum*? quæ ſana hîc mens? Egregiā emendationem præit liber. *vnum genitor hoc teſtor tamen, Ego vos ſequor, non duco.* Continenter hęc Thyeſtes dicit euictus tandem ſuadelâ ſiue precibus liberorum, Age, inquit eamus. tamen hoc pater vobis teſtor, ſequi me, non ducere.

524. ——*ornatus cape,*
*Quales mei.*

Vetus, *Pares meis.*

578. *Scylla pulſatis reſonat cauernis,*
*Ac mare *intortum timuere nautæ.* Ort. intortum.

Frigidum hoc, ſi attendis. Quid mirum ſi Scyllam iratam nautæ timeāt?

vilius,



vilius, quàm pro re, dictū. Scriptus: *Ac mare in portu timuere nautæ.* Quod verum fateberis, ſi rimaberis. Nam hoc ait: Cùm Scylla ſæuit & tempeſtas vbiq. atrox; nautæ vix in portu ſecuros ſe putant, illîc etiam timent. at cùm ſerenum redit; non ſolùm naues, ſed & cymbæ perſultant & contemptim ludunt in illo ipſo freto. Sequentia vide. huc adigunt.

603. *Anxius ſceptrum tenet, & mouentes*
*Cuncta diuitias, metuitq; caſus*
*Mobiles rerum, dubiumq; tempus.*

An rex diuitias timet? vouet, ſcio. Sed alienas fortaſſe. quia nihil tam ſanctum, quod illæ non violent; tam firmū, quod non expugnent ὄθλοι. Alij ſubſtituunt, *dynaſtas*: contra verſuum legem. Librum meum, ſi ſapis, approba: *diuinat metuitq; caſus.* Rex, inquit, ſemper in metu: & ſi preſētia bona, tamen diuinat & præſagit caſus fallaces & ſumma imis miſcentes.

639. *Non quæro quis, ſed vter effare ocius.*

Labat verſus. In ſcripto lēgi, *Non quæro quid ſit, ſed vtrum eſt effare.* nec hoc rectè. Caliginem in hac feſtinatione non dimoueo.

640. *In arce ſummâ Pelopis, vna eſt pars domus.*

Aſſentior magis veteri: *Pelopea pars eſt domus.* Nam Pelopeum, breui penultimâ, vt Dioneum Catullo.

649. *Arcana in imo regia receſſu patet.*

Si arcana, quomodo patet? Liber, *iacet.*

693. *Contrectat, & componit, & ferro admouet;*
*Accendit ipſe. nulla pars ſacri perit.*

Non præteruolat me ſcripta lectio, *Attendit ipſe:* & mirum ni vera. Vult eum attentè obſeruaſſe (vt ritus) motus geſtuſq; nouarum iſtarum hoſtiarum: volentes ſe darent ad ſecurim &c. Nam de igne accenſo, haud æquè narrationi faciat. Tamen.

740. *Pectore receptus enſis, in tergo * exijt.* Ort. exſtitit.

Liber, *in tergo ſtetit.*

822. *Tenebraſq; iubet ſurgere, nondum*
*Nocte peractâ.*

Minimè verò *peractâ*: ſed vt libri veteres, **paratâ.* Ecce enim Sol ſeſe condens Noctem inducebat & ſurgere iubebat ante tempus, ideoque imparatam. Habes Thyeſtem: muginor nunc tibi. Ort. Ald. Lugd.

## IN OEDIPVM.

Verſ. 1. *Iam nocte pulsâ dubius effulſit dies.*

Haud damnes tamen puriùs germaniuſq; cenſeā quod in libro, *Iam nocte Titan dubius expulsâ redit.* Sanè vocula *Dies,* parū amœnè mox repetitur.

4. *Iam cernet auidâ peſte ſolatas domos.*

Idem habet, *Proſpiciet auidâ.*

34. *Incolumis ergo, ſcilicet Phœbi reus.*

Amplector ſcriptum*, *Incolumis adſto.* Ort. -ſtans.

42. ——*tenuis Iſmenos fluit.*
*Et tingit ipſâ nuda vix vndâ vada.*

Liber,

Liber, *tingit inopi:* quis non præferat? Et ſtatim, *nubilo pallet die:* non vt vulgò, *pallet nouo.*

61. *Properatq́; vt alium negerat in eumdem rogum.*

Idem, *vt alium repetat.* Hæc ſanè ſententia eſt. Parens à funere properat ad funus, & petit alium quem comburat.

93. ——*cruentos peſtis infandæ tuli*
*Rictus.*

Idem, *vatis infandæ.* De Sphynge ſermo.

95. *Cumq́; è ſuperbâ rupe iam prædæ imminens*
*Aptaret ales verbera, & caudam mouens*
*Sæui leonis more, conciperet minas.*

Primo verſu, neſcio an *ſupernâ* melius. altero ſcribo, *Aptaret alas, verbera & caudæ mouens.* In libro quidem meo eſt, *caudæ.* Deſcribit in Sphynge violentam famem & rabiem. Iam, inquit, alas explicabat ad me inuolandum, iam caudæ verberibus ſe ſtimulabat, ſolitum leoni.

101. *Nodoſa fortis verba.*

Vides verum eſſe, *ſortis.*

174. *Vaga per lucos ſimulacra virûm*
*Maiora viris.*

Malim, *Maiora veris.* Hæc opinio veterum; manias iſtas & mortuales imagines, ſemper apparêre ſupra verum humanumq́ue ſtatum. Noſtra ad XI. Taciti vide.

186. *Multoq́; genas ſanguine tingit.*

Conuenit cum notâ Thucydidæâ in Peſte, qui ὀφθαλμῶν ἐρυθύματα appellat: ſicut & Lucretius facit: —*oculos ſuffuſâ luce rubentes.* Tamen Codex noſter, *tendit*, præfert haud malè: vt multo illîc concurſu ſanguinis tendi velit & horreſcere pellem.

244. Siquid video, Perſonarū diſcrimen mutandum, & hoc faciēdum:
CR. *Queritur peremptum nemo, quem incolumem timet.*
OED. *Curam perempti maior excuſſit timor.*
CR. *Pium prohibuit vllus officium metus?*
OED. *Prohibent nefandi, &c.*

270. *Ita molle ſenium ducat, & ſummum diem*
*Securus alto degat in ſolio parens.*

Oedipi votum & iuratio eſt, Ita pater mihi, inquit, quietè moriatur in ſuo regno. Sed nónne melius huic ſententiæ liber? *alto reddat in ſolio.* cenſeo. Nam & veteres vulgati, *regnet*, non, *degat.*

280. *Vnde altus ima deſerit, cælum petens.*

Parnaſſum deſcribit attollentem ſe & aſſurgentem. legit vetus, *altus arua deſerit.* rectiſſimè.

334. *Pudet deos neſcio quid huc properè admoue.*

Liber, *propè admoue.*

338. ———*expauit diem*
*Trepidusq́; vultum obliquat & radios fugit.*

Proba, ſed an ſincera? negat liber, qui ſuggerit: *vultum ſolis & radios.* Multa autem hîc & rara notabis ad Ritualia ſacrorum.





341. *Iuuenca ferro ſemet oppoſito induit.*

Vetus, *impoſito. De ſecuri non malè. Silius XVI. *Victimaq́; admotæ ſtabat ſubiecta ſecuri.* Vulgata tamen recta, de cultris quibus cadentem excipiebant & iugulabant. *Ms.

373. *Quod hoc nefas? conceptus infauſtæ bouis.*

Liber, *innuptæ bouis.* Atq. ita ſanè duplex mōſtrū: quòd nec ſuo loco fętus, quòd nec in vaccâ. Suprà Iuuencā appellauit: & ſolēt tales eligi ad ſacra.

377. *Infecit arctas liuidus fibras cruor.*

Malo cum libro, *Infecit atras.*

382. *Vox eſt, nec vſquam territi fugiunt greges.*

Legebam, *mugiunt greges.* appoſitè. At liber ſuadet, **reſonant:* quod magis approbem, quia mox Mugiendi vox iteratur. *Mss.

500. *Concinit tædas geminus Cupido.*

Ex ritu antiquo egregiè liber, *Concutit.* Scis in nuptiis faces præferri ſolere, & plerumque à pueris. Huc reſpiciens vult Bacchi & Ariadnes cœtui præluxiſſe Cupidinem vtrumque.

536. —*ſilua iam feſſâ cadens*
*Radice.*

Scribe, *illa iam*, auctore libro. Nec enim de ſiluâ totâ loquitur, ſed diuiſim de arboribus. Hæc, inquit, ramos amiſit: iſtam iam radix non tenet, &c. Vide verſus ipſos. Quod ſemel monitum, ſemper fac. Quis enim tibi fructus aliâs ex breuiculis his Notis?

551. ———*ipſe funeſto integit.*
*Vates amictu corpus, & frondem quatit.*

Quam frondem? Taxum, cupreſſum, aut ſimilem aliquem feralem ramum? Non abnuam. niſi quòd præualet apud me codicis ſcriptura, *frontem.* Nam frontem quatere mœſti aut irati ſolent: nec diſconuenit infero huic ſacro.

620. —*atque ab omni diſſidet turbâ procul.*

Illuſtra, & ſcribe, *deſidet*, cum meo libro. Nempe vult Laïum, qui inuitus & vi violentâ carminis protractus ad ſuperos, procul ſe remouiſſe ab aliis, & ſolum reſediſſe, ſeq́ue occultantem.

634. —*prima qui ſæuæ necis*
*Sceptra, & nefandos occupat matris thoros.*

Prefero quod in meo eſt [a] *præmia qui:* ſiue quod in priſcâ editione, [b] *pretia.* [a] Ort. [b] Lugd.

682. *Certiſſima eſt regnare cupienti via,*
*Laudare modica, & otium ac ſomnum ſequi.*

Non hercules *ſequi*, non: ſed *loqui.* quod adſerit vetus. Nam ita eſt. qui regno occulti imminent, regnum & alta ſermone deteſtantur, vt re aſſequantur. Prudentiſſimus hiſtoricorum: *Simulatorem ſegnitiæ, dum temeritati locum reperiat.*

685. CR. *Parúmne me tam longa defendit dies?*
OED. *Aditum nocendi perfido præſtat dies.*

Liber vtrobique ſufficit, *Fides*, pro *Dies.* Ego libens audio.

701. ——*Quiſquis in culpâ fuit*
*Dimiſſus, odit omne quod dubium putat.*

Tenebræ in hac ſententiâ: quas mirabor, ſiquis penetrabit. Ego diſpelli eas cenſeam, vocibus paullùm compoſitis, aut correctis. *Quiſquis in culpâ fuit Dimiſſus, odit. omne quod dubium, puta.* Sententia biceps. Primùm ait, Omnem qui accuſatus & dimiſſus, odiſſe eum apud quem, & ob quem, in periculo. Deinde vniuersè hoc Regibus præcipit. de quo ambigis, pro certo habe: & culpam ambiguam, puni vt veram. Vide adiuncta, videbis verum me vidiſſe.

771. *Cecidiſſe noſtri ſtipitis impulſu obuium,*

Liber, *ſtipitis pulſu*: fauente verſu.

795. *Grauem paterna regna diſcutiunt metum.*

Ort. Ald. Lugd. Baſ. Par. — Et hîc ille aptiùs: **Omnem p. r. diſcutient metum.*

805. *Quod ſubditicij præmium gnati petit?*

Liber, *ſubditiui*, &, *petijt*. notâ lapſi temporis, vtrumque rectè.

889. *Lene ſed modicum fluens*
*Aura.*

Concinnem ex veſtigiis ſcripti: *Lenis & modicè fluens.*

1007. ——*qualis attonita & furens*
*Cadmæa mater, abſtulit nato caput*
*Senſimúe raptum traxit: afflictum alloqui*
*Cupit, pauetq́;.*

Hæc verò inepta. Scilicet in furore illo ſenſim & leniter caput auulſum traxerit Agaue? aut hæc ad ſimilitudinem faciant, quam inſtituit Poëta? nihil. Liber meus: *Senſitúe raptum dubitat.* Ex quo aptiſſimè apto: *Senſitq́; raptum. dubitat, afflictum alloqui Cupit, pauetq́;.* Qualis, inquit, Agaue cùm furens filio caput abſtulit & mox facinus ſenſit, attonita ſtetit, probaret an damnaret facinus, ſileret an loqueretur: talis hîc Iocaſta.

1011. Io. *Cupiunt & horrent ora. nam quid te vocem?*

Alia in noſtro lectio: *Et hæret ore prima vox. quid te vocem?* & quidem omiſsâ Iocaſtæ perſonâ. Ego valde approbem, ſi tamen reſcribas, *Sed hæret.* itemque diffindas verſum, & Iocaſtam inſeras ante hæc verba, *Quid te vocem?*

2014. —— Oe. *quis frui tenebris vetat?*
*Quis reddit oculos? mater, an matris ſonus?*

Verum cenſe: *matris en, matris ſonus.* atque ita liber. Adfirmatè hoc dicit indignans Oedipus. Quid iuuat eruiſſe oculos ne viderem matrem? ecce audio, & taminor ab illo ſenſu. Silet Oedipus: opem meam poſcit.

## HIPPOLYTVS.

Quæ tamen fabula, veteri meo libro Phaedra inſcribitur: neque nullâ de cauſsâ.

verſ. 13. *Vbi per glacies lenis Iliſſus,*
*Vbi Mæander ſuper æquales*
*Labitur agros.*

De Atticâ ſermo. vbi igitur in eâ glacies, aut fluuij glaciati? ambigo. An non, *per glareas*? contractâ in biſillabam voce, ob verſum. Vt velit Iliſſum per ſcrupos & ſaxa volui, Mæandrum per æquabiles arenas. Videatur.



deatur. niſi vitium tamen maius nonnullo indicio librorum. Nam meo ecce, *totus ille ſecundus verſus abeſt: idque, cùm bis in eo (neſcio quo caſu) ſcriptus primus hic Actus. At editioni priſcæ, abeſt totus primus. in quâ *Melanes* etiam eſt, non *Mæander*. Cogita. nam calidè hæc me ſcribere vides. *Mss. Par.

163. *Quid pœna præſens conſcius noctis pauor?*

Benè. Nam nocte plerumque inquietati ſcelerum memoria. Tamen meo eſt, *mentis pauor.* non minùs rectè.

237. Nvt. *Reſiſtet ille, ſeq́; tractandum dabit?*

Hæc cum ſequentibus Nutrici tribuuntur. nolim. Ego Phædram ea dicere velim, ſed affirmantem, non rogantem. At huic verſui perſonam Nutricis dederim: Nvt. *Tibi ponet odium.*

262. *Prò caſtitatis vindicem armemus manum.*

Nec hoc placet in Nutrice. Da Phædræ: & obiter corrige, *Pro caſtitate.* Mori enim illa præoptat, quàm pudorem violare. quod tamen impedit Nutrix, quæ mihi iam dicat, Nvt. *Sic te ſenectus noſtra.*

277. *Iſte laſciuus puer, acrè nitens.*

Malim, *ac renidens.* Fallaci quodam riſu, Cupido. Statim, *moderatur arcu*: ex veteri.

286. *Quæq́; ad occaſus iacet ora ſeros.*

Probè, neſcio an verè. Liber arguit: **Quæq́; ad Heſperias iacet ora metas.* Ms. Nec moueor, quòd verſus non ad Grammaticam legem. permutat enim interdum pedes hic Poëta: vt mox, *Si quæ Parrhaſiæ glacialis vrſæ.* Ita enim liber.

305. *Perq́; fraternos, mala regna, fluctus.*

Vetus, **noua regna.* Ioui noua: cui regnum cæli. Ms. Par.

332. —*quaq́; ætherio*
*Candida mundo ſidera currunt.*

Idem, *quaq́; per ipſum Candida mundum.* Interpolarunt ij, quibus Mundum ἁπλῶς pro Cælo dici, nouum erat.

*Altrix profare, quid feras? quónam in loco eſt?*

Actus ſecundi hoc initium, ſed planè παράλογον. Quid enim roget Phædra de ſucceſſu alloquij, cùm vix digreſſa ab eâ nutrix? Sed nec ſequentia, ad hanc mentem. Liquet mihi tranſpoſitum verſiculum, & infrà alibi inſerendum: ac mirum ni illîc, vbi Phædra ad aſpectum Nutricis in hæc decorè erumpat: tum denique viſo etiam Hippolyto, concidat. Sufficì igitur cenſeam poſt verſum 584. Vide.

368. *Nec ſe quieti reddit.*

Vetus, **Nunc ſe.* Dat quidem ſe quieti, ſed illa non admittit. Mss. Ald. Par. Lugd.

403. Nvt. *Depone queſtus, non leuat miſeros dolor,*
*Regina. ſæuis ecquis eſt flammis modus?*
*Agreſte placa virginis numen deæ.*

Auſim hæc traiicere, ſic: Nvt. *Regina ſæuis ecquis eſt flammis modus?* * *Sepone queſtus: non leuat miſeros dolor. Agreſte placa virginis.* Res ſuadet. Ms. Par. Lugd.

444. *Mentem relaxa. motibus feſtis facem*
*Attolle.*



BIBLIOTH[...] UNIVERSI[...]

Liber, *noctibus feſtis*. quod valde approbo, & ſcio hæc dici de nocturnis ſacris Triuiæ. Propert. *Cùm videt accenſis deuotam currere tædis In nemus, & Triuiæ lumina ferre deæ.*

512. ——*ſiue fons largus citas*
*Diffundit vndas.*

Idem, *defundit*. aptiùs.

520. —*ſi celer ſomnus premit*
*Secura duro membra verſantem thoro.*

Idem, *certior ſomnus*. &, *verſantur thoro.*

531. —— *non vaſto aggere*
*Crebraq́ turre cinxerant vrbes lacus.*

Lacus interpretantur Foſſas quibus vrbes cinctæ. Cur librum non magis
Mss. audiam, * *latus*, ſcribentem? Vrbes enim ſibi latus cingunt & claudunt aggeribus murorum & turribus.

592. *Cur dulce munus redditæ lucis fugis?*
*Aude anime, tenta.*

Perſonis hęc variari placeat: HIP. *Cur dulce m. r. l. fugis?* PHAE. *Aude anime.*

605. *Vos teſtor omnes cælites hoc quod volo.*
HIP. *Animúſne cupiens aliquid effari nequit?*

Ort. Fallor. aut bonæ lectionis & ſententiæ mihi liber auctor: * *Vos t. o. c. hoc quod volo Me nolle.* HIP. *animúſne cupiens aliquid effari nequit?* Phædra aperire amorem cupiens, vim eius primò aperit. Et dij mihi teſtes, inquit, cupere me quod non cupio, velle quod nolo. ſed adigit ſæuus & inuictus ille deus. Nimium ſanè hæc bona. Sed verſus, inquies, ſpernit. Iam antè monui, inſeri interdum dimidiatos iſtos verſiculos, ſententiâ poſcente, nec ſine grauiorum vatum exemplo. Quòd ſi concinnare tamen verſus placet: deleam τὸ *aliquid*. & legam, *cupidus*, pro *cupiens.*

619. *Muliebre non eſt, regna tutari patris.*

M s. Germanum credo, **tutari vrbium*: vt in libro.

621. *Ciues paterno fortis imperio rege:*
*Sinu receptam ſupplicem ac ſeruam rege.*

Mss. Lege è ſcripto, * *ac ſeruam tege*. Præiuit Regendi verbum: & iucundâ paranomaſiâ Tegendi ſubdit. haud paulo aptius ad Phædræ mentem & votum.

658. *Et genitor in te toruus, & toruæ tamen*
*Pars aliqua matris.*

Lugd. Credo veriùs, * *in te totus*, fide libri.

768. *Langueſcunt folio lilia pallido.*

Inſertâ voculâ vetus, *vt lilia*, rectè.

783. *Laſciuæ nemorum multiuagæ deæ,*
*Panes quas Dryadas montiuagi petunt.*

Dic verum. hæc capis? non puto. Liber meus, *Panaſq́ Driades montiuagos*. Emendo, *Panas quæ Dryades montiuagos.* Mens & ordo verborum: Te Hippolyte laſciuæ deæ petent ob tuam hanc formam: illæ ipſæ Dryades, quæ Panas & Satyros ſolitæ furtim petere.

823. *Deformis ſenij limina tranſeat.*





Hoc ſanè aptum &, puto, verum. Quid ſcriptura tamen vetus vult, *ſenij monſtret imaginem?*

826. *In ſcelere quærit crine lacerato fidem.*

Emendant, * *Et ſcelere*. Meo fuit, *In ſcelera*. quod valdè probo. etſi dele- Ms.
tum id, & repoſtum, *En ſecla!* quod ipſum haud ſpernam, deteſtandi & admirandi quâdam formâ.

852. *Et limine in ipſo vaſta lamentatio.*

E veteri, *In limine ipſo* * *mæſta*. optimè. Mss. Par.

974. — *hominum nimium*
*Securus, ades non ſolicitus*
*Prodeſſe bonis, nocuiſſe malis?*

Opinor ſcribendum, *Securus audis*. Cur tu ô magne deus, inquit, cùm cetera mūdi cures & dirigas, culparis tamen & audis ſecurus hominum? Nam vetus & ſolita hæc deblacteratio in Deum.

1022. *Latuere nube numen Epidauri dei.*

Hoc perplexum vetus euoluet, è quo ſcribe: *Latuere rupes numen.* Illæ rupes, inquit, quas Æſculapius inſidet, latuêre præ alto hoc fluctu. Ab Euripide eſt, qui hac ipſa in re: Εκρυπτίδ' Ισθμὸν, καὶ πέτραν Ασκληπίου.

1045. *Longum rubenti ſpargitur ſucco latus.*

Veteri, *fucco*. ego, *fuco.*

1063. * *Toruuſq́ currus ante trepidantes ſtetit:* Mss. Et

Quis *Toruus? Moles?* Nam id præceſſit. Orbili, tuam fidem. Noſter, *Tor-* torua D'el-Rio,
*uaq́*: ad Grammaticam, non ad verſum. Lege, *Toruumq́.* Tauruſq́.

1128. *Admota ætheriis culmina ſedibus*
*Duros excipiunt Notos.*

Verſum imple è libro: *Euros excipiunt, excipiunt Notos.*

1176. *Animaq́ mèmet pariter & ſcelere exuam.*

Liber, *Animáque me fredam pariter*. Quid hoc monſtri? eruo, & ſcio ſcriptum fuiſſe *Animáque Fædram pariter.* Sanè hæc ſui compellatio haud paullo validior ad affectum.

1195. *Mucrone pectus impium iuſto patet.*

Poſſit videri illi ſimile, *Eſuriente leone ex ore exſculpere prædam.* & quæ talia. Tamen vereor vt verius ſit, *iuſto petem.*

1271. *En hæc ſuprema vota genitoris capeſ.*

Vetus, *Et hæc ſuprema* * *dona*. verè. Mss.

1275. *At vos per agros corporis partes vagas*
*Acquiritem.*

Idem, *Inquirite*. Aut hoc verum, aut magis *Anquirite*. Excipit nunc

## TROAS.

Verſ. 28. *Teſtor deorum numen, aduerſum mihi,*
*Patriæq́ cineres: téque rectorem Phrygum,*
*Tuoſq́ manes, quódque ſtetit ante Ilion.*

Hecubæ hæc atteſtatio eſt, quæ compellat deos, Priamum, Hectorem. ſed de iſto, verba in mendo: quod elues è libro noſtro, *Tuóſque manes quo*

ſtetit ſtante Ilion. Nam hoc illa & alij Hectori tribuerunt, Troiam in eo & cum eo vixiſſe. Bella hæc emendatio.

49. *Quod penitus actum, cùm recepiſſet libens,*
*Enſis ſenili tinctus è iugulo redit.*

Vana verba. Quid enim mirum, enſem ſanguineum extractum è vulnere? At contrà voluit. & meâ fide ſcribe, *Enſis ſenili intinctus.* quod interpretor, non tinctus. aut ſi diſplicet, voculam immiſce, *ſenili haud tinctus.* Sententia quidem palàm & mens Hecubæ hæc fuit: Priamum, cùm Pyrrhi gladium animosè recepiſſet, tamen emiſiſſe illum ſanguine vix tinctum. Nónne decorè hoc de ſene, qui frigidus & ἀναίματος? Nequid ambigas, ecce de eodem Priamo, idem Poëta in Agamemnone: *Vidi, vidi, ſenis in iugulo, Telum Pyrrhi vix exiguo Sanguine tingi.*

56. ——— *non tamen (ſuperi) ſat eſt,*
*Domum ecce Priami, nuribus & natis, legens*
*Sortitur vrna.*

Mss. Par. Baſ. Liber meus, * *ſuperis ſat eſt*: quod verius, & ſimplicius. Sequentia à me ſic concinno, *Domum ecce Priami è nuribus.*

87. ——— *veſte reuulsâ*
*Subſtringe ſinus.*

Mss. Ald. Par. Baſ. Lugd. Idem, * *veſte remiſſâ.*

161. *Felix quiſquis bello moriens,*
*Omnia ſecum conſumpta videt.*

Prefero ſcriptum, *conſumpta tulit.* Aufert videlicet omnia ſecum, qui poſt ſe nihil linquit.

172. ——— *terra mugitu fremens,*
*Concuſſa cæcos traxit ex imo ſonos.*

Quid? vt inſonuerit aut vocem emiſerit terra? nihil tale. Scribe cum libro, *ſinus*, non *ſonos*. Eſt hoc ipſum, quod mox dicit: *Tunc ſciſſa tellus aperit immenſos ſpecus.*

203. *Triton ab alto cecinit Hymenæum choro.*

A quo alto choro canit Triton? Miſſis nugis lege, *Tritonum ab alto cecinit Hymenæum chorus.* atque ita liber. Vult Tritones in mari, quia Achilles Thetidis filius, præcinuiſſe nuptiis eius & Polyxenæ.

228. ——— *Thracios nutrit greges,*

Scriptus, *mittit greges.*

240. *Iacuit peremptus Hector ante oculos patris,*
*Pariterque Memnon.*

Ort. Lugd. Quæ mala libido hæc ſubſtituendi, cùm in libris clarè eſſet, * *Patruíque Memnon?* Certè idem Priamus Hectori pater, & Memnoni patruus, per fratrem Tithonum.

244. *Didicítque Achilles & diis natos mori.*

Mſs. Par. Multò melius veriúſque noſter, * *& deâ.* Nam parente ſaltem deâ genitus Memnon, vti & Achilles.

256. *Quo plura poſſis, plura patienter feras.*
*Quid cæde dirâ nobilem clari ducis*
*Aſpergis vmbram.*

Hæc



Hæc parum inter ſe nexa, ſi legendo continues. Perſonis diuidere malim: PYR. *Quò plura p.p. p. feras.* AGA. *Quid cæde d.*

266. ——— *Troia nos tumidos facis*
*Nimium ac feroces.*

Imò verò, *timidos.* Vterque affectus ab illâ; Ferocia quia vicerant, Timor quia tam potens illa victa: exemplum ſcilicet, nihil eſſe res humanas.

279. ——— *affligi Phrygas*
*Vinciq; volui: ruere, & æquari ſolo*
*Etiam arguiſſem.*

Scribe, *arcuiſſem.*

397. *Arctoi Boreæ diſſipat impetus.*

Germana vox in veteri, *diſicit.*

476. ——— *ſed mei fati immemor,*
*Tam magna timeo vota.*

Sententia poſtulat, *fati memor.* Reuocat ſe à tam magnis & felicibus votis Andromacha: & ſcio, inquit, aliud eſſe fatum Troiæ & Tröum.

548. ——— *ſi tamen tecum exigas,*
*Veniam dabis, quòd bella poſt annos decem*
*Totidémque menſes, iam ſenex miles timet.*

Quid ais Vlyſſe? Bellúmne illud ad Troiam decem annorum & decem menſium? exacta putatio: ſed alibi nuſquam lecta, imò falſa. Nimis iuuat hîc liber, *bella poſt hiemes decem, Totidémq; meſſes.* Aureola correctio.

552. ——— *magna res Danaös mouet,*
*Futurus Hector. libera nos hoc metu.*

In meo, *libera Graios metu.*

596. *Immiti Vlyſſi gaudium ac Danais dabo.*
Eodem, *Inuita Vlyſſi.* benè.

605. *Vt luce caruit, inter extinctos iacet.*

Verſiculi huius corruptio, prioribus omnibus fraudi eſt; quos non eſt capere, niſi hoc correcto. Benè autem iuuat meus liber: *Vt luce caret, vt inter.* Nam hic ſermo & iuratio Andromaches. Ita, inquit, in patriâ moriar, ita terra meo Hectori leuis eſto: vt Aſtyanax quem quæris, lucem non videt, vt eſt inter functos. Et verè iurabat. nam recondebat eum ſepulchrum.

699. *Miſero datur, quodcumque fortunæ datur.*

Sententiam, vt ſic dicã, exſenſam reformo aptè: *Miſeræ datur quodcumq; fortunæ datur.* Verum, ait, illud beneficium eſt quod in miſeros confertur: cùm das, ſine ſpe recipiendi. Et ſanè alia dona, non dona ſed hami.

899. *Cùm dimicantes læta proſpiceres viros.*

Enorme & nimium hoc eſt, vt Helena cum gaudio aſpexerit pugnantes Paridem & Menelaum. Satis, ſi abſque acri dolore. Itaque aſſentire meo libro ſcribenti, * *lenta.* Ort.

924. *Ignoſce Paridi, iudicem * irritum puta,* * Mss. Ald.
*Habitura cauſſa eſt.* Baſ. Par. *iratum.*

Fabricius primus, opinor, *Irritum* iſtud ſubſtituit. vanè. In ſententiâ nihil vidit. Lux à codice: *iudicem iratum mea Habitura cauſſa eſt.* Dicit Helena:

Tu

Tu licet Parim excuſes. at mea cauſſa iudicem ſuum habet, & quidem iratum. quem? Menelaum, quem nempe læſi. In eius nunc ego arbitrio.

947. *Viden' animus ingens lætus vt audierit necem?*

Magis ex lege verſus, liber: *Vide vt animus ingens lætus audierit.* Nam in ſecundâ ſede, liberiorem interdum hunc noſtrum video: magis ſtrictum in quartâ.

1084. *Hunc pinus, illum laurus, hunc fagus tegit.*

Deſcribit concurſum illum vulgi, omnia, ad aſpectum Aſtyanactæi ſupplicij, occupantis. Sed huic menti magis faciet ſcriptura libri, *fagus gerit.* Vult alium in rupe ſtetiſſe, alium in pinu, lauru, fago.

1117. *—ſilicis incuſſu caput*
*Ruptum.*

Vetus, *ſilicis impulſu.*

1145. *Stupet omne vulgus, & ferè cuncti magis*
Ald.Lugd. **Perituram adulant.*

*Vt peritura laudant.* Hieronymus Alexander caput huius lectionis ſpecioſæ, ſed falſæ. Tu Georgi Fabrici, cur ſubſcriptor? Nihil tibi ego detractum eo: ſed profectò non laudatiſſima opera tua in hoc quidem Poëtâ. quem ſæpiùs cura tibi innouandi fuit, quàm in veteri nitore cōſeruandi. Libri priſci, etiam Ort. meus, * *Perituram laudant.* quod verſus ſpernit: ſed *Peritura* lege, & rem habes. Per γνώμην adiunctam narrat & effert. Omne vulgus attonitum ſtetit in formâ Caſſandræ: & eò magis, quòd inſitus nobis mos laudandi peritura. Nihil verius. vel loca ſuppliciorum noſtrorum adi. Itaque velut parentheſi quâdam hæc legenda.

1149. *--- omnium mentes tremunt,*
*Miſerentur ac mirantur.*

Suauius, quod in libro: *Mirantur ac miſerantur.* Abeo

## AD AGAMEMNONEM.

Verſ. 15. *Vbi ille celeri corpus euinctus rotæ.*

Malim, *inuinctus.*

35. *Auo nepotem (prô nefas) patri virum,*
*Natis nepotes miſcui.*

Ald. Lugd. Veteri, * *Auo parentem.* Quæ intemperies mutantium? Hiſtoria ſiue fabula ita depoſtulat. Nam Thyeſtes hæc enunciat, qui Ægiſtho pater idem & auus. Ille, quia genuit: iſte, quia ex filiâ.

37. *Sed ſera tandem reſpicit feſſos malis*
*Poſt fata demum ſortis inceſtæ fides.*

Lege, *Poſt facta.* itemq; *incertæ*: hac mente. Oraculum hæc ſcelera elocutum nobis; ſed incredulis, donec fides incertæ dictioni ab euentis.

52. *An deceat hoc te reſpice: at matrem decet.*

Ort. Lugd. Diſtinguo & ſcribo, *An deceat hoc te?* * *reſpice ad matrem: decet.* Ambigis, ô Ægiſthe, inquit, an ſcelus te deceat? matrem cogita, & quomodo natus ſis: decet. Scelere conceptus, quid edas niſi ſcelus?

*Quæq;*



84. *Quæq; ſuperbos vrit Erinnys,*
*Tumidas ſemper comitata domos.*

Vetus, *Nimias ſemper.*

104. *Felix, mediæ quiſquis turbæ*
*Parte quietus.*

Is ipſe, *Sorte quietus.*

130. *Proin quid eſt? da tempus ac ſpatium tibi.*

Muto, *Proin quidquid eſt, da tēpus.* ſic, vt prima vox exaudiatur vniſillaba.

147. *Cui vltima eſt fortuna, quid dubium timet?*

Litterulâ mutatâ illuſtro, *dubiam.* Qui in extremâ ſorte, media non timet. nihil euenire peius poteſt.

208. *Hunc fraude nunc conaris inſanâ aggredi.*

Noſter, *conaris & furto aggredi.* verè & eleganter. Furta enim, de fallaci quouis & inſidianti facto, Latinis dicta.

235. *Tu nos pericli ſocia, tu Ledâ ſata*
*Comitare: tantum ſanguinem reddet tibi*
*Ignauus iſte ductor.*

Cæci hic interpretes. nos diſtinctiunculâ expedimus: *Comitare tantum. ſanguinem r. tibi.* Ait Ægiſthus: At tu, ô Clytæmneſtra, non ducem te diſcrimini præbe, ſed ſociam tantùm: faxo vt Agamemnon hic tuus breui nobis det cruorem. Altero abhinc verſu ſcribito, *——vultus languido obtutu ſtupet.*

254. *Effuſa circum pellicum quanto venit*
*Turba apparatu? ſola ſed longè eminet*
*Tenétque regem famula veridici dei.*

Primum velim, *Affuſa.* deinde eſt in libro, *turbâ ſed longè eminet:* amœnè, niſi damnet verſus. Scribas ex eodem, *Tenétque regnum.*

316. *——tu quoque noſtros*
*Thebana manus comitare choros.*

Nónne magis γνήσιον, *Thebäis hoſpes comitare?* Ita meus liber: & ſcio mutatum imperitis.

334. *—— cùm Titanas*
*Fulmine miſſo fregere dei.*

Noſter: *Fulmine victos videre dei.*

427. *Aurata primas prora ſignauit vias.*

Liber, *prora deſignat.*

468. *Cùm Luna ſubitò conditur, ſtellæ cadunt.*

Idem, *ſtellæ latent.* quod verius. & ſequenti verſu, * *tollitur, cælum perit,* Ort, Ald. ſine copulâ.

478. *Libycusq; arenas auſter, ac Syrtes agit.*

Idem, *ad Syrtes.* ſuo, & bono ſenſu.

504. *Sed trunca toto puppis Ionio natat.*

In noſtro, * *ſed fracta toto.* Ald. Lugd.

514. *Vehit iſta Danaos claſſis & Troäs ſimul.*

Eodem eſt, *& Troäs vehit:* iteratione eiuſdem verbi hîc appoſitâ.

 *—tan-*

548. —— *tandem horream*
*Aliena inerti tela mitti dexterâ?*

Meus habet, *tene horream.* Muto faciem orationis, & ſcribo: *téne horream? Aliena inerti tela mittis dexterâ.* Ad Palladem auertit Aiax. & ego te, inquit, timeam? quæ nec tuum quidem telum in me torques. Nam Iouis hoc eſt fulmen.

573. —— *iam timent terram rates,*
*Voluúntq; maria: cedit in luctum furor.*

Ort. Liber: *Malúntque maria,* cecidit in lucem furor.* Prius verum & clarum. alterius ſententia hæc, Sub lucem demum deſiſſe, vt ſolet, tempeſtatem.

621. —— *reſtitit annis*
*Troia bis quinis,*
*Vnius noctis peritura fato.*

Idem, *peritura furto.* quæ notio verbi ſuprà mihi notata.

625. *Fatale munus Danaûm traximus noſtrâ*
*Creduli dextrâ.*

Ort. Ald. Lugd. Euariat codex: * *Danaûmque fatale munus duximus noſtrâ.*

671. *Non quæ tectis Biſtonis ales*
*Reſidens ſiluis, impia diri*
*Furta mariti garrula deflet.*

Hirundinem intellegi clarum eſt. ſed eáne in ſiluis? imò domuum aſſidua cultrix. Benè igitur liber: *Reſidens ſummis*: & mox, *garrula narrat.*

685. *Triſtis lacerat brachia tecum,*
*Quæ turrita turba parenti*
*Pectore rauco concita, buxum*
*Ferit, vt Phrygium lugeat Atym.*

Scio de Tibiâ hæc accipi poſſe, quæ Gallorum propria, & ſæpe ex buxo. Tamen liber occultiorem ritum præit, dum ſcribit: *Pectora rauco concita buxo Ferit.* Fanatici enim iſti in ſimulato hoc luctu pectora ſibi tundere ſoliti, pinu, aut buxo. Claudianus,

*Cymbala ferre licet, pectúſque illidere pinu.*

Lampridius in Commodo: *Iſiacos verè pineis vſque ad perniciem pectus tundere cogebat.* Statius lib. x.

—— *quatit ille ſacras in pectora pinus,*
*Sanguineóſque rotat crines.*

760. *Ardéntque pallentes genæ.*

Veteri, *Turgéntque.*

778. *Coniuxque pariter obuios illi tulit*
*Greſſus.*

Placet magis ſcriptum: *Et feſta coniux obuios.* Vult eam læto habitu obuiam iſſe marito.

817. —— *candida Phœbe.*

Liber, *pallida.*

914. *Quos anime demens refugis? externos fugis?*
*Domus timenda eſt.*

Electræ



Electræ ad fratrem verba ſunt, quem domo amolitur: haud paullò tamen meliùs concepta in noſtro: *Quid anime demẽs refugis externos metus?*

937. *Et iſta demum palma Piſæi Iouis*
*Velamen eadem præſtet.*

Liber: *Et iſta donũ.* veriſſimè. Palmã ſignificat ſibi datam præmium ludis.

961. El. *Nobis? quis iſte eſt alter Agamemnon tuus?*

Idem, *Vobis?*

963. *Regina frangam.* El. *mitius interea mihi*
*Tu vidua loquere, vir caret vitâ tuus.*

* Liber hîc contractior, & neſcit alterum totum verſum. Sic ille continuat & legit: El. *Citius intereà mihi Ediſſere vbi ſit gnatus.* Sanè vulgata illa, quæſita & frigidula: vt multa in hoc Colloquio. Ort.

1006. *Vt paria fata Troïcis tulerit malis.*

Liber melius, *lueret malis.* Supereſt mihi vltimus labor

## OCTAVIA.

verſ. 41. *En qui ora Tanais primus impoſuit iugo.*

Legebamus, *Tameſis.* Criticus diuinus, *Britannis.*

47. —— *nec graues luctus valet*
*Irâ coacta tegere crudelis viri.*
*Secreta refugit ſemper.*

Diſtingue: *Irâ coacta tegere. crudelis viri Secreta refugit ſemper.* Id eſt, Auerſa à viro ſpernit & fugit cum eo eſſe ſola: quod amant tamen nuptæ.

100. *Toleranda quamuis patiar: haud vnquam queant*
*Niſi morte triſti noſtra finiri mala.*

Ineptè. Exaggerare mala ſua vult Octauia: hic ſermo attenuat. Scribo, *Toleranda quæuis:* hac mente. Vis coërceri à me animum & linguam Nutrix? poſſim, ſi modò ea feram, quæ alius ferat. At noſtra mala intoleranda, & quæ finiat ſola illa omnium finis.

114. *Et morte gaudet auctor infandæ necis.*

Malim *Et ſorte.* vt partem ſortemq; Britannici dicat abiſſe ad paricidam.

134. *Emergere vndis, & fer auxilium tuæ.*

Credam purius (etſi quàm multa hic impura?) *Emerge te vndis.*

149. —— *Criminis factus reus.*

Emendaui alibi, *ficti reus.* adiuuat nunc liber, in quo, * *facti.* Ort.

207. *Aureus idem fulſit in imbri*

De Ioue, qui liquidus ob Danaëm. Aptius ergo liber: * *fluxit.* Ort.

248. *Vtinam ſuorum facinorum pœnas luat*
*Nero:* ipſe diuo Domitio genitus patre,* Ort. inſidiuo.
*Orbis tyrannus.*

Bellè. laudatum ſcilicet ire vult Neronis patrem & ſtirpem? imò depreſſum. Atqui & Diuum Domitium facit, falsò. Liber meus, *Nero niſi duo.* Nos optimè: *Nero inſitiuus, Domitio g.p.* Hoc ei obiicit. nec ex ſtirpe quidem Cæſareâ eſſe, ſed fraude muliebri inſiticium, cùm verus ei pater Domitius.

DD 2 —— pro-

269. ——*prodidit lapſam domum.*

Scribe cum libro, *perdidit.*

458. N E. *Deſpectus enſis faciat.* S E. *hoc abſit nefas.*

Minatur Nero facturum ſe, vt ſcita ſua & iuſſa non populi conſenſus firmet, ſed enſis. Sed diſplicet adiuncta vox Enſi: & ſcribam, *Detectus enſis* ſiue *conſpectus.* Nam in vrbe & togâ, gladij tecti ac conditi.

482. *Inuidia triſtis victa conſenſu pio*
*Ceßit Senatus, Equitis accenſus fauor,*
*Plebisq́; votum eſt, atque iudicium patrum.*
*Tu pacis auctor, generis humani arbiter.*

Confuſa hæc ſic digeras licet:

——*conſenſu pio*
*Ceßit: Senatus, Equitis, accenſus fauor:*
*Plebisq́; votis atque iudicio patrum*
*Tu pacis auctor.*

Quod ſcripſi, *votis*: à libro eſt. in aliis nos adminiculati.

569. *Vix ſuſtinere poſſet hos thalamos deus*
*Videre, populi ſancta nec pietas ſinat.*

Mss. Ald. Par. Lugd. Baſ. Lectionem veterem recipe: * *dolor videre populi, ſancta nec.*

579. S E. *Negare durum eſt.* N E. *Principem cogi nefas.*

Imò, *Necare.* Id enim minatur Nero anteriore verſu, ferro ſe expreſ- Ort. ſurum, quod precibus nequiret. Statim * *Remittat ipſe,* non *Permittat,* eſt in libro.

657. *Socerum diri miſeranda viri*
*Potes hæc demens ſperare memor?*
*Hos ad thalamos ſeruata diu*
*Victima tandem funeſta cades?*

Altero verſu omnino legendum, *Potes, heu, demens*: & interrogatoriæ notæ delendę. Quem tamen Socerum intellegit? Si rectum eſt, cenſeam Appium Silanum: qui pater L. Iunij Silani, deſponſi Octauiæ. Et hic enim, & ille, interempti. Octauiæ igitur vaticinantur eundem exitum. Sed profectò neſcio an eligam. *Sociam diri.* hoc ſenſu. Sperare ô demens potes ſociam te futurã Iunij Silani tui viri; & quidem mactandam (quod olim illi factum) ipſo die nouarum nuptiarum.

682. *Affigat humo violenta manus*
*Similes nimium vultus dominæ.*

Scribo, *Affligat.*

722. *Diducta ſubitò patuit ingenti mihi*
*Tellus hiatu lata, quò præceps toros*
*Cerno iugales.*

Diſtinguo, *Tellus hiatu: lata quò præceps.* illuc delata præceps.

729. *Irrupit intra tecta tum trepidus mea*
*Enſemq́; iugulo condidit ſæuum Nero.*

Malo, *trepidus meus.* de Nerone.

749. *Iugulo quòd enſem condidit Princeps tuus.*

Malo, *Princeps tuo.*

*Quæ-*



791. *Quæcumque claro marmore effigies ſtetit,*
*Aut ara fulgens, ora Poppææ gerens.*

Non negitem Aras etiam poſitas Poppææ: ſed nunquid illæ os eius gerebant, quod poëta addit? haud putem. Coniecturam noſtram, credo, approbes: *Aut ære fulgens.* Quæcumque ſtatua, inquit, aut è marmore illi facta, aut ex ære, corruit.

794. ——*membra per partes trahunt,*
*Diducta laqueis.*

Non *Diducta,* ſed* *Deducta.* Nam is mos vt reſtem laqueoſq; ſtatuis al- Ort. tioribus iniicerent & detraherent. Satyricus: ——*deſcendunt ſtatuæ, reſtemq́; ſequuntur.* Nota.

796. ——*verba conueniunt feris*
*Immiſta factis quæ timor recipit meus.*
*Sepire flammis Principis ſedem parant.*

Diffindere hæc non dubitem, & perſonam indere, ſic:

*Immiſta factis.* C H O. *quæ timor recipit meus.*
N V N. *Sepire flammis.*

Interloquitur ad hæc noua & inopinata Chorus. & quid timidus, inquit, audio?

808. *Læſi triſtes dabitis pœnas*
*Sanguine veſtro.*

Conuenientiùs ſcribas, *Læui triſtes.* O læui & malè prouidi Quirites, luetis & eluetis ſanguine veſtro hæc facta.

850. *Abſtrahere noſtris coniugem caram thoris.*

Liber, *coniugem tantam.* probo.

858. ——P R. *éſtne qui ſontem arguat?*
N E. *Populi furor.* P R. *Quis regere dementes valet?*
N E. *Quis concitare potuit?* P R. *haud quemquam reor.*
N E. *Mulier, dedit &c.*

Omnia hæc, quia ſubtiliora, confuſa, corrupta. Primùm lege, *Qui concitare potuit.* Deinde: P R. *Haudquaquam reor, Mulier.* hac ſententiâ. Quid admiſit Octauia? Populus ob eam inſaniuit. Quis populum poſſit regere? illa ipſa, quæ concitare. At non puto in fæminam id cadere: cui animus quidem nocendi, non tamen vires. Lentè examina mi Raphelengi: probabis.

869. *Vel pœna quæ tam ſera damnatam premit.*

Etiam hîc hærebis, ſine manu emendatrice. Nos putamus ad Neronem hæc referenda, ſic:

N E R. *Vel pœna. quæ tam ſera.*

Reſponſio, quæ pendet à Præfecti verbis vltimis. Dixerat ille, Timore fæminas frangi, pronas alioqui ad malum. Imò pœna eam premet potiùs, ait Nero: iuſta, etſi ſera.

892. ——*flentem, miſeram*
*Cernere poßis.*

Liber, * *poſſunt.* aptè ad priora.

 *Vrbe* Ms.

977. *Vrbe eſt noſtra mitior Aulis,*
*Et Maurorum Barbara tellus.*

Scio Pœnos liberos Saturno immolaſſe, atque ita humanas hoſtias feciſſe. Nec tamen id factum hîc tangitur. addit enim, *Hoſpitis illîc cæde litatur.* At nuſquam lectum de hoſpitibus in Mauritaniâ ſiue Africâ vulgò quidem immolatis. Fidenter reſcribo, *Et Taurorum.* Ad Tauros Scythiæ populos, & in iis Dianæ inhoſpitam aram alluſum; quæ tibi nota.

HABES, *mi Raphelengi, quæ inter legendum, vt ſit, ad oras notaueram mei libri: ſed notaueram mihi. Nam deſcribere hæc aut digerere in alienum vſum, nec cogitaui vnquam* ἐν ὀνείροις. *Tu tamen impuliſti & impetraſti. cui ſi hæc ad Editionem quam paras aliquid ſeruient (quod ſpero, imò confido:) ſcopum meum attigi, nec profectò* ἅλιον βέλος ἔκφυγε χειρός. *Vale. Scripſi Lugduni in Batauis, Nonis Octob.* CIↃ. IↃ. LXXXVII.

M. TVLLII

# CICERONIS CONSOLATIO.

*Liber, quo ſeipſum de filiæ morte conſolatus eſt. Nunc primùm repertus, & in lucem editus.*

De quo iudicium IVSTI LIPSI ſubiunctum.

## AD LECTOREM.

*SIT, quem quiſque volet, magni Ciceronis imago:*
*Nec Cicero, viuo nec Cicerone fuit.*
*Quiſquis at ille fuit, bellè declamat & aptè*
*De miſeris hominum caſibus atque malis.*
*Qualis & eſt Senecæ, quæ Controuerſia fertur:*
*Nomine quámque pari Quintilianus habet.*
*Tu tamen hinc gratos, Lector bone, collige fructus,*
*Quid ſit homo ſpeculo dum docet ille ſuo.*
*Quid refert vetus an noua ſit medicina ſalubris,*
*Æger ab hac medicâ dum releuetur ope?*
*Magna ſed interea debetur gratia vobis,*
*In lucem per quos iſte libellus iit.*
*Faïe te Regis Procurator cate, Præſes*
*Te Leo, teque praees qui Gilo Conſiliis.*
*Per vos tres liber hic redit in noua ſecla ſuperſtes:*
*Veſtráque fama per hunc vſque perennis erit.*

Io. Auratus Poëta Regius.



# M. TVLLII CICERONIS CONSOLATIO.

QVANQVAM recentibus morbis medicinam adhibere vetant ſapientes, nihilque aduerſi hominibus accidere ſolet in vita, quod aut improuiſum, aut inexpectatum videatur, conemur tamen, ſi qua ratione poſſumus, mederi nobiſmetipſis, & domeſticæ ſubuenire calamitati Si enim quoties vſuuenit, conſuluimus ceteris, cur non aliquando nobis ipſis? &, ſi mala, quæ nec vitari, nec auerti humanis viribus poſſunt, pertulimus toleranter, cur non ea, ſi poſſumus, ratione leuiora faciamus? præſertim cùm ad ægritudines, & moleſtias depellendas eò acrius incumbere homines debeant, quò melius eſt, ſine cura viuere, quàm curis, & angoribus oppreſſum, ac circumuentum, humanam conditionem ſatis per ſe miſeram, aliis etiam incommodis efficere miſeriorem. quid porrò præſtantius, quid vtilius eſt, quàm cùm corpore valeas, curare, vt etiam animo valere poſſis? ſiquidem corpus animi gubernaculo, animus autem miniſterio corporis indiget. at neque animus æger bene gubernabit, nec affectum corpus animi rectè parebit imperio. Quamobrem prudenter à doctis & ſapientibus viris & cogitatum, & factum eſt, qui de luctu minuendo ante nos ſcripſerunt, quorum extant ſatis multa, ſanè ſapienter litteris mandata, imprimiſque à Theophraſto, Xenocrate, & Crantore, quorum libros cùm ſæpe animi cauſſa ſumpſerimus in manus, admirati eorum ſaluberrimis præceptis refertam, & conditam eloquentiam, tum proximè legimus neceſſariò: caſus enim ereptæ nobis filiæ, quam in oculis ferebamus, eximiis & virtutis, & prudentię laudibus pręſtantem, ita nos vel perculit, vel afflixit, vt ab iis opem ad leniendum & mitigandum dolorem petere coacti ſimus, quorum maximè doctrina, atque auctoritate antea mouebamur. Itaque multa, quæ ab illis vel acutè cogitata, vel eleganter enuntiata ſunt, ad dolorem noſtrum abſtergendum colligemus, vt, ſi minus ceteros in tanto mœrore delectare poterimus, quod aliàs & dicendo, & ſcribendo efficere conati ſumus, & fortaſſe interdum præſtitimus, ſaltem nobis ipſis medeamur. Sed nos etiam in hoc fortiores erimus, quàm ceteri: quibus difficile non fuit, cùm doloris expertes ipſi eſſent, alios conſolari, & à mœrore abducere: nos autem dolore afflicti, conſolationem à nobis petentes, noſmetipſos in dolore vincemus, ac naturæ quandam quaſi vim afferemus. quæ vtinam tanti ſit, vt cæteros quoque in pari fortuna doceat aduerſos caſus patienter ferre: qui quò ſæpius contingunt, eò propiores hominibus putandi ſunt, quaſique in ipſa humana natura innati atque inſiti, ideoque leuiùs ferendi. qui enim hominem ſe eſſe agnoſcit, hominiſque

nomen ſibi vindicat, cur ea, quæ hominis maximè propria ſunt, recuſare, ac reiicere audeat? quod ſimul vt feciſſet, & imprudens, & iniuſtus meritò haberetur. atque hic locus à Theophraſto egregiè tractatus, & perpolitus eſt: itemque à Xenocrate, quorum vterque eos, qui communes caſus recuſant, imprudentiæ, atque iniuſtitiæ condemnat, alter etiam diis ipſis aduerſos non dubitat appellare, quod etiam grauius crimen eſt, ac vix in homine tolerabile. qui, cùm omnia Diis immortalibus accepta referre debeat, quorum ope viuit, intelligit, agit, ſi eorum voluntati repugnet, cum Diis, gigantum more, bellare videbitur. hæc autem peritè, vt dixi, à multis tractata ſunt: ſed ego Crantorem ſequor, cuius legi breuem illum quidem, ſed verè aureum, &, vt Panætio placuit, ad verbum ediſcendum de luctu librum, quo acutè vniuerſam doloris medicinam complexus eſt, ſed humanæ naturæ incommoda ita diligenter & accuratè expreſſit, vt quaſi luendorum ſcelerum cauſſa naſci homines, & in hanc lucem ingredi, poſſis agnoſcere. Fac enim naſci hominem, & in lucem edi. continuò ſenties, non rerum humanarum dominum, & gubernatorem exortum, ſed verius miſeriarum ſeruum, atque incommodorum. nam infantiam & pueritiam vagitus, lacrymæ, imbecillitas, nullus nec rationis, nec corporis vſus, dolores, moleſtiæque quamplurimæ amplectuntur. Adoleſcentiam ardor quidam excipit ætatis, nec prudentiæ, nec iudicij compos, rerum vtilium, ac laudabilium contemptio, voluptatis, & ſæpe turpitudinis appetitio, veri boni ignoratio, in pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia. ex his conuentiones, rixæ, contumeliæ, aſſiduus deniq; moleſtiarum concurſus exiſtit: ex rebus honeſtis contemptis infelicitas, & infamia, ex turpibus curioſè arreptis, & conquiſitis luctus, morbi, perpetuum denique ſui ipſius odium, ex cognita rerum turpium mercede conflatum. Adde inſanas pecuniarum largitiones, nullam futuri temporis curam, non inopiæ, non liberorum, non vxoris, non poſterorum, non familiæ. quæ ſiquis ætatis potius vitia, quàm naturæ miſerias, velit appellare, quamquam nominis quæſtionem inducat, non tamen ipſas ab homine miſerias, atque incommoda remouebit. Nec verò audiendus erit, qui hæc ab humanæ naturæ miſeriis ſeparanda putet, quòd non in natura inſita ſint, ſed vnius vel aliquorum hominum errores videantur, totius autem naturæ illa eſſe affirmet, quæ nullo à prorſus homine ſeiungi poſſint. quaſi verò humanum non ſit iraſci, quòd multi non iraſcantur, aut non humanum loqui, & ſocietatem coire, quòd multi reperiantur, qui nihil difficilius faciant, quàm cum hominibus congredi, aut ſermonem cum aliquo conferre. verè autem humanæ miſeriæ ſunt, quòd & ſi non omnes in vno, certè omnes in omnibus, & aliqua in multis, & multæ ſæpe in vno agnoſcuntur. Iam, conſtantis ætatis quot quantæque miſeriæ ſint, non difficile eſt intelligere, at difficillimum enumerare. hæc enim ex omnibus hominis ætatibus in perturbationes animi, in pericula capitis, famæ, fortunarum vna maximè incurrit. ſicut enim ceterarum omnium ætatum, ad res negotiaque tum priuata, tum publica peragenda aptiſſima eſt, maximeque idonea, ita etiam vna præ ceteris



teris omnibus, difficultatum, miſeriarumque omnium, quæ ex publica, priuataque adminiſtratione oriuntur, particeps, & ſocia eſt. hæc priuata amicorum negotia procurat, hæc publica ſuſtinet munera: hæc gloriam, & commodum ex rebus feliciter euenientibus, hæc ærumnas, & moleſtias ex aduerſis experitur, huic bonorum ciuium propugnatio, huic malorum accuſatio propoſita eſt, huic inuidia, & æmulatio à bonis imminent, à malis pericula & inſidiæ intenduntur: ætas numquam ſibiipſi non infeſta, numquam pacata, ſemper laborioſa, ſemper anxia, & ſollicita. quæ ſi non aliquos interdum vel vtilitatis, vel voluptatis fructus ex aſſiduo labore perciperet, ſeipſam profectò regere, ac tueri non poſſet. Sed miſeriarum numerus multo maior eſt, magnitudo autem tanta, vt neminem à publicis procurationibus non auertere, ac deterrere poſſit. Illuſtre præbuit exemplum vniuerſæ ciuitati calamitas noſtra, quam ex parta ciuium ſalute, ex defenſis aris, ac focis, ex proditoribus à Reipublicæ ac Populi Romani ceruicibus depulſis contraximus. Sed noſtra fuerit ærumna. ciuibus contigerit ſalus & quies, quam etiam vita ipſa profundenda, ſi opus fuiſſet, libentiſſimè redemiſſemus. Nihil neceſſe eſt mihi de me ipſo prædicare. ſed tamen veriſſimè affirmare poſſum, eos demum annos me verè vixiſſe, quos in præclaro aliquo patriæ vel commodo, vel ornamento conſumpſi. ac ſi longius mihi vitam producere liceret, non me alia cauſſa ad diutius viuendum, quàm publicæ vtilitatis ſtudium curaque adduceret: quæ vna cogitatio in homine glorioſa, & laudabilis eſt maximè. Nunc quæ extrema de ætatibus ſupereſt, quid ego de ſenectutis incommodis, ac miſeriis loquar? quas plurimas eſſe, & grauiſſimas, & nomen ipſum, languoris calamitatiſque pleniſſimum, indicat, & adſpectus ipſe ſenum hominum patefacit. quid eſt enim aliud ſenem videre trementem, incuruum, canum, inbecillum, infirmum, quàm cernere morientem viuum, aut viuentem mortuum? Ac, ſi nonnullis viſum eſt, magnam eſſe ſenilis ætatis cõſolationem, prudentiam, vſu rerum quæſitam, quæ illius ætatis propria eſt, eoſdem illos fateri oportet, ex eo ipſo fonte manare etiam ad ſenes non minimum doloris, atque moleſtiæ. qui enim ſe prudentem, rerumque agendarum peritum agnoſcit, cur non doleat, quæ optimè intelligit, præ ætatis vitio optimè etiam perficere non poſſe, &, ſi patriam diligit, cur non angatur, quòd, quam conſilio iuuat, opera etiam iuuare non poſſit? eoque maior prudentium dolor eſt, quòd optimorum conſiliorum fructum nulla alia ratione percipi poſſe, quàm ſi optimè ad exitum perducantur, intelligunt. quòd, niſi vir optimus patriæque amantiſſimus ad agendum accedat, prorſus inania ſint futura.

De ætatibus ſatis mihi videor dixiſſe. quid iam de generibus hominum loquar, aut nunquid principes viros, & medios, & infimos æquè miſeros eſſe negare poſſum? Reges ipſi quàm miſeri ſint, quantoque opere ſollicitudini, timori, atque inſidiis propoſiti, ſatis oſtendit Dionyſius, cùm imminente capiti gladio Damoclem fortunæ ſuæ felicitatem voluit experiri. nec mirum, cùm iis bellorum calamitates, agrorum vaſtationes, populorum cædes, vrbium exitia immineant. quæ cùm eueniunt,

niunt, qui victoria potitur, aliquid & ad gloriam, & ad imperium ſemper acquirit, ſed tanta præterea rerum amiſſio, tantuſque ſumptus conſequitur, vt magni conſtet victoria, ac plerumque præſtiterit, numquam arma ſumpſiſſe. ſin profligatio exercitus, aut clades aliqua contingit, nihil eo ſtatu miſerius ne cogitari quidem poteſt, ſiquidem captiuitati, inopiæ, luctui, contemptui coniunctus eſt. Sed fac Regem eſſe à bellorum impetu, & à caſtrorum puluere remotum: ſua pacatè poſſidentem, nulla hoſtium incurſione vexatum. num iccirco tutior, & à miſeriis ſecurior? quin immo, vt otium humana natura non fert, ipſe ſibi moleſtiam, ac ſollicitudinem exhibebit. nam aut de augendis vectigalibus, aut de producendis finibus, deque vrbibus ad imperium acquirendis, aut de iungendis cum potentioribus propinquitatibus, atque amicitiis cogitabit. quæ qui animo agitat, nec à moleſtia liber eſt, nec alios ſecuros, ac quietos eſſe ſinit. De Auaritia verò, maxima animorum peſte, nolim hoc loco pluribus diſputare: quæ in deſide, atque otioſa mente quàm maximè exoritur. eáque erectiores animos, & altiores dignitatis gradus maximè ſollicitat.

Huic generi infimum hominum genus opponitur: quod, vt nomine abiectiſſimum, ſic re quoque omnibus calamitatibus, atque angoribus eſt propoſitum. Huic inopia, fames, contumelia, iniuriæ, tributorum ſolutio, militiæ incommoda, miſera denique omnia perferenda ſunt: eoq; miſerius eſt, quòd ceteris omnibus, cùm aduerſa fortuna premuntur, permulta tamen ſuppetunt, è quibus conſolationem, doloriſq; leuationem petunt. at infimam plebem natura ipſa fatali quadam neceſſitate tam abiecto, tamque imo loco collocauit, vt omnibus ærumnis ſubiecta, nulla propemodum ratione erigi, aut ſubleuari poſſit. Ne mediocris quidem hominum conditio miſeriarum expers eſſe cognoſcitur. nam inter ſummum, & infimum interiecta, alteri paret, alterum patitur. cui ſi imperare poſſet, certè longius à miſeria diſtaret. Sed quia neque dignitate præſtat, nec ſummos viribus adæquat, ſuo ſtatu contenta eſſe cogitur. Itaque multis in ciuitate perfungitur incommodis, non illis quidem parum Reipublicæ fructuoſis, aut valde ad ferendum grauibus, atque aſperis, ſed quæ tamen animum ſollicitent, & humanas miſerias augeant. Hæc longiori oratione perſequi, non eſt præſentis inſtituti, ante oculos omnia ſunt, & nobis præcipuè re ipſa perſpecta & cognita. Nec vero alia eſt fœminarum conditio. aut enim iiſdem, aut parum certè diuerſis & moleſtiis, & angoribus vexantur. nam & iiſdem morbis, quibus viri animi perturbationibus mentiſque erroribus obiiciuntur. eoque miſerior illarum ſtatus eſt, quo mollior natura & ad propulſanda incommoda, calamitateſque perferendas infirmior. eaſdem, quas viri, ex parentum, fratrum, ſororum, affinium interitu moleſtias, & dolores hauriunt: maritos ſæpe fatuos, parum de re domeſtica ſollicitos, pecuniam profundentes nanciſcuntur. ex quo paupertas, & luctus, quibus malis eo premuntur grauius, quòd non, vt homines, indagare poſſunt, qua maximè ratione medeantur incommodis, rebuſque ſuis conſulant.





Quantum Tullia mea ex patris exilio doloris, quantum ex maritorum ærumnis, & difficultatibus luctus, moleſtiæque percepit? & quamuis optanda etiam minimè pauca in vita viderit: malorum tamen paucorum ſenſus, vel doctiſſimis hominibus iudicantibus, ita acerbus eſt, vt bonis vel plurimis, & maximis æquetur, interdum etiam præferatur. Permulta præterea in hoc genere ſunt, quæ reticere præſtat, quàm edere. ſed magna certè, vel hoc vno nomine, fœminarum miſeria eſt, quòd quamdiu viuunt, parere ſemper coguntur. aut enim innuptæ parentibus, & affinibus, aut nuptæ maritis parent, & ſeruiunt. ſic, quo minus liberæ, eo magis miſeræ, nec vnquam liberæ, niſi è vita profectæ. ergo mortuæ beatæ cenſendæ erunt. nec ſanè video, quid aptius dici poſſit. Sed, vt ad nos ipſos redeamus: cui vxor contigit, is, præter communes omnium calamitates præcipuo etiam miſeriæ genere premitur, quòd non ſolum ſuis, ſed etiam domeſticis vxoris, & familiæ moleſtiis, curiſq; vexatur. neque enim ab ea, qui cum arctiſſimo matrimonij vinculo conglutinatus eſt, aut mente, aut cogitatione ſeiunctus eſſe poteſt. Itaque tot vexatus calamitatibus, tantiſque miſeriis circumcluſus hominis animus, quid egregium, aut eximium ſuſcipere, aut cogitare poteſt? mirum, ni ſeſe abiiciat, ac veluti deſperatione perculſus humi iaceat. Redeo igitur ad illud, quod initio dixi, neminem eſſe, qui ſpiritum ducat, non miſerum, neminem verè felicem. parumque ſapiunt ij, qui hominem luendorum ſcelerum cauſſa natum, felicem, aut beatum audent nominare. noſtra enim, quæ dicitur vita, mors eſt, nec vnquam viuit animus, niſi compage ſolutus corporis, liber æternitate potiatur. itaque mortem in beneficij loco tributam à Diis immortalibus, iis, quos maximè dilexerunt, traditum eſt: vt, cùm, Herodoto auctore, Argia ſacerdos, quod optimum filiis eſſet, à Dea precata, eos reperit mortuos. mortem autem, tanquã optimam, illis eſſe conceſſam, credamus ſanè Apollini Delphico, qui exoratus à Trophonio, & Agamede, à quibus templum magnificè Apollini exædificatum Delphis erat, vt, quod eſſet optimum homini, tribueret, poſt diem tertium exanimes ſunt inuenti. quo munere iudicauit Deus, & Deus is, cui diuinationis partes à reliquis Diis ſunt relictę, mortem homini omnium rerum eſſe optimam. itaque excutiatur iam, & euellatur funditus falſa illa multorum opinio, malam eſſe mortem: quandoquidem, vel Deorum iudicio, non modò mala non eſt, ſed omnium rerum optima, & omnium munerum, quæ humano generi dari poſſunt, præſtantiſſima. pręclarè. nam & miſeriarum omniũ, quas viuentes pertulimus, finis eſt in morte, & vitatio futurarum, in quas progredientes in vita incurrunt. docemur enim exemplis è propagatione vitæ permultos optimos, & fortiſſimos ciues incredibiles hauſiſſe calamitates. immerentes dixerit aliquis: ergo non ſunt in miſeriis ponendæ. nihil enim miſerum, quod non culpa contractum. de hoc aliàs viderimus: ſed calamitates certè fuerunt: quarum etiam vnica cogitatio, quæ præteruolat, & effugit, non modò ſenſus, qui corpori firmius inhæret, acerbitatis habet plurimum. ex quo verè colligi poteſt, ſapienter feciſſe Thraces, qui, ſi Herodoto credimus, naſcentibus liberis lugere, morientibus

lætari ſolebant. exitum videlicet vitæ, vt miſeriarum finem, & quietis portum, probabant: vitæ initium, vt ingreſſum ad moleſtias & dolores inuiti videbant. Si ergo naſcimur miſeri, morimur beati: quis in hanc lucem edi velit, vt miſeriis opprimatur? quis non potius mori, vt beatam vitam acquirat? &, ſi hoc nobismetipſi, vt optimum, vellemus: cur liberis, & affinibus, diuerſum? an melius nobis, quàm iis, quos ſummè diligimus, eſſe velimus, aut potius beatè nobis, miſerè ipſis & infeliciter? hoc certè nullo modo. quamobrem amanda mors ſemper omnibus, cariſſimis etiam optanda. Ac, ſi quibus mori præſtat, quàm viuere, iis præcipuè, quos & acta cum virtute vita claros effecit, & mors, ſatis diuturna vita perfunctos, moleſtia afficere non poteſt. Naſci verò non intelligo, quibus expediat. nam in ærumnas miſeriaſque ingredientes quid gratum, quid hilare aſpicimus? qua re potius non offendimur? quod primus ille naſcentium infantium vagitus, & eiulatus ſatis declarat. tributus enim eſt ab optima parente natura, quæ nihil inane ſolet efferre, ac potius iis rebus, quas efficit, admirãda ſemper edit vel pietatis, vel iuſtitiæ, vel prudentiæ documenta. Ex quo intelligi licet, non naſci longè optimum eſſe, nec in hos ſcopulos incidere vitæ. proximum autem, ſi natus ſis, quamprimùm mori, & tanquam ex incendio effugere fortunæ. Sileni quæ fertur fabula, ſi grauioribus ludicra interdum admiſcere liceat, idem certè confirmat. qui captus à Mida, miſſionem doctrina redemit. docuit autem Regem, nunquam naſci optimum eſſe, ſed celeritatem mortis proximè accedere. idemque Euripidis teſtimonio, poëtæ ſapientiſſimi, comprobatur. Sed Crantor noſter patri, filij mortem ægerrimè ferenti, reſponſum ait datum eſſe in Pſychomantio, filio ſuo bene beateque eſſe, vtiliuſque futurum fuiſſe, ſi etiam pater pari ratione fatis conceſſiſſet. Quamobrem, ſi dolorum finem mors affert, ſi ſecurioris & melioris initium vitæ: ſi futura mala auertit: ſi medetur præſentibus: ſi nos ex plurimis vel morborum, vel moleſtiarum, vel acerbitatum periculis educit, cur eam tantopere accuſare, aut dolorem ex ea deriuare velimus, ex qua potius conſolationem, ac lætitiam haurire fas eſſet? Niſi ſi, quod mortem ſubſequitur, nos fortaſſe ſollicitos habęt. de quo libet pauca dicere, ne hic vnus ad moleſtiam, doloremque alendum angulus relinquatur. qui profectò inſipientibus obiiciendus non eſt, nec in tanto argumentorum aceruo, quibus mortem ipſam nobis obſtringere conamur, committendum, vt hoc vno nomine minus nobis debere videatur. & quamquam hæc futuri poſt mortem temporis cura hominis propria non ſit, ſed Diis immortalibus potius relinquenda, quorum nos vel liberalitati, vel ſapientiæ permittere, fas piumque eſſet: qui enim naſcentium curam ſuſcipiunt, qui viuentes protegunt, alunt, tuentur, fouent, cur morientes deſerant? tamen aliquid etiam modeſtè de iis exquirere, nõ eſt inutile. Neceſſe eſt autem, ſit alterum de duobus, vt aut ſenſus penitus omnes mors auferat, aut in alium quendam locum ex his locis morte migretur. quòd ſi morte ſenſus extinguitur, obituſque noſter ei ſomno ſimilis eſt, qui nonnunquam etiam, ſinę viſis ſomniorum, placatiſſimam quietem affert, quid lucri eſt emori? aut quod



quod omnium tempus reperiri poteſt, quod ei tempori anteponatur, cui ſimilis futura eſt perpetuitas omnis conſequentis ætatis? Sin migrationem malimus eſſe mortem in eas oras, quas è vita profecti incolunt; quid optabilius, quàm ad eos proficiſci, quos mortuos viuens dilexeris, & cum iis perpetua vita perfrui, qui, vt nos in laude viueremus, & libenter moreremur, ſuis & præceptis, & exemplis tantopere laborarunt? mihi certè nihil videtur euenire poſſe gratius, quàm, ſi mors aditum ad alia loca patefaciat, ad eos venire, & cum iis eſſe, quos & maximè dilexi, & nunquam non diligere ac laudare poſſum. Ad meos autem & affines, & amicos vt peruenero, quantopere lætabor? quæ iucundior collocutio, qui ſuauior vel congreſſus, vel complexus? O vitam verè vitalem, vt ait Ennius, omnibus bonis, ac gaudiis circumfluentem: ſed beatam etiam mortem, quæ ad beatiſſimam vitam aditum aperiat. Me quidem, etſi dolore vehementer perculſum & afflictum, his tamen monitis, & præceptis non mediocriter alleuari ſentio; itaque neminem puto fore, quem non rationes, à nobis tam ſtudioſè è ſapientum libris collectæ, iuuent, ac delectent. eoque magis, quò leuiores erunt aliorum dolores, quàm hic, quo nos tantopere vexati ſumus. nam ſi amor, ſi pietas filiæ, ſi virtus, ſi grauitas, ſi conſtantia, ſi cetera, quæ vix in fæminis ſpectari, nedum requiri ſolent, conſideranda ſint; tanta facta iactura, grauiſſimè dolere debuimus. ſed vincat dolorem conſolatio; nec iam, quid amiſerimus, ſed quatenus mortalem filiam lugere deceat, cogitemus. Hoc nos in mœrore noſtro; quod certè fortis eſt ægroti, non ſolùm accipere, ſed etiam exquirere medicinam. At, ſi quis erit, quem dolor à ratione auerterit, cui non ſatis firma videantur ea, quæ iam dicta ſunt: is ſe hominem eſſe meminerit: nihil autem humanius eſſe morte, vt, ſi mors ab ipſo diuelli, atque auferri poſſet, diis propior habendus eſſet, quàm hominibus, nec omni ex parte hominis nomen ipſi congrueret, quia communi, & præcipua hominis conditione non vteretur. pręterea lacrymis nihil proficì, quæ ſi quid adiumenti afferre poſſent, non ſolùm effundendæ, ſed ſtudioſè conquirendę viderentur. Denique, non ſolùm iniuſtè, ſed etiam turpiſſimè agere qui immodicè doleat. turpitudo enim peior eſt dolore; ſiquidem dolor homini à natura inſitus eſt, nihilque habet infamiæ. turpitudo autem idcirco vituperãda, quòd aliquid ſemper indecorum continet, culpa contractum. at omnis immodicus dolor turpis eſt, & à viro alienus: quandoquidem, vt immodicè, præterq; rationem doleas, ſponte efficis. ex quo culpa exoritur, quę homini maximè fugienda, vitandaque eſt, ne cogitationibus molliſſimis, quales interdum perditè amantes ſuſcipere ſolent, nimium perturbemur, & effæminemur. quin potius nos ad Homerica præcepta referamus:

*Corde age ſis firmo nec te ſubmitte dolori;*
*Namque aliquid grauius peiuſq; aliquando tuliſti.*

Nemo videlicet ſuorum funera experitur, cui non aduerſa multa antea contigerint; ita variis omni ex parte incommodis humana natura concluditur. cur igitur grauiora, vel certè æquè grauia fortiter paſſus, cùm maximè occaluiſſe, & ad dolorẽ nouũ obduruiſſe deberet, deſpondeat

deat animum,ſeque mœrori tradat? quod etiam iniuſtum eſſe, paullò ante dicebamus.natura enim vſuram nobis vitæ dedit, tanquã pecuniæ, nulla præfinita die.quod ſi,cùm libet,ſua repetit,ea conditione commodata,vt reſtituenda ſint,cur accuſatur?aut, cur non potius naturæ gratias agis,quòd, cùm citius potuiſſet,tardiùs repetierit, quàm, quòd aliquando repetierit,iniuſta querela inſequeris? certum eſt enim,non habitandi locum,ſed commorandi diuerſorium, nobis eſſe conceſſum; è quo cùm migramus,alacres tanquam ex hoſpitio miſeriarum atque incommodorum pleniſſimo,egredi debemus, ac lætiſſimo animo ad futuram vitam, tanquam ad patriam, euolare. quod ſapientes re ipſa præſtitiſſe memorantur. profectò enim, ſi quid eſt, quod morientes perturbet, aut morientium affines habeat ſollicitos, id totum aut ex falſa quadam opinione oritur,quòd vitæ huius vſum nimis vtilem,ac iucundum arbitremur, aut ex nimio in noſmetipſos amore caritateque prouenit. Sed opinionem illam, quam rationes adeò firmæ conuellunt, libenter deponere debemus; ab hoc verò amore nimio tantò libentius abhorrere, quantò indecentius eſt vitæ munere perfunctos velle etiam in vita, diis inuitis, commorari; communemque omnium,qui ante nos è vita diſceſſerunt, conditionem recuſare; demum, tanta eſſe mollitie, tantaque impudentia, vt ne in morte quidem confirmemur, ac reſipiſcamus. Quòd ſi noſtrorum mortem dolemus,cogitemus aliquãdo,moriendum ipſis fuiſſe; mortem autem incertam eſſe, nec in hominis arbitrio poſitam, ſed è deorum voluntate pendere: quos verò lugemus, eos quoque ſuorum mortem vidiſſe, patienterque tuliſſe; ideoque ſuo exemplo, quid nos facere velint, præcipere: denique id, quod ad conſolandum maximum, ac firmiſſimum eſt, non eos nobis penitus ereptos eſſe, nec prorſus amiſſos, ſed ad præfinitum tempus à noſtris oculis, noſtraque conſuetudine remotos. itaque, cùm ad eum vitæ terminum, quem natura præſcripſit, nos quoque peruenerimus, ſtatim eorum conſuetudinem reguſtabimus, & ad ſuauiſſimam vel conſuetudinem, vel conuictum redibimus. Mortem ſuis acerbam amaramque in moriendo eſſe,nonnulli exiſtimant, atque ideo fortaſſe perturbantur. quod me quidem,ſublatis grauioribus dolendi cauſſis, quas iam ſuperiori diſputatione reiecimus, minimè angit. ipſe enim diſceſſus animi à corpore vel cum nullo,vel certè cum modico dolore fit, & interdum ſine ſenſu; nonnunquam etiam, ſi rectè ſapimus, cum voluptate. Sed,quidquid ſit, totum hoc ita leue eſt, qualia ſunt ea,quæ puncto temporis fiunt. nec, ſi mors paullò longior alicui contingat, deſperandum eſt de deorum naturæque benignitate, quin eo quoque tempore properantem è vita diſcedere foueant, atque alleuent. cuius rei in morientibus ſæpiſſimè ſigna minimè dubia cernuntur: cùm velut è ſomno exciti, quo tempore extremum ſpiritum edituri ſunt, ita gaudentes & alacres aſpiciunt, vt libentiſſimè iudices è vita proficiſci. quamobrem ne hæc quidem vllam æquam doloris afferre cauſſam poſſunt,qui certè comprimendus ac minuendus eſt,quòd, etiam ſi nolis,tempore tamen ipſo extenuatur, & euaneſcit: nõ quòd minuendi doloris vis in ipſa die poſita ſit,ſed quòd





vſus ipſe cogitatioq; diuturni temporis doceat, nihil eſſe in morte mali, ideoq; leuiter & patienter ferẽdam. Sed turpe ſtultumq; eſt homini, tanta tamque varia rerum cognitione inſtructo, nõ à ſe ipſo potius maturè; quàm ſerò ab vſu,& cogitatione doloris remedia expectare: quæ tam firma ſunt,vt neminem fore putem, quem non vehemẽter non iuuent ſolùm,ſed etiam permoueant. mihi verò eò magis neceſſaria fuerunt, quò turpius viſum eſſet; me, qui ceteros conſtantiſſimè conſolatus eſſem, in meo dolore iacere: voxq; illa exaudiri,& fortaſſe nõ immerito, potuiſſet.

*Hiccine ille Cicero, cuius ob os Graÿ*
*Ora obuertebant ſua?*

Sed nos Philoſophia aduerſus omnes vel temporum, vel fortunæ,vel naturæ inſidias muniuit:quę ita fortis eſt,vt nullius iniuriæ impetum extimeſcat: ita lenis & ſuauis, vt omnes acerbitates facilè mitiget ac molliat:ita demum vtilis & fructuoſa, vt totam ſe ad humanas vtilitates liberaliſſimè porrigat atque explicet. nec verò ſecus debet. quæ enim humanarum miſeriarum cumulum optimè norit, & acutiſſimè perſpiciat, ſi eas patiatur manare longius,neque homini mœrore confecto conſilio præſidioq; ſuo præſto ſit: quid illo miſerius? quid vita noſtra laborioſius aut tetrius?aut quid prodeſſet,adſpectum à natura ad ſupera erectum accepiſſe, vt cœlum contemplari, vt Deorum maieſtatem cogitare,aut à Diis immortalibus mentem & rationem, vt vtilia cognoſcere, honeſta à turpibus ſecernere,æqua amplecti,ab iniquis abſtinere poſſemus, voce denique ipſa & oratione frui, quæ nullis animantibus conceſſa eſt, quaque ceteris omnibus,quæ ſub cælo ſunt,viuentium naturis antecellimus? inania hæc videri poſſent,ſi tam multis ex aduerſo miſeriis oppreſſa hominis natura, neque ſe ad cœleſtia erigere, nec tantis bonis, quibus maiora eſſe nulla potuerunt, vti poſſet. ſed profectò, vt contra ſerpentum virus pharmacorum genera multa, contra inopiæ calamitatem ſollertia & induſtria, contra turpitudinis voluptatem pudor & verecundia, ſic contra doloris morſum philoſophia nobis data eſt deorum immortalium conceſſu atque munere. quam vt nemo ſatis pro dignitate laudare queat,ſic quam plurimi mentis tranquillitatem, animi moderationem, in voluptates imperium, in acerba omnia ſummam quandam vim ac fortitudinem illi vni acceptam referant neceſſe eſt. Neque nós aut in exſilio patientes, aut in honorum curſu temperantes fuiſſemus, aut nunc in tanto mœrore ſapienter & fortiter verſaremur, niſi tuo philoſophia optima rerum humanarum moderatrix,beneficio. Tu verò felix & beata, Tullia mea,ſi quis tibi in morte ſenſus eſt, quæ tot tantiſque miſeriis, quibus propoſita fuiſſes in vita, vna morte perfuncta es: à præſentibus malis expedita,ab impendentibus erepta,& in tuto ac tranquillo quietis portu collocata. meritò tibi mortem iucundam fuiſſe putem, cùm vel ea bona, quibus viuenti frui licuit,animo reputas,vel mala,quæ moriens vitaſti, mente,ac cogitatione complecteris. Ego autem,cùm te felicem iudicem, ac, ſi dicere liceat, pæne oculis cernam, cur tua morte excrucier? potius lætabor, ac tibi, tanquam de re optatiſſima, gratulabor. cui niſi moleſtum eſt,me iam ætate cõfectum in tam perturbata Republica,

tamque miſero vitæ genere reliquiſſe, quid iam graue aut acerbum eſſe poſſit? Sed hoc quoq. ratione ipſa leuius aliquãtò efficitur. neq. tu nunc, quid me perferre neceſſe ſit, ſed quàm non multò pòſt tecũ iiſdem bonis vſurus ſim, debes cogitare. nihil enim accidere valde graue poteſt iis, qui ſpe iam propinqua futuri boni recreantur, & aluntur. Sed neſcio qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri. nõ enim tantopere bonis delectamur, quàm malis affligimur; ex quo fit, vt hęc etiam nolentes augeamus, bona autem, quæ fruendo, cogitando, gaudendo maiora efficere expediret, etiam deteramus. quod certè minimè oporteret. nam, ſi ſeriò diſputare volumus cur dolores reſq; aduerſas refugiamus, quę fortitudinem in nobis gignunt, & efficiunt? quæ ſi nulla eſſent, nulla profectò fortitudo agnoſceretur. cur mortem horreamus, quæ aſſidua ſui memoria, nos vt meliores ſimus, admonet? nec patitur, ad ea nos animum adiungere, quæ aliquam nomini noſtro vel intemperãtiæ, vel iniuſtitiæ notam poſſint inurere. Bona verò, & ea quæ probantur in vulgus, cur tantopere appetamus? quæ conſecuti, molliores plerumque ac deteriores euadimus. itaque his voluptatum lenociniis obruimur, vt diſceſſum ex hac vita impendere, vix aliquando recordemur. Sapienter philoſophorum princeps, & magiſter Plato; quæ ſenſus appetit, aut timet, nihil aliud eſſe quàm ſomnia. itaque penitus contemnenda eſſe. mala verò vt vitentur, ad æterna properandum: quò niſi confugias, vitari nunquam poſſe, at ad æterna ne properari quidem poteſt, niſi morte ianitore, ac duce. Quorſum hæc? vt intelligamus, non modò à dolore vacuam, quietam, oportunam, bonam denique eſſe mortem, ſed etiam ſummorum atque immortalium bonorum liberalem, ac beneficam miniſtram. itaque Cato ſic è vita diſceſſit, vt lætaretur, cauſſam ſe nactum eſſe moriendi. Iam nemini dubium eſſe poteſt, quin vir prudentiſſimus, ſi ſua morte lætabatur, mortem etiam optimam eſſe agnoſceret. Certè enim in re ſua, quæ præſertim ſenſu percipiatur, nemo fallitur. quod comprobare poſſum Artabani Xerſis patrui, viri ſapientiſſimi, teſtimonio. de quo eſt apud Herodotum, cùm Xerſes exercitus ſui copias pænè innumerabiles, ante ſe in aciem inſtructas intuens collacrymatus eſſet, neminem ex tot militibus ad centum annos ſuperſtitem futurum, illum Xerſi reſpondiſſe: at tam multa ſunt, tamque miſera, quæ viuentes perferunt, vt nemo ſit, quin mori ſæpiſſimè cupiat: cùm incidentes calamitates, & morbi vitam adeò perturbent ſollicitamq; habeant, vt longiſſima videatur. itaq. mortem perfugium eſſe ærumnoſæ vitæ, dubitare nemo poteſt. nec his contentus addit etiam illud; deos immortales, cùm hominum vitam, quæ adeò miſera ſit, multis bonorum integumentis velarunt & operuerunt, feciſſe quodammodo inuidentius ne mortis ſuauitatem, quanta eſt, omni ex parte deguſtaremus. Amphiaraum fabulæ narrant Ioui atque Apollini fuiſſe cariſſimum, neque tamen illum ſenium attigiſſe. ex quo quid aliud coniici poteſt, quàm mortis celeritatem diuinum munus, & lucrum eſſe maximum? itaque ſcitum eſt illud comicum:

*Nam quem tuetur atque diligit Deus,*
*Iuuenis ſupremum mortis intrat limitem.*





Neminem enim, quem dilexerint Dij, patiuntur eſſe miſerum. quare vitam eis, miſeriarum plenam, adimant neceſſe eſt. quid autem contingere homini tam gratum poteſt, quod eum magnopere in vita retineat? voluptas, credo, quam ex alicuius ſiue artis, ſiue doctrinæ tractatione percipit. at doctrina æmulationem, omnium rerum moleſtiſſimam, ſi quæris, etiam dolorem parit. non tam enim delectamur, aliquid diſcentes, quàm angimur, multò plura, ac maiora, quæ ſcire vellemus, penitus ignorãtes. Artes verò, quas tenuiores tractant, quid habent voluptatis, aut quid non potius moleſtiarum, & mœroris? quanta inter eos, qui illas exercent, perfidia? quantum odium? quanta inuidia? aut quis eſt ſua ſorte contentus, & non alienæ ſiue induſtriæ, ſiue fortunæ, æmulator, oſor, detractor? Sin ciuilem vitam quiſquam appetit, & in Republicę luce viuere pulchrum putat, is ſe exigua, ac pænè nulla honoris ſpecie magnas comparare calamitates certò ſciat. quotus enim quiſque eſt, cui non publica adminiſtratio vel mœroris, vel iacturæ tantum attulerit, quantum verbis explicare vix queat? ac, ſi de toto vitæ curſu iudicare verè volumus, exitium videamus. Vbi optimi Reipublicæ adminiſtratores ſeu verius parentes, Miltiades, Ephialtes, Cimo, Themiſtocles, Ariſtides? quantum illis fides, caritas, integritas, conſtantia peperit miſeriæ? vt non modò honoribus, dignitate, auctoritate ſpoliarit, ſed etiam in exſilium miſerit. quod contrà oportebat, viros optimos patriæque amantiſſimos honore affici, in oculis ferri. Scipio Africanus apud noſtros optimam cauſſam amplexus, paucorum immoderatæ libidini repugnans, manè mortuus, in lecto eſt inuentus. nec abfuit ſuſpicio, quin ab vxore, quæ Gracchorum ſoror fuit, interfectores eſſent immiſſi. Metello autem Numidico, homine omnium clariſſimo, ac præſtantiſſimo, quid miſerius? qui, ne in legem pernicioſam iuraret, in exſilium abire ſit coactus. fateor profectò, inter omnia exſilij genera, atq. omnes miſeriarum cauſſas maximè honeſtam Numidici fuiſſe conditionem, cui probitas, integritas, in patriam charitas calamitatis cauſſam attulerit; ſed tamen fatendum eſt, grauiſſimam fuiſſe calamitatem, pelli patria, auelli à ſuis, bonorum direptionem, liberorum ſiue mœſtitiam, ſiue ærumnam videre. M. Regulum, G. Marium, L. Brutum ob liberandam patriam interfectum prętereo. nolim in iis commemorandis nimius videri, quorum exitus nemo eſt, quin ex libris, imaginibus, fama denique vulgari iam didicerit. quæ cùm multa maximeque grauia ſint, grauiſſimum tamen illud debet videri, quòd homine ambitionis vinculis irretito, quique è popularibus ſuffragiis totus pendeat, nihil vſquam infelicius reperiri poteſt. quantus in eo timor, quanta dubitatio, quantus conatus, quanta ſolicitudo? vt nullam illi à moleſtia vacuam eſſe horam, nõ immeritò ſuſpicari poſſimus. nam, ſi ſeruientis ea eſt conditio, vt ex eius, cui ſeruit, moribus, voluntate, ingenio propriam ſibi fortunam fingat; qui populo ſeruiet, auido, inuido, ignaro, ad mutationem procliui, &, quod caput eſt, ingrato, num aliquandò beatus eſſe poterit? an potius, quoties de eius natura cogitabit, toties ſuam ipſe calamitatem, ac fortunam conqueretur? præclarè vetus Poëta:

*Aeterno mixtam luctu mortalibus vitam*
*Olim conſtituit diuûm pater, atque hominum Rex.*

Itaque quamdiu hac luce vtimur, viuere quidem videmur, ſed veriùs aſſiduè morimur, aut ſaltem vitam verbo retinemus, re ipſa amiſimus. Equidem non video, quid in hominis vita valdè optandum, aut felix eſſe poſſit. multos potius, ne in maiora, quàm quæ humana conſuetudo quotidie fert, mala inciderent, mortem ſibi dedita opera conſciuiſſe ſcio. quod tamen non iccirco dictum velim, quia probandum putem: ſed, vt ex eo appareat, humana vita quàm multis vndique prematur difficultatibus. Cleomenes Lacedæmoniorum Rex, eiuſq; filius, morte vltrò appetita, præterea Theagenes Numantinus, qui, ne in hoſtium manus veniret, primùm ſuis, deinde ſibi ipſi mortẽ attulit, quantoperè vita fugienda ſit, ſatis videntur apertè declaraſſe. Ac niſi turpe videatur, homines à mulierculis, multò certè imbecillioribus, fortitudinis exempla petere, repetamus ex hiſtoriis Aſdrubalis vxorem illam, quæ, Carthagine in hoſtium poteſtatem redacta, ſe ipſam cum tribus filiis in conflagrantis patriæ incendium immiſit. Sed præter hæc, quę iam teſtata ſunt, & illuſtria, fateamur ſanè ingenuè, tantam eſſe humanæ naturæ miſeriam, vt neque genus ipſum hominum, nec è toto genere ſinguli miſeriarum expertes eſſe poſſint: quod eò magis mirandum eſt, quòd non iis ſolùm malis, quibus hominis natura aſſiduè affligitur, mala noſtra præſcripta ſunt, ſed ipſi nos, quantum in nobis eſt, miſeriores quotidie reddere conamur. nullum enim aliud in toto terrarum orbe genus animantium reperias, præter vnum hominem, quod in proprium genus, atque in ſe ipſum ſæuitiam exerceat ſuam. meritoque Dicæarchus in eo libro, quem de hominis interitu luculentum & eruditum conſcripſit, nihil habere dubitationis putauit, quin multò plures extincti ſint homines ipſa hominum ſæuitia, & acerbitate, quàm omni reliquo genere calamitatis. tanta eſt enim in permultis auaritia, tantum ambitionis, imperij, diuitiarum ſtudium, vt explendæ cupiditatis gratia nihil ſibi non licere putent. atque hoc malum non iam anguſtis finibus compreſſum videmus, ſed ſuperioribus ſæculis erupiſſe vehementer, & manaſſe latius. non enim certum aliquem hominum numerum, ſed regna ipſa, & totas perſæpe funditus ſuſtulit ciuitates. At, ſi ad ſingulos homines quæ proxima ratio eſt, mentem cogitationemque conuerteris, ne in iis quidem quidquam reperies, quod valde appetere, aut approbare poſſis. finge enim animo quidquid homini felix, aut beatum ex opinione vulgari poſſit in vita contingere. congerantur diuitiæ, bona valetudo, honores, potentia, etiam voluptates accedant. cùm hæc omnia in hominem contuleris, nihil tamen tribueris ſtabile aut firmum, nihil, quod non repentinam, & aſſiduam pati mutationem poſſit. caduca enim & incerta ſunt omnia, non in humanis conſiliis, aut viribus poſita, ſed in fortunæ temeritate, ac temporum viciſſitudine conſtituta. quid autem homini turpius, quàm è temporis ac fortunæ mutatione pendere, & ſecundo illius flatu ſubleuari, reflatu deprimi & affligi? aut lætis rerum euentis gloriari, aduerſis lugere, nec lacrymis temperare poſſe? quid





iam interſit inter hominem mutamque pecudem, ſi nos perinde atque illa, quibus rationem natura denegauit, extrinſecus toti pendeamus, iñ nobis ipſis nihil fortitudinis, nihil firmitatis, nihil habeamus conſtantiæ? quamuis enim homini non mater, ſed veriùs nouerca Natura corpus fragile, infirmumque tradiderit, animum autem & in moleſtiis anxium, & in timore humilem, & ad labores mollem: plurimos tamen inſeuit diuinos ingenij iudicijq; igniculos, quorum auxilio & cum dolore luctari, & timori obſiſtere, labores verò omnes nullo negotio vincere, ac perferre poſſemus. itaque tributum diuinitùs mentis ignem, & prudentiæ, non extinguere, ſed ſopitum fouere, atque augere debemus. Mors autem, progreſſis in vita longius ſi immineat, nihil eſt, cur magnopere commoueamur: quæ præſertim aut meliorem, quàm quo viuentes fruimur, aut certè non deteriorem vitę ſtatum ſit allatura. quis enim negabit, ſi animus omnino intereat, extincto ſenſu nihil eſſe mali: proptereaque nullam iuſtam doloris cauſſam exiſtere? at, ſi vigeat, corpore ſolutus ac liber; quid iam illa vita beatius, quid diuinius? ex quo maxima & veriſſima lætitia ac voluptatis exoritur occaſio. Itaque nihil iam reſtat, quò minus, optimam eſſe mortem verè affirmare poſſimus, tantumque abeſſe, vt, cùm adeſt, dolenda ſit, vt numquam fugienda, ſæpe etiam optanda videatur. atque eò magis, quo diutius in vita homo permanſerit. nam, cùm iis bonis, quæ afferre vita poteſt, ſatiari cœperit, tum ab humanis moleſtiis ſecedens, in beatiſſimam vitam commigrabit. non enim is ego ſum, qui animum ſimul cum homine interire putem, tantumque mentis lumen, è diuina natura delibatum, poſſe extingui, ſed potius, certo tempore emenſo, ad immortalitatem redire. quid autem hominẽ magis deceat, quàm tam multis tamq; firmis rationibus nixum, virilem animum retinere, fæmineam mollitiem exuere? qui verò mortuos nimis lugent, nec humanam conditionem magno elatoq; animo deſpicere poſſunt; in eos illud probri plenum verè dicetur:

*Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem:*
*Illaq; virgo viri.*

Multæ enim repertæ fæminæ ſunt, quæ in domeſtico luctu ſingularem animi præſentiam, ac magnitudinem præſtiterunt. Sed virilis fortitudo, vt libidini, ſic dolori, non aliter, quàm ſeruo domina, imperare debet, eamque coërcere, ac frangere, tanquam vitioſam & imbecillam animi partẽ. quam ſi emergere patiatur, ſeque paullò altius efferre, non modò rationi præcurret, ſed etiam victrix in animo exſultabit. quo nihil homini turpius, aut pernicioſius ne excogitari quidem poſſit. Gorgias orator, iam ætate confectus, ac morti proximus, rogatus, num libenter moreretur: Maximè verò, inquit, nam tanquam ex putri miſeraque domo lætus egredior. O virum egregium, dignumque, cuius vigeat in omnium ore, ac mente ſententia. quid enim potuit præclarius dicere? cùm mala, quæ viuentem pati neceſſe eſt, cogitaret, miſeriarum finem, quas moriens relinquebat, adeſſe lætaretur? ſic par eſt loqui hominem, qui non libidine vexetur, non voluptatis illecebris irretiatur, nulli denique pareat cupiditati. quæ ſumma eſt ratio & ſapientia, humanæ

neceſſitati imperare, non dolori cedere, non deſiderio angi, nihil deniq humanum extimeſcere.

Angamur liberorum aut adfinium interitu? quid ita? vt ſtultos imitemur, qui, quæ mutari non poſſunt, quæq; vel nolentes opprimunt, perferre nequeunt: ſaniores, quorum tam multa extant ad æternitatem illuſtria ſiue exempla, ſiue teſtimonia, negligamus? quid eſt aliud, cæcorum more ambulare, &, cùm in celebritate verſari, ac Solis lumine vti poſſis, ſolitudinem tamen, ac tenebras quærere? iam enim ad eos, quos æmulari ſatius eſt, quoſque nobis imitandos propoſuit antiquitas, noſtra delabatur oratio. Mortem igitur in malis nullo modo eſſe ponendam, ſed in præcipuis bonis numerandam, dubitaturum puto neminem. ſi enim à miſeriis abſtrahit, ſi in meliorem vitam inducit, ſi neque miſera ipſa eſt, nec vllius particeps miſeriæ, cur mala cenſeatur? ſin hoc largitur, vt ſempiternis bonis potiamur, vitamque, quam mortalem habuimus, æternam adipiſcamur, quid morte beatius eſſe poſſit? itaque ſapientiſſimos homines accepimus non modò ſuorum morte non perculſos, neque dolore vllo affectos, ſed etiam ſæpiſſimè lætatos eſſe. Anaxagoræ, inter familiares ſuos de natura rerum diſſerenti, filij mortem nuntiatam tradunt: nihilque aliud ab eo reſponſum, niſi ſe illum genuiſſe mortalem. præclara verò vox, & verè digna, quæ à tanto viro emitteretur. non enim ſanè video, quid ſapientius, aut conſtantius dici poſſet. an adoleſcentem illum eſſe mortuum? fracti hoc animi, nec in rebus aduerſis admodum firmi ſignum fuiſſet. an angi ſeſe non ſua, ſed filij cauſſa? num igitur ignorare ſe fateretur, quantis è malis elapſus eſſet filius? an ſe quidem dolere, ſed tamen humanum caſum agnoſcere? vbi ergo hominis grauitas, iudicium, ſapientia? aut quid ab imperitorum turba diſtabit? è quibus tamen ſæpè multi nec iis rebus anguntur, quæ neceſſariò eueniunt, nec, quò minus eueniant, cùm communes omnibus ſint, laborandum vllo pacto cenſent. Ille verò ſapiens, & verè Philoſophus; quem neque improuiſus nuntius perculit, nec à diſputatione abduxit, ſed potius vocem expreſſit, ſummæ indicem fortitudinis, ac ſapientiæ. vellem & hoc ipſum de pluribus ex noſtris dicere liceret: quos ſi qua interdũ fortunæ oppreſſit iniuria, nihil aliud iudices, quàm proſtratos illos, ac penitus abiectos eſſe. quaſi verò aliquid acciderit, quod vel ante ipſos nemini, aut, quod ipſis, ſi minus hoc tempore, ſaltem paucis pòſt annis non euenturum fuerit. ac, cùm maximè animo vigere deberent, tum præcipuè non ſolùm præteritæ patriæq; virtutis, ſed etiam humanæ legis, ac pænè obliuiſcuntur ſui. tantum in eorum animis mollities poteſt, ac ſeruitus quędam doloris atque triſtitiæ. An ego illum iudicare liberum poſſim, cui dolor imperat? quem repentinus caſus perturbat, impellit, euertit? qui nihil præ doloris magnitudine cogitare, nihil meditari queat, qui nihil in ſe ipſo, in temporibus, atque in fortuna, quæ ſtabilitatis nihil habet, ſua ponat omnia? ego verò iſtam non modò ſeruitutem, ſed pænè captiuitatem, & quidem miſerrimam, cenſuerim. quid enim intereſt inter eum, qui vinctus ab hoſtibus, & carceribus concluſus, obſideatur, & eum qui dolore captus, ſuo



ſuo prorſus careat arbitrio? at ille quidem, etſi corpore ſeruiat, animo tamen liber eſt, nec dubitat aliquando fore, vt libertatem aſſequatur; qui verò dolori paret, nec valet corpore, & animo quàm maximè laborat. non enim amicis frui, non Reipublicæ prodeſſe, non priuatas res curare, non publicis conſulere poteſt. ita in otio, & quidem moleſtiſſimo, nec cuiquam paret, & tamen ſibi non imperat. qui cùm aſſiduis, & maximis prematur anguſtiis, alterum eſſe neceſſe eſt, vt quamdiu in dolore verſatur, ſemper miſer ſit, alterum fieri nullo modo poteſt, vt, niſi dolere deſinat, à miſeriis eximatur. Quantò ſapientius Xenophon, qui, cùm ſacra ſolemnia perageret, maioremq; natu filium in prælio apud Mantineam cecidiſſe audiret, coronam tantùm è capite depoſuit, ſed in ſacris peragendis conſtanter perſtitit. vbi verò cognouit, fortiter pugnantem occidiſſe, coronam rurſus capiti impoſuit, deoſq; ipſos, quibus litabatur, teſtatus eſt, maiorem ſe ex filij virtute voluptatem, quàm ex obitu moleſtiam cepiſſe. huic ego non dubitarim, quin omnia, quæcunque accidere poſſent in vita, nullam eſſent perturbationem allatura. qui enim vſque eò in deorum cultu conſtans, & firmus eſſet, vt neque filij morte nuntiata, ab iis auocari poſſet, cur eum credam filij morte lugenda à Deorum voluntate diſſenſurum fuiſſe? aut qui virtutem, filij vitæ anteferret, non iure credi poſſit, illum & virtutis ſtudio incenſum, & patriæ caritate impulſum, omnes moleſtias, omneſque calamitates libentiſſimè fuiſſe ſubiturum? ſed quò rariores qui hoc modo animati ſint, hoc præclariores viri. nihil enim ad laudem illuſtrius, quàm in æternam gloriam, aut in patriæ vtilitatem intuentem, aut ſaltem fortiter dolores perferentem, & cum fortuna luctantem negligere humana. quæ qui nimium curant, ij laudis ſtudium, ciuium commoda, denique omnia, quæ laudabilia putantur, prorſus è mente, ac cogitatione eijciant, neceſſe eſt. neque enim humanis curis implicitus toto animo de patriæ ſalute, atque vtilitate cogitare, aut laudem ſibi præclaris actionibus comparare, vel egregij quidquam ſuſcipere, ac ſuſtinere queat. ſuis autem commodis, ac rationibus proſpiciens, & conſulens cetera omittet, de ſeipſo dies noctéſque cogitabit. ita nec boni ciuis, nec boni viri fungetur officio. bonum enim virum decet, de ceterorum commodis æquè laborare, ac de ſuis; bonum verò ciuem ſua omnia poſteriora habere, patriæ commoda prima & maxima ducere, à quibus neque dolore, neque vlla omnino humana auelli perturbatione debemus. Periclem narrant hiſtoriæ intra quatriduum duobus filiis, eximiæ indolis adoleſcentibus, eſſe orbatum, qui vſque eò fortis, ac conſtans in luctu fuit, vt nihil prorſus de priſtino habitu cultuq; deminuerit, ſed eundem, quem antea, in concionibus habendis morem ritumq; ſeruarit; nec vnquam coronam è capite depoſuerit. de quo traditum eſt, nihil eum putauiſſe indignius futurum, quàm ſi aliquod fracti animi ſignum mœroris cauſſa muliebri more edidiſſet. fortem ſanè hominẽ, & magna laude æternaq; memoria digniſſimum. quem neq. naturæ vis ad nimium ſæpe amorem trahens, potuerit de ſtatu dimouere, & ad dolorem abducere; nec liberorum deſiderium, quos tamen ſummè dilexiſſe dicitur, vlla ratione pertur-

perturbarit. nec mirum. vera enim fortitudo inanes ſollicitudines eiicit, ac depellit: opprimit cupiditates: imperat timori: nihil autem appetit forti viro indignum, nec ab vlla re vel metu, vel inconſtantia repellitur. & quamuis excelſam elatamque naturam, ratio ipſa, doctrinæ præceptis imbuta, confirmet, quod Pericli doctiſſimo homini, maximoque ingenio prædito ſine vlla dubitatione contigiſſe, prorſus mihi perſuadeo, ipſæ tamen fortitudinis radices in animo præcipuè inſident. qui cùm humana deſpicit, nec ad humilia, quaſi humi depreſſus, vllo pacto adhæreſcit, facilè fit, vt vberiores, & maturiores fructus ferat, cùm ad eũ, veluti ad agrum optimum cultura, ratio etiam acceſſerit conformatioque doctrinæ. non enim, ſenſu omni doloris caruiſſe ſummos viros, credendum eſt. qualis enim nihil ſentientis animi, ſenſuque prorſus carentis eſſe fortitudo potuiſſet? Sed dolorem ſentientes, ad eum opprimendum, ac vincendum ſummam animi contentionem adhibebant, tantumque nitebantur, vt è pugna diſcederent ſuperiores. verum enim illud eſt, nullam animo maiorem peſtem, vna remiſſione, rum enim illud eſt, nullam animo maiorem peſtem, vna remiſſione, poſſe contingere. qui ſi intentus eſt, ſeque ad reſiſtendum parat, omnia ſuſtinet pondera, omnia vel firmiſſima tormenta facilè diſcutit ac depellit; at remiſſione eneruatus, & effæminatus, ita deprimitur & vrgetur, vt ſe ad æquitatem nequeat extollere. Nec verò quiſquam doloris impetum excipere, ac fortiter perpeti poſſet, niſi ſe prius ad obſiſtendum comparaſſet; aut fortitudinem acquirere, niſi prius doloribus multis acerrimè ac fortiſſimè reſtitiſſet. ex quo conſuetudo fit, quæ callum obducit animo, noſque contra omnes vel naturæ, vel fortunæ impetus armat. An cenſemus Harpagum Medum tantum fortitudinis exemplum, quantum ab Herodoto memoriæ mandatum eſt, edere potuiſſe, niſi prius in patientiæ ac fortitudinis exercitatione ſæpiſſimè verſatus eſſet? nec ſine maximo fructu, magnáque potius cum nominis ſui gloria. tantum enim fortitudine, ac prudentia præſtitit, vt acerbiſſimam iniuriam ſine vllo planè doloris ſenſu pertulerit, & ſeſe cumulatè cõtra Regis immanitatem vlciſci potuerit. nam, cùm eius filium Rex Aſtiages interfectum ad epulandum apponi iuſſiſſet, caputq; ei poſt cænam allatum oſtendiſſet, rogans, cuius feræ viſcera in mẽſa comediſſet; ille verò nihil perterritus, nec animo vllam in partem deiecto, agnoſco, inquit, quid ſit actum, ac quidquid Regi placuit, mihi quoque placere pronuntio. hoc autem immaniſſimum genus iniuriæ tam diu diſſimulauit, quoad Cyrum ex Perſia in Mediam euocare potuit; quo adueniente, cùm exercitus Imperator contra eum à Rege miſſus eſſet, & Regnum & Regem illi tradidit: itaque Aſtyages in Cyri poteſtatem, impietatis ſuæ pœnas daturus, redactus eſt. O factum omnium gentium ac ſæculorum memoria digniſſimum. ex quo non modò qui dolori cedunt, ad patientiam ac fortitudinem excitentur, ſed etiam Reges, quique hominibus imperant, ne quid impium, aut indecens audeant, erudiantur. nam aduerſus iniuſtitiam atque impietatem tantum eſt odium, tanta inuidia, vt ne ipſum quidẽ cælum, aut ſidera, etiam ſi homines velint, huiuſmodi ſcelera pati ac diſſimulare poſſint. ac, ſi ſera



ſera deorum vindicta ſit, noluerunt tamen impios ipſo in facinore adeò exſultare, vt non angore conſcientiæ, fraudiſque cruciatu, tamquam domeſticis furiis, aſſiduè vexentur. tantumq; poteſt impietatis odium, vt Tyrannum extinctum, ac ſæuiſſimè excruciatum nemo miſereatur, nemo doleat. nam aduerſus hoc hominum genus, nec in vllo prętererea, omnem prorſus vim, omneſque ſtimulos amittit dolor: qui, ſi ratione comprimendus eſt, quod ſupra diximus, multò etiam magis conſuetudine vincetur: cuius tantæ ſunt vires, vt non modò perturbationes animi ſedare, ſed etiam naturæ vim afferre, eamque ſæpiſſimè immutare, ac penitus aliam poſſit efficere. cuius auxilio non modò doloris aculei, ſed etiam fortunæ fulmina depelli ac contemni facilè poterunt.

Meditemur igitur, & omnino ſtatuamus, nihil prorſus humanum eſſe dolendum, non mortem, quam iam optimam eſſe cognouimus, non egeſtatem, quæ ſæpiſſimè maximi boni cauſſa à diis immortalibus tribuatur, non exſilium, cùm orbis terrarum omnibus pateat, non cetera generis eiuſdem, quæ vulgi opinione grauiſſimis in malis numerantur. nullum enim tam graue malum apparebit, quin ex eo bonum aliquod multò maius, multoque optabilius magno deorum beneficio aliquando colligatur. Pleni ſunt libri Philoſophorum: refertæ argumentis, ac rationibus paginæ ferè omnes: tanta autem exemplorum copia, vt nihil poſſit eſſe cumulatius. quæ cùm ita ſint, qua iam re terreamur, aut cui dolori cedamus? Dion certè, qui è Platonis ſchola defluxit, cùm eius filius in atrium è tecto delapſus interiſſet, non modò non doluit, ſed etiam in eo, quod tum fortè agebat, conſtanter perſtitit. quo facto iudicauit & vir ſapiens, & Platonis diſcipulus, quid ceteros, qui ſapientes haberi volunt, facere oporteat. At Traheaſpas multò fortius. ſiquidem filij morientis, cùm ferro traiiceretur, ſine vllo prorſus dolore ſpectator fuit. Cambyſes enim iratus, & ebrius, cùm eius filium ſagittis peteret, iamque pectus recluſum appareret, patrem iuſſit inſpicere, num cor percuſſum eſſet: cui cùm pater reſpondiſſet, iam cordi ſagittam eſſe infixam: tum Cambyſes, numquid certam inquit habeo manum? at pater, nullo doloris ſigno dato, nec vſquam conuerſa, aut commota facie, ne Apollinem quidem, inquit, certiores ſagittas emiſſurum crediderim. Quid hunc patrem putemus facturum fuiſſe, ſi filius in pugna fortiter dimicans occubuiſſet, qui nullius culpæ conſcium filium crudeliſſimè trucidari non doluerit? num credamus, filij mortem honeſtam, ac pro patria ſuſceptam, tali patri futuram fuiſſe iucundiſſimam? Nec tamen dubito permultos fore, qui impium illum, ac pænè viſcerum ſuorum carnificem vocent. Sed faciant ſanè vt lubet: dum hoc mihi concedant, exemplum hoc fortitudinis ac deuicti doloris eſſe præclariſſimum. Quod ſi ita eſt, vt infirmos animos ſpectata ceterorum virtus erigat, & confirmet, quem cenſeamus iam dolori conceſſurum, cùm tam multos audiat, qui ſeipſos in dolore ſuperarint. quocirca, tam multa veterum exempla colligere vereor, ne ſuperuacaneum, aut fortaſſe putidum videatur. quòd ſi ceteris tantùm, & non nobiſmetipſis, ſcriberemus, fortaſſe breuiores in ſcribendo, in exem-

exemplis autem recenſendis etiam parciores eſſemus. ſed fit neſcio quomodo, vt ex aliorum caſibus ad mala noſtra ſananda medicinam colligamus. nobis quidem ita videtur: &, cùm noſtro vulneri medeamur, mirari non debebunt qui hæc in manus ſument, ſi quid fortaſſe paullò expreſſum vberius inuenerint. illud certè propoſitum habemus, vt omnibus nobiſcum prodeſſe, omniumque dolori, quàm acuratiſſimè fieri poſſit, conſolationem afferre poſſimus. Quamobrem his enumerandis noſtram valdè imminui, atque alleuari moleſtiam experimur: ceteris idem optamus, ac, ſi dicere liceat, etiam ſperamus. nam in tanta vel argumentorum, vel exemplorum copia, quibus ſe legentes pænè obrui ſentient, ecquis ſe immobilem, aut in dolore inexorabilem præbeat?

*Deſunt nonnulla.*

Nec verò ignoro, nonnulla interdum accidere, quibus ita perturbetur, & opprimatur animus, vt à medicina refugiat. idque ſi vllo in caſu contingit, certè, cùm dolore affligimur, maximè ſolet euenire. quod ex eo fit, quòd erepti vel amici, vel affinis, vel filij cogitatio adeò nobis grata eſt, quòd illum pænè ante oculos conſtituere videatur, vt, etiam ſi dolorem refricet, & lacrymas eliciat, tamen eam deponere nolimus. ac, ſi ad conſolandum remedia ſuppetant, tamen nihil minus, quàm cõſolantium verba audiamus. falluntur ſanè grauiter qui ita agunt: ſed hunc errorem, quo magnopere delectantur, ſibi extorqueri nolunt. Quare ſuum vnicuique ſtudium, ſuaque omnibus delectatio relinquatur. non enim vereor, quin, ſi minus in ipſo doloris æſtu remediis vtendum homines cenſeant, certè, cùm modicè dolor reſederit, ac ſe paullũ quaſi remittere cœperit, ad extinguendas doloris reliquias monita præceptaque noſtra adhibeantur. nihil autem vtilius eſt, quàm hæc eadem in voluptate, ac lætitia pertractare, atque in manibus habere. ſic enim & legi, atq. ad verbum ediſci, & penitus memoriæ mandari poſſunt: vt, cùm in animum penitus influxerint, tum exhauriri ac prorſus elabi, non facilè queant. ita fit, vt, cùm repentè dolor inuaſit, tum iis vtamur, quæ, niſi ante percepta & cognita ſint, impetu ipſo doloris incurrente, planè depelli, atque excludi ſolent. ſenſimus hoc in nobis ipſis: nec parum nobis obfuit, hanc vniuerſam aduerſus dolorem commentationem non multò antè animo, ac mente percurriſſe, quamuis enim permultos Philoſophorum libros, vel de luctu, vel de morte ſatis accuratè legiſſemus, vt Theophraſti, Xenocratis, aliorum, quos commemorare nihil attinet: tamen hoc nõ ideò feceramus, quòd euenturum putaremus, vt iis ipſis in noſtro mœrore vteremur. itaque neque lectionem, quantùm oportuiſſet, accuratam, nec memoriam ſatis intentam adhibuimus. caſu autem repentino oppreſſi, non prius ad libros confugere potuimus, quin antè acerbitatis vi proſterneremur. quamquam poſtea tempore ipſo factum eſt, vt dolor nec, vt antea, acrior, & mens ipſa paullò eſſet ſedatior, & ad medicinam accipiendam magis idonea. Sed pergamus ad reliqua, quæ nec multa reſtant, & ſcitu, ac cognitione digniſſima: fructu autem ipſo, quem præcipuè quærimus, gratiora fortaſſe, & vberiora. Quid eſt ergo, quod aliquam nobis afferre dubitationem poſſit, cur nihil omnino noſtro-



rum morte dolere debeamus? credo, ſi quando nobis in mentem venit, magnam nos ex eorum, quos amiſimus, opera, ac ſtudio vtilitatem percepturos fuiſſe. at hoc non ad amicos, aut affines, quorum dolere videmur interitu, ſed ad noſmetipſos pertinebit. mercenarius igitur dolor fuerit, quique non ex affinitate, aut beneuolentia, ſed ex vna proueniat vtilitate. quid autem flagitioſius, & indignius, quàm eum, qui ſic doleat, fateri oportere, cùm tantopere alicuius morte crucietur quòd aliqua vtilitate priuatus ſit, ſi nihil ex eius vita beneficij ac cõmodi ſe conſecuturum ſperauiſſet, nihil ſibi omnino dolendum fuiſſe? At videamus, nõ Perſas, aut Scythas, ſed è media ciuitate noſtra clariſſimos, & præſtantiſſimos viros, ac ciues, qui non modò amicorum, cum quibus coniunctiſſimè vixerant, ſed etiam liberorum, & quidem cariſſimorum, interitum ita fortiter, & conſtanter tulerunt, vt cauſſæ nihil ſit, quin eos ſuperioribus Græcis comparare, atque etiam anteferre debeamus. atque hoc multò magis in illis mirandum fuerit, quòd in eorum obitu ſe fortiſſimos & conſtantiſſimos præbuerunt, qui non modò ipſis vtiliſſimi, ſi vixiſſent, ſed pænè ſoli vtiles ac iucundi eſſe potuiſſent. quid enim vtilius filio? quid iucundius vnico? at filium, & vnicum Q. Fabius, præterea Conſularem, qui iam magnas res geſſerat, & maiores cogitabat, amiſit. neque ſolùm non doluit, quod fortiſſimi animi fuit, ſed etiam mortuo laudationem in foro dixit: quo nihil fortius, aut laudabilius ne ex omni quidem antiquitate recenſeri poteſt. cuius orationem quis non admiretur inſignem ingenij, iudicij, ordinis pręſtantia? quo modo ille vel ea, quæ dixit, ſine luctu dicere, aut, quæ ſcripſit, ſine dolore cogitare potuit? cùm præſertim hoc in illa laudatione & admirari, & obſtupeſcere ſoleamus, quòd non, vt alij de ceterorum fortitudine diſputat, vt ſuum ipſe dolorem aliorum exemplo minuat, ſed in filio hærens, illius maximè virtutes, propriaſque laudes, quæ vel acerbiorem efficere doloris ſenſum poterant, longiſſimo ſermone perſequitur. quod ſingularis virtutis exemplum fortaſſe Horatij Puluilli laudem magna ex parte deminuere videatur: quem tamen ſummum virum ſilentio præterire nefas ducimus, cùm in eo ipſo, quòd filij mortem æquiſſimo ac fortiſſimo animo tulit, etiam Ioui Opt. Max. cuius ædem dicabat, gratiſſimum feciſſe videatur. nam Pontifex, inter ſolemnium verborum nuncupationem, poſtem tenens, vt filium mortuum audiuit, neque manum à poſte remouit, ne ſacra dirimeret, nec vultum à populo auertit, ne ſuum potius dolorem, quàm populi vtilitatẽ, ac ſalutem, cogitare videretur. Iam, quid L. Paullo inſignius, quid illuſtrius? qui filios pauciſſimis diebus duos ita perdidit, vt nullum pęnè doloris paullò acrius indicium ediderit, ac potiùs in ea cõcione, quam de rebus à ſe geſtis ad populum habuit, lætatus eſt, quidquid Populo Romano immineret aduerſi, totum id in ſe ipſum à Diis immortalibus eſſe conuerſum. Cum Sulpitio verò Gallo quis neget actum eſſe præclariſſimè? cuius innocentiam, ſapientiam, militarem virtutem, etiam inſignis in obitu filij fortitudo illuſtrauerit. quem vt numquam lubens tacitum dimiſerim, ſic ad Catonem properans exultare videtur animus, & quaſi in portum ex horrida tempeſtate delatus,

delatus, in ſapientiſſimi viri nomine atque exemplo conquieſcere. ne-
que enim maiori mihi admirationi eſſe ſolent clariſſimi hominis res
geſtæ, ac virtus, non ſolùm in luce patriæ, ſed etiam in congreſſu ho-
ſtium cognita, quàm fuit illa in filij morte, prætoris deſignati, in oculis
omnium ciuium fortitudo declarata. Atque horum egregia in do-
meſticis miſeriis, atque ærumnis facinora qui fortiter in ciuitate no-
ſtra imitati ſint, caſuſque fortunæ grauiſſimos patientiſſimè tulerint,
non difficile fuerit oratione complecti. nam & Quintus Martius Rex
cùm vnicum ſummæ pietatis, ſummæque virtutis filium amiſiſſet, dolo-
rem prudentia peruicit, & eo ipſo die, quo filij rogum ſpectarat, Curiam
ingreſſus eſt, Senatumq; iuſſit cōuenire. Craſſus verò in eo prœlio, quod
cum Parthis cōmiſit, occiſo filio tantum abfuit, vt doleret, vt etiam ex-
ercitum increpauerit, quòd vnius militis iactura tantopere commoue-
retur, hortatuſq; ſit, vt patriæ virtutis memores, pro Repub. fortiter di-
micarent, filij mortui vltionem ſibi vni relinquerent. Sed antiquior
P. Craſſus, vir clarus, & conſularis, P. Craſſi filij mortē & vidit, & mode-
ratiſſimè tulit. Nec ab eius laude abfuit, ac fortaſſe Craſſo præſtitit,
Cn. Cæpio, qui Cæpionem filium naufragio abſumptum ita nō doluit,
vt eum ne leuiter quidem è vultu, aut vlla corporis parte commotum è
familiaribus quiſquam vllo pacto ſenſerit. Iam quid Piſones, Scæuolas,
Brutos, Marcellos, Metellos, Lepidos, Aufidios enumerem? quorum ſin-
guli pluribus amiſſis filiis, vel vxoribus, vel parentibus nec lugendum ex-
iſtimarunt, & ſuam in illorum funeribus virtutem, atq; conſtantiam non
ſibi ſolùm, ſed etiam generi, nominique Romano glorioſam fore puta-
uerunt. Pudet in virorum grauiſſimis caſibus repetēdis longiori vti ora-
tione, cùm virorum maximè peculiaris virtus ſit, & in viris efflore-
ſcat ac vigeat maximè. quamobrem de fæminis potius dicendum eſt,
vt cùm eas fortiſſimas fuiſſe cognitum ſit, tum pudeat viros, à mu-
lierculis virtutis exempla petere, & ab iis ea virtute, quæ ipſorum pro-
pria eſſe debeat, videri aliquando ſuperatos. nam, ſi verum eſt quod
à Theophraſto alicubi proditum memoriæ mandauimus, orbem terra-
rum Theatrum quoddam eſſe magnum, diuina mente repletum, & cæ-
leſtis indicandæ ſapientiæ gratia tam multis vndiq; collucentibus orna-
mentis illuſtratum ac depictum, in eo autem medio collocatos eſſe ho-
mines à Deo, vt cum fortuna, dolore, morbis, egeſtate, caſibuſque per-
multis aſſiduè luctentur, Deum verò ipſum, quantùm quiſque pugnan-
do valeat, quamq; viriliter fortitudine diuinitus accepta vtatur, deſuper
aſpectare: hoc, inquam, ſi verum eſt, dubitari profectò non poteſt, quin
quemadmodum Populus Romanus in muneribus publicis inuiſos ha-
bet gladiatores, qui omni modo vitam impetrare cupiunt, fauet iis qui
contemptum eius prę ſe ferunt, itidem Dij immortales, ſi quos ex homi-
nibus nimis anxiè de vita ſollicitos, eiuſq; exitum detrectantes aſpiciant
iis aliquo modo ſuccenſeant, eos verò & caros habeāt, & muneribus pro-
ſequantur, qui ſi è vita reuocentur ipſi, vel ſuos reuocari videant, alacres
lętiq; Deo pareant, nihilq; propterea mali ſibi accidiſſe iudicent. quod ſi
fæminas præſtitiſſe intelligimus, cur iis imbecilliores, atque infirmiores
videri



videri velint viri? neque ſolùm vnam aliquam è multis fæminam, ſed
totam gentem, ac nationem, vt marium virtute, ſic fæminarum eximia
quadam magnitudine animi præſtitiſſe accepimus. Lacænas enim ma-
tronas traditum eſt, occiſis filiis vulnera inſpicere conſueuiſſe. ac ſi ad-
uerſos vulneratos eſſe comperiſſent, lætabundas funus ducere, eoſque in
auita ſepulchra inferre ſolitas eſſe, contrà verò, quos auerſis vulneribus
conciſos agnoſcebant, ab iis refugientes, clam ſepeliendos curabant, nec
vllo prorſus honore funeris proſequendos ſtatuebant. tantū in fæmineis
quoq; animis decus poterat, & ſtudium gloriæ. qua ex gente etiam illud
ad nos præclarum dimanauit, matrem quandam filium, ſenis cōfoſſum
vulneribus, intuentem nec ingemere voluiſſe, nec coronam è capite de-
ponere, ſed ad comites conuerſam, ita locutam, Quantò pulchrius, &
optabilius eſt, in acie victorem animam efflare, quàm in Olympio certa-
mine parta victoria viuere? at alia filium in prælio interfectum audiens,
iccirco, inquit, genueram, vt mortem pro patria fortiter occumbere non
dubitaret. Quid his fæminis facias, aut, quo non honore, ac gratulatione
dignas putes quæ de patriæ dignitate, deq; gloria ſollicitæ, honeſtā mor-
tem cuiuis ſaluti, ac lucro anteponerent? Age verò, num Lacænis Roma-
narum virtus inferior? par fortaſſe, niſi malis etiam ſuperiorem appel-
lare. quàm fortis enim, & quàm magnifica illa Corneliæ vox, quæ duo-
decimo iam fœtu amiſſo, cùm Tiberium, & Caium filios interfectos
ſpectauiſſet, nullo timore perculſa, nulloque dolore confecta, Nun-
quam, inquit, ego me non felicem dixerim, quæ Gracchos pepererim.
fortem verò fæminam, & cuiuis ex veteribus mentis præſtantia, ac ma-
gnitudine animi conferendam. non enim dolori conceſſit, ſed potius, cū
virtute viciſſet, victrix de dolore triumphum egit. Nihil iam Rutiliam
miremur, quæ C. Cottam filium in exſiliū ſecuta, cùm poſtea reuerſum
in patriam amiſiſſet, nemo eam lachrymantem poſt elatum funus vidit.
parique fato Clodia vſa eſt, quę Decium Brutum filiū, conſularem, mor-
tuum ſuperſtes vidit, neque tamen eius obitum non fortiter, & patienti
animo tulit. quæ virtutis non vulgaria in fæminis exempla mirari aliquis
poſſit, qui ſexus imbecillitatē ac mollitiē cogitet. at verò, qui fortiſſimis
genitas parentibus, & fortibus etiam auis maioribuſq; prognatas recor-
datus fuerit, nihilo ab eis minorem vel prudentiā, vel animi magnitudi-
nem requirat. Eſt ergo vlla res tanti, aut cōmodum vllum tam expeten-
dum, vt, illo amiſſo, ne prudentiam quidem retineamus? quæ ſi vlla in
nobis reſidet, nos profectò vel auitæ, vel patriæ virtutis admonet, nec de
Piſonibus, Fabiis, Brutis, Marcellis cogitantes, quos imitemur, & à qui-
bus ortum ducamus, immemores eſſe patitur. Horum enim armis im-
perij fines producti ſunt; horū ſanguine parta ac ſtabilita libertas: horum
denique labore, ac ſtudio Reſpublica ad tantam peruenit ſiue bellicæ
laudis, ſiue domeſticæ virtutis gloriā; quorum in veſtigia pedem ponere
oportet qui laudabiliter viuere, quiq; honeſtis in actionibus exerceri vo-
lunt, nec vllo mentis errore ad nimium dolorem atq; inſaniam traduci.
Nominauimus externos magnos, claroſq; viros, collegimus de noſtris
plurimos, quibus mortis ſenſus non modò ingratus, ſed etiam optatus,

 & iu-

& iucundus accidit. Addatur, ſi placet, etiam Theramenes, qui veneno epoto, maxima æquitate animi, ludens in morte, quod erat in poculo reliquum Critiæ propinauit. Ergo ille in ſua morte vir clarus, & ſapiens ludebat, nos in filiorum aut affinium morte lugebimus? & veterum dicta quotidie legentes, atque addiſcentes, præclara ducemus, exempla repudiabimus? aut eam vitam, quæ mortem hanc conſecutura eſt, immortalem, beatam, à miſeriis omnibus vacuam, negligemus? quamuis enim nudum corpus, & exanime diſcedens relinquat animus, nec amplius liceat homini, qui è vita diſcedat, ſuis opibus, bonis, diuitiis perfrui,

*Aſtante, vt ille ait, ope Barbarica,*
*Tectis cælatis laqueatis,*

Tamen multo maioribus & bonis, & opibus, quæ nulla vetuſtas abſumet, nulla vis eripiet, piorum mentes aſſiduè potiuntur. Sed dimittamus & exempla clarorum hominum, & illorum virtutis impreſſam hiſtoriis memoriam: veniamus ad id, quod vnuſquiſq; ſenſu percipit, quantumque ex morte conſequamur emolumenti, ac commodi, re ipſa factiſque probemus. ex qua docendi, ac diſputandi ratione perſpicuè veritas eluceſcit, quidq; hoc modo ſe habeat, vel illo, facilè poteſt perſpici. Si quiſquam eſt, qui ſecundos in omni vita rerum exitus adipiſci, & conſequi poſſit, nihilque timeat aduerſi, hunc nemo infitiari poterit, iure dictum, ſi vitam ſibi morte multis partibus meliorem affirmet. atqui nemo eſt, qui non modò miſerias, atque ærumnas ab humana vita ſegregare, ſed ne ſemihoram quidem felicem ſibi, ac beatam polliceri poſſit. Metelli ſibi fortunam ſperant omnes: Priami ſobolem, ac regnum exoptant alij: quaſi non & Metellus tam multos nactus filios, ac nepotes, cùm maximè beatus eſſe poſſet, inuitus obierit, & Priamum non omni orbatum progenie, ſummoque dolore confectum, hoſtilis manus interemerit. His vitam ſi mors aliquot antè annis ademiſſet, è multis eos miſeriis ac luctibus ſimul eripuiſſet. quos icciro experti ſunt, quia vitam diutius, quàm ipſorum requirebat felicitas, produxerunt, hinc illa miſerabiliter decantata:

*Hæc omnia vidi inflammari,*
*Priamo vi vitam auferri,*
*Iouis aram ſanguine turpari.*

Quæ non modò viſu, ſed etiam auditu acerbiſſima ſunt, quid putamus miſero Regi, qui omnia & videre, & audire, & experiri coactus eſt? num ei multò melius eueniſſet, ſi vitam omnino multis antè annis, quàm hæc acciderent, amiſiſſet? Forſitan quiſpiam dixerit, multa, quæ viuens nactus eſt, bona, citò decedens, penitus reliquiſſet, ſed à malis etiam multò grauioribus, qualia multa ſæcula non viderunt, feliciſſimè liberatus eſſet. Ex quibus omnibus, multiſque aliis perſpicuum eſt, peruertere homines ea, quę ſunt humanę fundamenta felicitatis, cùm vtilitatem à morte ſeiungũt, aut cũ miſeriã cum morte connectunt. L. Craſſum, ex noſtra ciuitate clariſſimum, & eloquentiſſimum virum, matura mors, quantis è moleſtiis quantiſque incommodis eripuit? nam, qua in patriam pietate fuit, ex iis malis, quæ mortem eius conſecuta ſunt, incredibilem


dibilem, ſi vixiſſet, dolorem accepiſſet. flagrauit enim bello Italia, exarſit Senatus inuidia, nihil denique in ciuitate fuit, quod non eius temporis calamitatem luctumq; perſenſerit. Nam quid fugam Marij, quid cetera, quæ in illius diſceſſu acciderunt, maximè luctuoſa, ſummeq; miſeranda commemorem? quid reditũ illum ſanguinarium, cuius ex recordatione nemo eſt, qui non intimis ſenſibus exhorreſcat. tenemus enim memoria, aut ſaltem ex patrum ſcriptis accepimus, crudeliſſimam omnium cædem illo tempore eſſe factam, trucidatos bonos viros, & ciues, inciſas eorum ceruices, in Roſtriſque poſitas, qui multorum ciuium ſalutem, ac dignitatem eloquentia peperiſſent. quàm multos ex illa Reipub. tempeſtate cõmemorare poſſumus, innocentiſſimos homines, atque optimos, vt acerbiſſimam calamitatem effugerent, libertatem morte quæſiſſe. O acerbum, ac nemini non pœnitendum Reip. ſtatum conditionemq; viuẽdi! cùm eos ipſos, qui Rempub ſuo labore, ſuoq; ſanguine auxerint, iuuarint, ſeruarint, nuſquam tutos, nihilq; magis, quàm propinquorum manus ac gladios, timentes, horreſcenteſq; videas. illorum autem, quorum ope, atque auxilio ſeruatus ſis, cùm horribiles, miſeroſq; caſus ſpectes, nulla tamen ratione opitulari, nihilque afferre adiumenti queas. quis neget iis ipſis, qui hæc intueri cogantur, mortem eſſe non modo detrectandam, ſed etiam optandam? qui autem, ne in horum temporum flammam incidant, mortis beneficio conſecuti ſint, eos verò beatiſſimos iure omnes exiſtimabunt, qualem fuiſſe L. Craſſum, niſi res ipſa probauiſſet, nihil eſſet, cur oratione perſuadendum videretur. Sed hæc paullò antiquiora, quàm, vt omnibus in memoriam redigi, ac cogitatione comprehendi poſſint. Pompeij autem noſtri familiaris caſu, quid in ciuitate notius, quid illuſtrius? aut quid omnium oculis, ac mentibus perſpectius, & clarius? hunc, ſi maturè extinctus eſſet, nihil doloris, nihil inuaſiſſet mali. quòd tam diu in vita manſit, icciro factum eſt, vt ſingularis calamitatis exemplum omnibus prębuerit, cui eò luctuoſior fortunæ acerbitas viſa eſt, quò feliciore, ac ſecundiore fortuna in omni vita vſus erat. quis enim vniuerſis ciuibus aliquãdo carior? quis in toga vel rebus geſtis, vel honoribus extra ordinem delatis, clarior? quis opibus, propinquitatibus, amicitiis florentior? cui nihil prorſus ad ſummam abſolutamque felicitatem, præter honeſtum, ac iucundum vitæ exitium, deeſſet. Sed videamus, quantum in rebus humanis fortunæ poſſit iniuria. niſi malimus ad propriam mortalis vitæ nimis aſperam, miſeramq; conditionem omnia mala reuocare. qui enim ampliſſimis fortunis vſus erat; qui nihil, niſi ſublime ac beatum nec cogitare, nec optare conſueuerat; cui omnia vel ad vſum, vel ad voluptatem ſupererant, bellum cum ſocero ſuſcepit; deſeruit domum, profugit ex Italia; & cùm antea nihil in ceteris bellis, niſi ſummo conſilio, prudentiaq; geſſiſſet, cùm vel maximè ingenio, iudicioque excellere debuiſſet, ſui pænè oblitus eſt. itaque imbelles, & infirmas copias, tirones, collectitioſque milites cum robuſtiſſimis legionibus conferre non dubitauit: & amiſſo exercitu ereptiſque caſtris turpiſſimè victus, in ſeruorum manus vir ſummus, & clariſſimus incidit. vita verò vt miſerabiliter priuatus ſit, commemorare nihil eſt neceſſe: cùm

cùm eo ipſo, quòd in tam miſeram fortunam delapſus, vitam citò amiſerit, minus fortaſſe miſer cenſeri poſſit, beatiſſimus autem obiiſſet, ſi, cùm in Repub. florebat, cùm valebat auctoritate & gratia, cùm copiis opibuſq́ue affluebat, è vita deceſſiſſet. cuius propagatio quantum illi mœroris ac luctus attulerit, non modò ſcribendo, ſed vix etiam cogitando conſequi quiſquam poſſit. Itaque hoc ſtabilito, & fixo, mortem ſæpiſſimè beatam homini contingere, non ſolùm, quòd nos in beatam vitam inducat, ſed etiam, quòd multarum, magnarumq́ue miſeriarũ ſenſu liberet, & à futuris vel calamitatibus, vel doloribus abſtrahat, quid iam relinquetur, cur non morte lætari, ac clarorum hominum virtutem, qui nullius interitu perturbati ſunt, imitari debeamus? An non optimam beatamq́; mortem iudicabat L. Brutus, cùm Tyrannum arcens, quem expulerat, vitam pro nihilo ducebat? item Decij, quo tempore, cũ Latinis pro patria dimicantes, ſeſe hoſtium telis obiiciebãt? præterea Scipio, Paullus, Marcellus, Albinus, quos vitam in acie iuuandæ patriæ cauſſa fortiſſimè profudiſſe memoriæ proditum legimus. Et verò nihil fuit, quamobrem elato excelſoq́; animo homines vitam non deſpicerẽt, vt ſempiternam gloriam conſequi poſſent. nam cum nullo, vel certè minimo doloris ſenſu, quẽ morientes perferunt, infinitam laudem commutabant. hunc enim locũ de exiguo, vel nullo potius dolore mortis, quem ſuprà perſtrinximus, paullò vberius percurramus. Neque enim abſurdè dixiſſe mihi videtur is, qui morientium mortuorumq́; hominum ſtatum, & conditionem duabus potiſſimum ex rebus percipi atque intelligi poſſe affirmauit; quarum vnam ſomnum ſtatuit, alteram verò tempus illud, quod noſtrum cuiuſque ortum anteceſſit. & ſanè ita eſt, vt ex omnibus opinionibus, quarum errore duci vulgus ſolet, cùm de morte loquitur, nulla planè ad veritatem videatur eſſe propenſior. ita enim multi viuunt, vt præſentibus bonis fruantur, nec ſanè cogitent, quid paucis poſt annis vel ipſis, vel ceteris boni aut mali poſſit euenire. Itaque ſæpe nõ opinatis morbis, perturbationibus, angoribus vexantur. mortis verò, de qua potiſſimùm cogitare debuerant, ita non reminiſcuntur, vt ad ſe minimùm illam pertinere, nec ſua quidquam intereſſe exiſtiment. qui, vt Panœtius Africanum dicere ſolitum tradit, ferociores equos domitoribus tradendos eſſe, vt paullatim parere, ſeq́ue mitiores, ac molliores præbere incipiant, ſic ipſi in gyrum fortitudinis ac patientiæ reducendi ſunt, ne, ſi mors imprudentes oppreſſerit, perterreantur, planeq́ue concidant. Sed neſcio quomodo voluptate, luxuq́ue delinita hominum conſuetudo de recta maiorum via deflexit, eoque ſenſim delata eſt, vt nihil minus, quàm verum agnoſcat, nec, cùm aliquid agitur, rectum id nec ne ſit, magnopere cogitet. qua nulla maior peſtis ac pernicies humanis rebus, valde iam labefactatis, potuit afferri. atqui, ſi in vllo homine, certè in his ipſis vulgare dictum & verum, & acutè cogitatum eſſe deprehẽditur. quid enim iſti aliud agunt, niſi totos dies per inertiam perdunt, atq. ita viuunt vt ſtertere potius, quàm vllo pacto viuere videantur. dormiens autem vt nihil ſentit, nihil agit, nihil curat; ſic mortuus, quid agere, quid curare, aut ſentire poſſit, haud ſanè intelligas. itaque in





fabulis, quos dij maximè adamarunt, eos, ne imminentem aliquam calamitatem ſentire cogerentur, ſi vigilaſſent, à Diis immortalibus conſopitos eſſe accepimus. mortem igitur, ſiquidem ſomno ſimilis eſt, ſingulis noctibus induimus, & cùm in ſomno ſenſus ſit planè nullus, nullum etiam in morte futurum eſſe ſenſum, veriſſimè ſtatuere debemus: quod vt ſenſu ipſo planè percipitur, ſic ne de altero quidem dubitari vllo pacto poteſt, quin, quales antè, quàm oriremur, fuimus, tales etiã mortui futuri ſimus. mors enim quemadmodum ad eum, qui nondum ortus eſt, nihil pertinuit, ſic ne ad eum quidem, qui mortuus eſt, vlla ratione pertinebit. ad morientẽ verò vel nihil, vel parum certè pertinet. ſiquidem tam anguſto ſpatio tamq́ue breui curriculo coercetur, vt nec ſi velit quidem, vires ſuas nimiùm porrigere aut explicare poſſit. Quæ eſt igitur eorum oratio, qui tantum in morte dolorem ſe timere, atque expaueſcere dictitãt? quamquam non ſanè video, quo modo aliter facere poſſint: qui enim mortem nunquam experti ſint, quam ſemel homo ſubiturus eſt, quo modo, bona malàne ſit, verè ſentire ac diiudicare poſſunt? Morientes aiunt cruciari, angi, diſtorqueri. quod in nonnullis fortaſſe animaduerti, atq. obſeruari potuit. in quo tum iſti aliquid dixiſſe videri poſſent, ſi hoc ex ipſo mortis ſenſu penderet: nam, ſi mors ipſa dolore ſuo corpus vſque eò cruciaret, atque angeret, vt hęc doloris edere indicia cogeretur; negari profectò non poſſet, quin dolorem non leuiſſimum mors ipſa eſſet allatura. Cùm verò huiuſmodi cruciatus pauciſſimos angat, & eos maximè, qui intemperanter, flagitiosè, nefariè vixerint, nunc dubitari non poteſt, quin tales homines nõ mors, ſed admiſſorum ſcelerum conſcientia vexet, habeatq́. ſollicitos. qui enim ſe morituros numquam crediderint, ac ne cogitarint quidem, cùm ad ipſam mortem peruenerint, anguntur non dolore moriendi, ſed quòd è vita inuiti diſcedunt. in qua cùm omnia ſecunda feliciaque experirentur, ne ſecus mortuis accidat, valde vereri, ac dubitare coguntur. At bonis, qui mortem ſemper, tamquam præſentis tempeſtatis portum, in ore, ac ſermone habuerint, quiq́ue ex huius vitæ procellis, mortis beneficio, aliquando egredi ſæpiſſimè concupiuerint, nihil libentius aut iucundius mentione, ac nomine ipſo mortis accidit. Atque in iis etiam præſtans, planeq́ue admirandum deorum munus agnoſcitur. bonos enim, & quidem plurimos, nõ modò cum exiguo dolore, vt optare homines vulgò ſolent, ſed omnis planè doloris expertes ex hac vita egreſſos, ſine vllâ dubitatione reperias. ex quibus Q. Fabius Conſulatũ adeptus, cùm in Curiâ prætereuntes ſalutaret, nihil dolens, nihil moleſti ſentiens, immò planè gaudens, è vitâ diſceſſit, atque idem cõtigit A. Pompeio, cùm in æde Iouis Capitolini ſacra feciſſet, itemq́; Thalnæ Conſuli, Diis immortalibus ſupplicanti. quid hos in ipſo mortis articulo doloris expertos exiſtimes, qui paullò antè læti viuebant, & in eo, quo moriebantur, puncto temporis, nihil lugubre teſtati ſint, nihil flebile dixerint? Morte inquies, oppreſſi ſunt. at ſapientiſſimi, & optimi viri; quibus mortem, tanquam beatæ vitæ initium, dij immortales largiri voluerũt. quam eò fortaſſe iucundiorem ipſis fore videbant, quo minus eo tempore tantum boni exſpectauerant, ac ne ſperare

quidem poterant. nam cùm mors è diuina voluntate tota pendeat, haud ſanè in hominis poteſtate eſſe poſſit, quo potiſſimùm die, quaq; conditione mori velit. Nec verum eſt quod dicitur à quibuſdam, mortis eundem omnibus hominibus diem, ac terminum diuinitus eſſe cõſtitutum: vt autem vel citius vel ſerius moriamur, ſingulorũ hominum vel intemperantia, vel negligentia contingere. nam, vt illud veriſſimum eſt, præfinitum eſſe vitæ terminum à Deo, quem præterire, aut ex quo egredi nemini liceat, ſic illud affirmare nemo poſſit, eundem omnibus, eademque hora vitæ finem impẽdere quod ſi agnoſceremus, nihil ſanè eſſet, cur homini prudentiam, temperãtiam, pietatem, tribueremus. quæ omnes planè virtutes, ſi hoc conſequeretur, non modò inutiles, ſed penitus inanes viderentur. cur enim prudentia vteretur homo, cur abſtinentia, cur temperãtia, ſi eodem, quo reliqui omnes, temporis ſpatio vitã eſſet terminaturus? Vt diutius, inquis, vitã producere liceret. at, ſi vitæ terminus fatalis eſt, nec immutari quidẽ poſſe neceſſe eſt: ſin voluntarius, & in hominis arbitrio poſitus, nihil eſt, cur, eundem omnibus à Deo conſtitutum eſſe, quiſquã affirmet. Sed de his ſtatuat vnuſquiſque ut libet. quid autem verius ſit, Deus ipſe viderit; hominẽ quidem ſcire arbitror neminem. ſtet modò nobis illud, doloris eſſe nihil in morte; boni autẽ tantum ex ea ad homines permanare, quantũ ſperare multi poſſint, cogitatione quidem aſſequatur nemo. itaque hoc diuinitus hominibus datum eſt, vt quoties moleſti aliquid experiantur, tum mortem exoptent, ac votis etiam conceptis ſæpe implorent. quid ita? quia bonam, vtilemq; eſſe mortẽ, coguntur agnoſcere; malam autem, aut acerbam eſſe numquã poſſe, homini à natura inſitum eſt. itaque dolore perculſi mortem imploramus, eamque vnam, vt miſeriarum malorumq; terminum, exoptamus. Admonet me locus, vt, cùm neminẽ ipſa morte magnopere cõmoueri debere probatum ſit, iis præcipuè dolendum nihil eſſe contẽdam, quos mors cũ laude oppetita conſolari poteſt. ſatis enim diu vixiſſe putandi ſunt, qui vitã honeſtè clauſerunt. eoſdemque è vita abeuntes non modò laus, ſed etiam perpetua voluptas, delectatioq; proſequitur. quę ſanè eò maior in animo exoriri, ac vigere ſolet, quò latior alicuius in colendo officio, vitaque honeſtè ducenda manauit induſtria. certè enim, cùm ad rectè agendum natus homo ſit, ideoque mentis, & rationis munere, præ ceteris animantibus ornatus, atque inſtructus, vnde potius laudem, ac voluptatem, quàm ab honeſtis actionibus, petat? An, vnde ortum duxerit, obliuiſcatur? ille verò nec ſui oblitus eſt, qui rectè vixit, nec iniquo animo mori poteſt, cùm multos relinquat ſuæ teſtes memoreſque virtutis. quanto autem gaudio exſultare credendus eſt illorum animus, qui corporis admiſtione ſolutus, in cæleſtes ignes, ſempiternaſque domos, vnde exierat, reuertit? profectò enim ex diuina mente delibatos habemus animos, qui hac mole incluſi, tamquam terræ grauitate, ſic ipſi nimio pondere corporis opprimuntur. vbi autem ſoluti corporibus ad proprias ſedes euolauerunt, tum verè viuunt, nec libidini, voluptati, dolori ſeruiunt; ſed ſui compotes, nulla re anguntur, nihil requirunt, omnibus imperant. Rectè igitur dictum eſt, corpus terram eſſe, mẽtem autem, ignem de cælo ſum-





ptum. id quod clarorum virorum acta cum virtute vita, præclaræque actiones facilè teſtantur. quo modo enim aut omnia humanæ vitę commoda contemneret, aut voluptates cunctas pro nihilo duceret, aut vitam ipſam laudis honeſtatiſque gratia profunderet, qui nihil quidquam ad ſe, præter hęc ipſa mortalia, quæ manibus cõtrectat, quę terit pedibus, pertinere cogitaret? verùm hæc non ita ſe habent. corpus enim è terra concretum, tam diu terreſtrium rerũ amore ducitur, quoad in terram ipſam, vnde ortum duxit, reuertatur: animus verò, qui è cælo ſumptus eſt, ſempiternum quiddam, & cæleſte appetit, nec iiſdem, quibus corpus, finibus cogitationes coercet ſuas. itaq. nũquam quieſcere, nec verè viuere putãdus eſt, quamdiu corpore cõcluſus, inuitus propemodum mortali labe, terreniſq; vinculis cohibetur. At illa quanti ſunt, grauiſſimis vitæ laboribus liberari, in mediis doloribus, & ærumnis obdormiſcere & quaſi emiſſos è moleſtiſſima vitæ cuſtodia, in iucundiſſimam, ſuauiſſimamq; domũ remigrare? huc enim pertinent quæ de piorum quiete, deque voluptate illa, qua egreſſi è vita perfrui dicuntur, diſputari à ſapientibus ſolent. qui cùm intelligerent, non fortuitò, aut temerè ſatos, & creatos homines eſſe; nec eadem mereri bonos, qui multis exantlatis laboribus vitam in medio dolore amiſiſſent, & improbos, quorum in patrandis flagitiis ſemper eſt animus cogitatioque defixa; iccirco nõ eundem probis, & improbis vitæ terminum, nec eadem mortuis præmia ſtatuerunt. Qua nos recordatione potiſſimum refici, ac recreari decet, qui cariſſimam filiam, optimeq; de nobis meritam ita vixiſſe ſcimus, vt ad optimos mores, ſummamq; prudentiam nihil poſſet accedere; & ita mortuam, vt in dolore, quem ex partu contraxerat, ſummam animi magnitudinem, ſummamque conſtantiam præſtiterit. cuius mentio nobis, dolore iam, ſi non penitus extincto, certè magnopere leuato, non ſolùm non acerba, ſed etiam iucunda accidit. quî enim aliter debet? cùm nec ipſi quidquam acciderit mali, nec ego vlla re, quæ tantopere cum natura congruat, & cum omnibus hominibus communicet, angi aut perturbari debeam. Quid ergo mihi reſtat? nihil ſanè, niſi, cùm ea diuino potiſſimùm beneficio vitæ munere perfuncta ſit, vt ad eam maximè viuendi conditionem cogitationem meam mentemq; referam, qua nunc ipſam perfrui credimus, ac ſi, quod ęquum eſt, fateri velimus, etiam intelligimus. qua ex meditatione eò maiorem voluptatem percepturus ſum, quò meliore illa nunc ſtatu, quàm quem viuens experta eſt, ſine vlla dubitatione perfruitur. quid enim boni non merita eſt, quæ nihil vnquam egit, ac ne cogitauit quidem mali; & iis angoribus ac malis, quæ viuenti obiecta ſunt, ita patienter perfuncta ſit, vt non ſecus de aduerſis, quàm de ſecundis rebus, Diis immortalibus gratulari, gratiaſq; agere ſoleret? & cùm nihil, niſi rectum, honeſtumq; cogitaret, tamẽ vna conſcientia cõtenta, nec ſua benefacta in luce collocari, nec ſibi quidquam propterea laudis, aut gloriæ deberi arbitraretur. Quæ ergo ita animata fuerit, vt de ſe quidem minimum, de recta mente, ac de æquitate plurimùm laboraret, an non diis ipſis cenſemus maximè gratam & probatam fuiſſe? in qua non ficta, & adumbrata, vt in multis, ſed maximè ſolida, & expreſſa virtutis elucebat

effigies.nam, cùm eam talem natura genuiſſet, vt quod pulchrum, rectumq; agnoſcebat, ſua ſpõte ſequeretur; tamẽ eo non contenta, ſumma vi rationis, prudentiæq. perfecerat, vt nulla re minus, quàm natura duce, egere videretur. itaq; qui eius inſtituta, & mores paullo diligentiùs inſpexiſſet, qui regundæ familiæ ſollertiam, qui ſummum in cunctis rebus ingenium, ſingularemq. doctrinam aduertiſſet, haud fuiſſet ſanè, quod aut virilem in intelligendis, iudicandiſq. rebus prudentiam, aut exquiſitam patrisfamilias ſollertiam requireret. itaque quibus maximè rebus egere ſæpe homines ſolemus, fortitudo & prudentia, hæ ita in muliere abundabant, vt ſui mæroris medicinam non peteret foris, ſed in ſeipſam ſpectans, ex ſua ſemper virtute penderet. Quanto autem grauiores, ac difficiliores animi morbi ſunt, quàm corporis, eo magis mirandum eſt, talem extitiſſe illam, cuius fortitudini corporis mala parerẽt, prudentiæ verò omnes animi morbi facilè cederent. itaque quanquam ex calamitate temporibusq; noſtris moleſtiæ plurimũ traxerit, numquam tamen animo perculſam, aut deiectam ſenſimus. angebatur patris exſilio, totiuſq. familiæ luctum, bonorumq; direptionem inuita videbat: ſed matri tamen conſilio, prudentiáque aderat; & rebus in magnum ſæpe diſcrimen adductis, reditus ſpem nobis afferre numquam dubitauit. ita, quantum ex calamitate doloris, tantundem ex filiæ ſuauitate, ac pietate ſolatij capiebamus. quod vt eſſet diuturnius, ſi commodum noſtrum, aut eam, quæ omnibus antiquiſſima eſt, liberorum caritatem cogitaremus, magnopere optare debuimus. at, cùm illam corporis vinclis ſolutam, omnibus exutam miſeriis, & immortalitatis compotem factam, animo reputamus, nõ modò in dolore conquieſcimus, ſed etiam præcipuè lætamur. quid enim mihi accidere lætius poteſt, quàm de immortalitate animorũ cogitanti, de filiæ ſimul æterna beataq. vita cõfidere? animos enim eſſe immortales, ne dubitandum mihi quidem videtur. faciam autẽ non inuitus, vt ſapientiſſimorum hominum percurram hac de re ſentẽtiam, quando me in hunc locum deduxit oratio. Neque verò hæc ita diſputanda cenſeo, vt animos icciрco non interire probari poſſit, quòd mortuorum corporibus vis quædam ineſſe veneratione digna putetur, quæ ſignificare debeat, nõ deleri morte animos, ſed immortalium animorum veluti ſepulchra quædam, mortalia corpora fuiſſe. quaſi non & maiora, & firmiora multa ſuppetant, quibus planum fieri poſſit, qui animos ſimul cum corporibus interire contendat, eum contra rationem, nulla nixum ratione, pugnare. quòd ſi auctoritas quærenda ſit, quem grauiorem nominare auctorem poſſum, quàm eum, quem Apollo ipſe ſapientiſſimum omnium pronuntiauit? cuius teſtimonium tale fuit, vt diuinos eſſe hominum animos, & eos, corpore ſolutos, in cælum remigrare, vnde priùs veniſſent, in omni ſermone aſſeueraret. in quo cum Philoſophis illis conſenſit, quos quondam Italicos nominauit antiquitas, maximeque nobiles iudicauit: quorum ſemper conſtans fuit opinio, demitti animos è cælo, diuinæque mentis eos eſſe non ſolùm munus, ſed etiam partem præcipuam, ac propriam. quòd ſi ſecus eſſe quiſquam putet: haud ſanè facile, quid multis, & firmiſſimis in hanc ſententiam argu-



argumentis reſpondere poſſit, inueniet. Sic enim planè cognoſci ac ſenſu ipſo diiudicari poteſt: ſummam eſſe pæneque incredibilem in animis celeritatem, ac feſtinationem, cuius ope, quæ corpus non modò certo menſium, ſed vix etiam annorum ſpatio perficere, atque exſequi poſſet, ea ipſi non modò ſemel puncto temporis percurrere, ſed etiam ſæpius excogitare, & repetere facillimè queant. quod ſi mirum videtur, cur non admirabilius cenſeatur, meminiſſe animum tam multa, innumerabilibus antè ſæculis geſta: quæ futura ſunt, cogitando proſpicere, ac non modò præſentia, ſed etiam præterita, & futura, veluti Deum, omnia complecti, ac ſub oculos ſubiicere conari? quis dubitet, cùm hæc intelligat, eademque in ſe ipſo agnoſcat, diuinum eſſe animum, nec, ſi diuina æterna ſunt, ipſum eſſe mortalem? cùm præſertim duabus ex rebus, quæ præcipuè in animo ſunt, illius æterna natura facilè intelligi ac deprehendi poſſit. hæc autem ſunt, motus, qui in eo præcipuus eſt, principium, ac perpetuitas. cùm enim ex ſeipſo moueatur, nec aliunde, vt cetera, principium motus mutuetur, ſumma autem in eo, quamdiu in corpore eſt, perpetuitas motus appareat: quippe quæ etiam in dormiẽtibus agnoſcatur, & vigeat: icciрco dubitari nullo modo poteſt, quin diuinus ſit, & ſempiternus futurus. & ſanè ita eſſe ratio vincit, & rerum probat exitus. Dei enim imago quædam animus eſt, ex ipſo Deo delibata, ac profecta. quòd ſi Deus immortalitate fruitur, cur eam partem, quam ex ſeipſo ſumpſit, mortalem eſſe velit? quin hoc ipſo ſingularem, & eximiam diuinam eſſe vim indicandum putauit, quòd non ſolùm ipſe immortalis ſit, ſed etiam, quos velit, ſuæ naturæ compotes, & planè immortales efficiat. Corpus autem voluit eſſe mortale. nec immeritò. cùm è terra, cuius mutationi ſubiecta natura eſt, initium duxerit, & in eam ipſam, vitæ curſu confecto, abire debeat. Sed animus profectus à Deo, cælum ipſum appetit: nam in eum locum, vnde diſceſſit, ſemper optat redire. terra autem ſi cui appetenda, corpori ſoli eſt. at verò animis æterna cæli ſedes quærenda, eaque propria illorum patria: ſiquidem animorum nulla in terris origo inueniri poteſt. nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe videatur. nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat: quod & præterita teneat, & futura præuideat, & complecti poſſit præſentia quæ ſola diuina ſunt, nec inuenietur vnquam, vnde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo. ſingularis eſt igitur quædam natura, atque vis animi ſeiuncta ab his vſitatis notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & diuinum eſt, ob eamque rem æternum ſit, neceſſe eſt. nec verò Deus ipſe qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno. itaque eandem æternitatem animis quoque noſtris, ex ſe ipſa exortis, impartiuit. quorum ex cogitationibus atque operibus nihil aliud, niſi diuinos eſſe illos, & ſempiternos, colligere poſſumus. nam ſi ædificiorum magnitudinem atque ornatum, ſi monumenta litterarum, ſi pecuniæ vim infinitam in

res maximè ſtabiles, & admirandas effuſam, ſi plurimarum maxima-
rumq́ue rerum adeptionem cogitare voluerimus, profectò intellige-
mus, hæc numquam facturum fuiſſe hominem, niſi diuturnitatem tem-
poris, ipſamq́; æternitatem plurimùm ad ſe pertinere exiſtimaret. Iam,
ipſa gloriæ cupiditas, honorum ſitis, opum ac diuitiarum aſſidua procu-
ratio, quid aliud indicat, niſi cogitare hominem in poſterum, nec eodem
veſcendi viuendiq́; ſtudio, quo ceteras animantes duci videmus, huma-
num animum detineri. Sed hæc abiectiora, atque humiliora, nec vllis,
niſi ſanè anguſtis naturę terminis, circumſcripta. Quid illa imprimis gra-
uia, atque præſtantia, nec vlli planè in terris degenti, niſi ſoli homini, tri-
buta? contemplatorem eſſe ipſum cæli, rerumq́ue cæleſtium: frui ma-
gnarum obſcuriſſimarumq́ue rerum ſcientia, quæ vel ad excolendos ad
integritatem, atque innocentiam mores, vel ad comparandam Solis
aſtrorumq́; cognitionem, vel ad exercendam in abditis, obſcuriſq́ue re-
bus memoriam mentemq́ue pertineant. nónne hæc ipſa tanta, ac talia,
diuinum eſſe animum oſtendunt, nec illius naturam aliunde, quàm è cę-
lo, delibatam ac deductam? An cenſemus, ſi vnà cum corporibus animi
interirent, aut ſapientiſſimos homines tam æquo animo mori poſſe, aut
tam iniquo planeq́ue inuito ſtultos & fatuos? Socratem ferunt, morti
proximum, de piorum immortalitate, beataque vita, quæ mortem con-
ſequitur, diſputauiſſe, itaque læto, ac libenti animo letale illud poculum
hauſiſſe, quaſi non ad mortem, ſed ad regnum atque imperium vocare-
tur. At verò, quorum animus in terra defixus hæret: qui nihil, niſi mor-
tale, terrenumq́ue cogitant, eos planè repugnantes atque inuitos è vita
diſcedere videmus. nec immeritò. cùm animorum æternitatem pro-
pius iam intuentes, crucientur mirum in modum, quaſi flagitioſè actam
vitam pœna etiam ſit immortalis conſecutura. Atque illud etiam (ô
ſtultum hominem dixerit aliquis & naturæ ſuæ penitus ignarum) nemi-
ni obſcurum eſſe poteſt, ex ipſis etiam ſacris cæremoniiſq́ue maiorum
æternam hominis vitam facilè cognoſci, atque intelligi poſſe. neque
enim illi aut mortuos tanto honore coluiſſent, aut tam multas tamq́ue
varias ſepulchrorum cæremonias poſteris tradidiſſent, niſi cognitum
perſpectumq́ue habuiſſent, vigere animum in morte, nec, quamquam
corpus occidat, hominem ipſum penitus euaneſcere. itaque ſtatuiſſe
videntur, mortem ipſam non eſſe humanæ vitæ confectricem, nec ex ea
ſequi interitum: ſed potius ad aliam multò feliciorem vitam iis, qui re-
ctè vixiſſent, ducem optimam ſolere exiſtere. quicumque enim conue-
nienter naturæ vixerint, nec illam ſecuti ſint malæ conſuetudinis cor-
ruptelam, quæ diuinitus datos igniculos extinguit, vitiáque gignit &
confirmat omnia, eos & viuentes gloria, & è vita excedentes præmiis
proſequi oportet. id enim non ſolùm rationi conſentaneum, ſed etiam
veriſſimum atque æquiſſimum eſt. cui autem æquitatis antiquior cura,
quàm Deo? itaque, cùm homo ſolus ex omni propemodum genere na-
ctus ſit aliquam notitiam Dei, niſi vitæ iniquitate Deo iniquus atque
inuiſus euaſerit, ad Deum certè euolabit. idq́ue æternitatis humanæ
vel maximum, ac firmiſſimum argumentum eſt, ſolum hominem di-
uinæ



uinæ voluntatis participem, conſciumq́ue exiſtere: vt quamquam agre-
ſtibus ſilueſtribusq́ue in locis natus ſit, tamen, ipſa docente natura, & eſ-
ſe Deum, & colendum ac verendum eſſe, dubitare non poſſit. O rem di-
gnam, in qua non modò homines, ſed ipſas etiam pecudes obſtupeſce-
re, ac, ſi fieri poſſit, etiam erubeſcere oporteat: cognatum eſſe hominem
Deo: nullum aliud in terris animal, niſi hominem ſolum, Dei cognitio-
ne imbutum eſſe: nec quidquam eſſe aliud, quod animo, è diuina men-
te hauſto, præditum ſit: tantamq́; ineſſe homini cæcitatem, atque ſocor-
diam, vt diuinæ cognationis immemor, auerſetur migrationē ad Deum?
nec enim aliud eſſe mors, quàm migratio ad cęleſtes ſuperasq́; ſedes, exi-
ſtimanda eſt. nec id ſolùm ratione quadam æquitati, veritatiq́; conſen-
tanea, ſed etiam ſapientiſſimorū hominum maximè firmo, ſtabiliq́; con-
ſenſu. Atqui eum, qui hoc pacto viuere, ac pænè à ſeipſo diſſentire velit,
meminiſſe certè oportuit, terram ipſam, omniaq́; quæ ſub cælo ſunt, di-
uina voluntate regi, proptereaq́; quiddam nobis, quod obſeruandum &
addiſcendum videatur, pręſcribere. quis ergo terram ipſam, aut quotan-
nis feracem, aut ſemper optimas fruges, & numquam malas inutileſq́ue
herbas edentem efferentemq́ue vidit? quis animalia ſemper vberes fœ-
tus edidiſſe, numquam ſterilitatem paſſa eſſe, recordabitur? quòd ſi hæc
ipſa ſecus ſe habent, nihilq́ue in rebus humanis perpetuò firmum, eiuſ-
demq́ue naturæ optare licet: cur, quam in omnibus & rebus, & animan-
tibus viciſſitudinem cernimus, eam ab homine ſeiungamus? qui ſi mul-
tos annos feliciter vixerit, ſi ſobolem, honores, opes aſſecutus, diu tantis
bonis frui potuerit, præclarè ſecum eſſe actum verè dixerit. Sed aduerſi
tamen aliquid ſubeundum perferendúmque relinquetur: demum op-
petenda mors erit, quæ eò leuior eſſe debet, quòd omnibus communis
eſt, nec cuiquam ſingularis, aut præcipua. Sed hoc quoque gratior, quòd
nos à multis erroribus abſtrahit, quibus, quoad viuimus, in tanta opinio-
num varietate aſſiduáque veri inquiſitione perturbari ſæpè ſolemus, &
ad ipſam cernendam fruendámque veritatem iucundè traducit. quo
nihil beatius homini poſſe contingere, ſatis, vt arbitror, ex eo ſuſpicari
poſſumus, quòd innata eſt homini cupiditas ſcientiæ: eius autem præ-
ſtantia non ſanè video, qua alia in re, niſi in perfecta veritatis cognitione
poſita ſit. ex quo fit, vt veritatis cognitionem aſſecuti, perfecta, abſolutá-
que ſcientia potiamur. veréque dici poteſt, qui veritatem intueatur, ſen-
ſúque percipiat, eum voti ſui compotem, veréque beatum eſſe. quòd ſi
beata vita quærenda nobis eſt, nec quidquam fugiendum magis, quàm
ne miſeriarum grauitate premamur: quid illo homine ſtultius, aut ſto-
lidius reperiri poteſt, qui ceterorū morte ita angitur, vt beatæ vitæ obli-
tus, miſeram atq́; infelicem conſectetur? profectò enim ita ſe res habet,
vt, niſi mortis, doloriſq́; timore liberatus ſit, etiam ſi multas cognitas per-
ceptaſq́; virtutes habeat, rectumq́; & æquum omni planè vtilitati ante-
ponat, beatus tamen eſſe nemo poſſit. quid enim aliud dolor eſt, niſi cru-
ciatus animi, iſq́; perpetuus? quid aliud timor, niſi aſſiduus inuiſarum, ac
moleſtarum rerum metus? at quo modo felix, aut beatus eſſe poterit, qui
aſſiduo

aſſiduo cruciatu,metuque vrgebitur? Quin eò miſerior,atque infelicior
exiſtimari debet, quòd non ſolùm ſibi ipſi moleſtiam miſeriamq; com-
parabit, ſed in ceterorum etiam ſermonem, ac vituperationem incur-
ret. nihil enim nimio dolore deformius,nihil à viro alienius.& ſi corpo-
ris prauitatibus vituperatio propoſita eſt, vitiis ipſis, quibus laborat ani-
mus,nihil turpitudinis,nihil inuretur infamię? Illa verò & grauiora ſunt,
& maiori animaduerſione vindicanda, quò nobiliorem, quàm corpus
eſt, ſedem, nempe animum ipſum, occupauerunt. quòd ſi turpis dolor
nimius, & vituperatione dignus, certè illud conſequetur, vt, qui nimio
dolori ſeipſum tradat, ne laude quidem vlla dignus cenſeatur. eſt enim
ſeries quædam maximè veritati conſentanea,vt ſententiarum,ſic rerum;
& quemadmodum in ſermone diſputatiòneque noſtra nectitur aliud ex
alio,ita qui ſe vna aliqua vel deformitate, vel turpitudine implicari pati-
tur,multis ſtatim miſeriis ac deformitatibus opprimetur. Nec verò cre-
di velim; me, quia dolori nimio repugnem, iccirco dolorem omni ex
parte improbare, omneſq; illius ex animo fibras euellendas exiſtimare.
eſt enim,quatenus homo doleat,&,(quod prudenter à Crantore dictum
eſt,) ſiue ſecetur pars aliqua corporis, ſiue auellatur, ſenſus tamen
adeſſe debet. iſtuc enim,nihil dolere, fieri non poteſt, quin quemadmo-
dum feritatem corporis quandam, ſic animi ſtuporē maximum indicet.

Sed nimirum illud eſt, quod improbamus, dolori noſipſos ita tradere,
vt in aliam fortaſſe grauiorem ex alia parte vituperationem incidamus.
nam queadmodum qui nihil prorſus doleat, deſciſcere videatur ab ho-
minis natura, quæ morte perculſa dolorem ac luctum aliquo modo in-
dicare cogitur; ita, qui dolori nimis indulgeat, humanæ naturæ penitus
obliuiſci,communemque omnium conditionem recuſare iudicabitur.
quibus rebus intelligitur,grauiter peccare homines,cùm vel ea,quę om-
nibus perferenda ſubeundaque ſunt,detrectare audent,vel, quid ipſos in
vita deceat,quæque ſequi,aut refugere debeant,non cernunt ſatis. quod
proprium prudentiæ munus eſt; quam humanarum actionum modera-
tricem à Diis immortalibus eſſe conſtitutam,infitiari nemo poteſt.atqui
huic tam præclaro, diuinoq; muneri planè obſiſtit qui nimio dolore du-
citur. non modò enim ſe ipſum ſine vllo fructu lacrymis, ac triſtitiæ tra-
dit,ſed etiam omni planè conſilio,ac iudicio vacat. vbi enim ratio, ſi ſe
dolore auferri ſinat? vbi conſtantia,ſi ſibi ipſe repugnet,& in mœrore ia-
ceat? vbi denique humanitas, ſi ſe hominem eſſe oblitus, nihil ſibi
cum morte commune eſſe contendat? Iam verò illud ſtultiſſimum, exi-
ſtimare,quę ceteri homines libenti animo ſubeant,iis ſe non eſſe obſtri-
ctum. quid enim? an ignorare quiſquam poteſt quanta inter homines
cognatio ſit, quantaque ſimilitudo? etenim, niſi hoc verum fateremur,
cauſſę nihil eſſet,cur homo hominem conſilio,re, gratia iuuaret, ab ho-
ſtium impetu, ac læſione defenderet. quod contrà videmus accidere, vt
qui ab his actionibus auertat animum,non modò in vulgus improbetur,
ſed etiam inhumanitatis, ac feritatis accuſetur. certè enim non è mar-
more ſculpti,aut è robore dolati ſumus: eſt in nobis quiddam,quod pie-
tate miſericordiaq; moueatur, nec extingui ſinat illam, qua Diis proxi-
mi ſu-



mi ſumus, iuuandi, ac benefaciendi voluntatem. itaque inſitum homi-
ni, atque innatum videtur, vt, quoties alium hominem quamuis alie-
num, premi calamitate atque ærumna videat, crucietur animo, nec, ſi
facultas ſuppetat, dimittendam putet illius ſubleuandi occaſionem.
quam enim ipſe, ſi eo loco eſſet, benignitatem ſibi impartiri optaret, ea
vt in alium vtatur, natura tacita quadam voce monere, ac præcipere vi-
detur. quæ igitur ſibi euenire poſſe dubitet,ea ſi contingant, cur angi ac
perturbari velit? aut cur non potius humana illa eſſe, & omnibus homi-
nibus procliuia, fateatur? quantò rectius ille, qui hominem ſe agnoſcit,
nihilque humani à ſe alienum putat? itaque cùm hanc ex animis noſtris
opinionē, mala omnia non eſſe humana, veluti immitem quandam,&
immanem belluam,extraxerimus,profectò minus miſerè,minuſq; ſolli-
citè viuemus. relinquetur enim illa cogitatio, quæcumq. accidant,for-
titer ferenda eſſe,nihilq; poſſe homini euenire, quo funditus proſterna-
tur. idq; ita erit,ſi nobiſmetipſis non aſſentabimur,ſed veritatē,qua nihil
præclarius, præſtabilius, vberius eſſe poteſt, toto pectore amplectemur.
hæc enim illa eſt,quam aſſecuti, meliores multò efficimur, & ad perfe-
renda incommoda, præclaraque peragenda alacriores. cùm nihil, niſi
quod rectum & æquum eſt, laudabile arbitramur, nihilque aliud, niſi
egregia illa, ex quibus vera gloria naſcitur, expetimus. Ac mihi videor
nimis etiam nunc anguſtè atque exiliter agere. qui enim latior obiici
campus queat,in quo fidentiùs atque alacriùs exultare poſſit oratio? ſed
faciam impudenter, ſi medicinam deſerens animorum, quam ex omni-
bus maximè vtilem eſſe intelligo,ad meam vnius delectationem ſermo-
nem omnem, mentemque conuertam. Dolorem igitur nimis acrem ac
diuturnum fugiendum diximus. & quidem probabiliter; cùm ex eo
mala multa, maximeque grauia ſoleant exoriri. contrà verò nihil boni.
neque enim dolor ex illis rebus eſt, in quibus vel ad probandum, vel ad
vituperandum, multa & magna contrariarum rationum paria momen-
ta agnoſcantur. hoc enim ſi accideret,agerem verecundius,neque me in
eum locum demitterem,vnde nullum planè ęxitum viderem. Sed,quo-
niam hæc ita ſe habent,contendo, vincendum eſſe animum,dolorique
acriter obſiſtendum. ſiue enim noſmetipſos, ſiue amicos, ſiue vulgi opi-
nionem cogitemus, id nobis ſine vlla dubitatione faciendum eſt. at,ſi
ad mortuos ipſos animum traducamus, quî poſſumus exiſtimare,gra-
tum illis fore, quòd nimio dolore cruciemur? præſertim cùm ex eo ni-
hil ad illos vtilitatis,ſed permultum ad nos dedecoris,atque incommodi
permanet. Quid igitur eos ipſos à nobis optare, atque expetere arbitre-
mur? nihil ſanè,niſi vt eos illuſtri memoria, ac recordatione decoremus.
Nemo me lacrymis decoret, ait Ennius; cur? quia volito viuus per ora
virûm. quid igitur eſt cauſſæ, cur fletum lacrymaſque recuſet? nimirum
ea gloria, quam ſe adhuc viuentem aſſecutum eſſe confidebat. eandem
igitur ob cauſſam noſtrū quoq. luctum mortuis ingratum moleſtumq;
fore ſuſpicemur, nec aliud eos à nobis quidquam flagitare credamus,
quàm,vt id ipſum illis,quo maximè delectamur, tribuamus. hæc autem
gloria eſt, & aſſidua illorum virtutis recordatio. quam ſi ſermone, lau-
datio-

dationeque noſtra immortalem efficere liceat, hoc vno de mortuis nos vel optimè meritos exiſtimare poſſemus. quid quòd eum, qui ſic doleat, vt recreari confirmarique non poſſit; ne diuinum quidem numen horrere, ſapientiſſimi homines prodiderunt? impium autem eſt, quibus debemus omnia, iis peſſimam referre gratiam. contrà verò, qui deorum voluntati paruerunt, nihilque ſe, quod ab illis vltro daretur, moleſtè ferre declarauerunt, eos non ſolùm viuentes præcipua laude ornauit antiquitas, ſed etiam è vita egreſſos perpetuo coluit honore. idque eò ſtudioſius ac libentius, ſi quos intellexit cum Deorum cultu exercitationem virtutis, & præcipuam in mortales beneficentiam, coniunxiſſe. ſcitè profectò, vt cetera fermè omnia. quid enim maiori laude dignum ex omnibus rebus humanis commemorare poſſimus, quàm eum, qui vitam ducat cum virtute coniunctam, ad Deorum cultum atque honorem, perpetuum in homines ſtudium, ac pietatem aggregare? nec quidpiam tantulum modò in eius animo exiſtere, quod non vel pietati, vel humanitati, vel denique virtuti ſit conſentaneum? Nec aliam ſanè ob cauſſam perturbari omnem vitam errore, inſcitiaque videmus, niſi quòd, quæ in hominis vita præcipua eſſe deberent, pietas erga deos, in homines beneficentia, virtus in ingeniis ac moribus, ea ferè omnia negligũtur. eademque ratione quæ maximè vitare deberemus, ea ſtudioſè expetimus, cæcoq; impetu ferimur ad illa, quibus vita noſtra planè fera, atq. immanis efficitur. ex hoc fonte cupiditates inſatiabiles exoriuntur, quibus nõ modò ſingulos homines, ſed totas familias, & vniuerſas funditus euerſas ciuitates videmus: præterea ſeditiones, inſidiæ, diſcordiæ, rerumque, & hominum clades, & interitus. ex his etiam incredibiles dolores emanant, quibus perturbari vitam, neque ſolùm inſuauem, ſed acerbiſſimam effici neceſſe eſt. quod contrà probis virtutemque amantibus accidit. nam diuinæ voluntati obtemperantes, nihil in ſe ipſis, ſed in ea ſe ipſos, ac ſua ponunt, & locant omnia: neminem lædunt: omnes liberalitate, benignitate, caritate amplectuntur: nulla re cruciantur: nihil appetunt, omnium vitiorum fracto impetu, cupiditatumque radicibus ex animo penitus euulſis. Num igitur eos, qui ita vixerunt, vt ſibi iucundi, diis grati, hominibus fructuoſiſſimi extiterint, diuinis honoribus iure dignos maiores noſtri cenſuerunt? eoſque cum Diis immortalibus æuum agere ſapientiſſimus poëta nõ immeritò cecinit. Nec tamen iccirco, quòd eorum corpora in cælum perlata, credere ſapienter quiſquam poſſit, quod quia natura non patitur, vt, quod è terra eſt, alibi, quàm in terra maneat, ne credi quidem debeat, neceſſe eſt, ſed quòd eorũ animi, tamquam hominum de Diis immortalibus humanoq; genere optimè meritorum, in cælum putentur elati. quod de Romulo, Vrbis noſtræ conditore, memoriæ proditum accepimus: quem ſingulare in genus hominum collatum munus tam pręclaræ vrbis condendæ, in Deorum numero collocauit. idque eo tempore, quo litteris, & doctrinis homines exculti facilè fictum à germano, verum à falſo ſecernebant: vt credi non poſſit, quidquam illis perſuaderi potuiſſe, quod vllam ficti, aut falſi imaginem præ ſe feret. ſed, quod ille mortalis, eximia virtutis ac beneficentię gloria, conſecutus eſt, vt non



vt non ſolùm immortalis, ſed Deus iudicaretur: idipſum aliis etiam tributum eſſe, vt inter Deos recepti putarentur, cùm exceſſiſſent è vita, annales veterum loquuntur. quod & apud Græcos prius contigit, & inde fortaſſe ad noſtros permanauit. nam & Hercules, & Liber, fratres Tyndaridæ, & fæminæ plurimæ, quibus nunc inter Deos locus eſſe præcipuus creditur, & hominibus nati, & homines fuerunt. Sed, quòd virtute præſtiterunt, &, vt cæteris ad rectè viuendum, beneque merendum prælucerent, laborauerunt, ideò eos hominum fama, beneficiorum memor, in conſeſſu, concilioque cæleſtium collocauit. atque ipſos, quos vocamus maiorum gentium Deos, alióſque quamplurimos, quos in Deorum numerum retulimus, hinc à nobis egreſſos, & in cælum profectos, facillimum erit agnoſcere. Maximum verò argumentum eſt, quod de illis credimus, id eſſe veriſſimum, quòd & tantus tot ſæculorum, doctiſſimorúmque hominum conſenſus veritatis vox ipſa eſſe videtur: & quòd tantæ, támque præclaræ virtuti, quem alium verè congruentem locum tribuere oporteat, non ſanè reperies. quis eſt autem tam demens, vt, quos innocentia, liberalitate, & ſingulari quadam ac præcipiua virtute diis proximos intelligat, iis ſeiunctum à Diis tribuendum locum cenſeat? &, cùm hominis animus terrena reſpuat, ad ſupera ſemper feratur: qui non ſolùm tacito naturæ impulſu, ſed voluntate reque ipſa, vt quàm maximè cæleſtibus ſimiles eſſent, præſtiterunt, eos licebítne cælo eſſe priuatos? Mihi verò eò iuſtiùs in cælo collocari videntur, quo clarior eorum inter homines vel eluxit liberalitas, vel virtus enituit. quis enim Hercule fortior? quis prudentior? quis ab omni cupiditate remotior? quos ille labores, vt fortiter ageret, & hominibus prodeſſet, ſuſcepit, & pertulit? aut quid non doloris, & calamitatis exhauſit? quis ergo hunc cælo excludi patiatur, cùm eius virtuti ſempiterna gloria, & laudis patuerit immortalitas? eademque ceterorum conditio eſt: quorum alius alio genere virtutis, omnes ſummis & ſingularibus vel in ipſos deos, vel in homines meritis præſtiterunt. itaque tam egregiis eximiiſque factis non infixas plumbo ſtatuas, non areſcentes triumphorum coronas ſatis diuturna perſoluere poſſe præmia iudicatum eſt, ſed florentiora ſtabilioráque munera quæſita ſunt, quibus ornarentur ij, qui virtutem, honeſtatem, gloriam, otio, libidini, voluptati, vitæ denique prætuliſſent. tamque id æquum eſt, quàm illud decorum, maximeq; probandum, non eaſdem improbis ſedes, quas bonis atq. integris, poſt mortem eſſe propoſitas. intellexerunt enim ex maioribus noſtris cõplures, qui ſapientia præſtiterunt, cùm in Diis æquitas præcipuè vigeat, eaq; in eorum gubernatione appareat maximè, fieri non poſſe, quin nequitiam ſceleraque auerſentur, quique ea in vita exercuerunt, eos à ſe ipſis longiſſimè ſeiungant. quod in vulgus edi verumque exiſtimari, non modò rationi conueniens, ſed vtile quoque imprimis eſt futurum. nam, ſiquid in hominum animis pietatis, ſiquid religionis inerit, certè ob hanc potiſſimum cauſſam ſe à flagitiis, ac facinoribus abſtinebunt, quòd impios, ac nefarios homines à deorum concilio, ac ſocietate arceri iudicabunt. Nec enim omnibus iidem illi ſapientes

pientes arbitrati ſunt eundem curſum in cælum patere. nam vitiis, & ſceleribus contaminatos, deprimi in tenebras, atque in cæno iacere docuerunt. caſtos autem animos, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis atq. artibus expolitos, leni quodam, ac facili lapſu ad Deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem, peruolare. quod ſi ita eſt, certè nobis quantùm conniti animo poſſumus, quantum diligentia conſequi, contendendum atque elaborandum eſt, vt ne ab iis ſegregemur, quorum eſt proprium vita frui ſempiterna, ac beata. quod efficere qui voluerit (omnes autem velle debebunt, qui ſeipſos diligere, conuenienterque naturæ volent viuere) numquam committet, vt, quæ ceteris exitioſa fore crediderit, ea ipſe perſequatur. neque enim in ſpem venire poterit, aut ignoraturos eſſe Deos quæ ipſe agat, cùm diuinam naturam nihil præterire credibile ſit, aut illa probaturos, à quibus non modò Dij, ſed etiam ſani homines abhorreant. quid enim turpius libidine? quid tetrius auaritia? quid deteſtabilius crudelitate? quæ quamuis in hominibus aliquãdo exiſtant, tamen ab hominis natura tam aliena ſunt, quàm humanum illud erit, ſi omnia nobis bona, omniaq; commoda expetamus, atque in hoc comprimendæ ſunt cupiditates, quibus trahimur perſæpe ad ea, quæ virtuti aduerſantur. quod facillimè perficiet, qui tam glorioſi facinoris exitum ſecum ipſe aſſiduè cogitabit. tantaque eſt huius cogitationis ſuauitas, vt, quod libenter, alacriterq; agimus, etiam ſine labore peragamus. idque in præſtantibus, laudiſq; appetentibus hominibus facilè cernitur, quorum tanta eſſe ſolet vel in obeundis præliis, vel in agendis cauſſis, vel in cõtentionibus pro Republ. ſuſcipiendis alacritas, tantáque virtus, vt quod in iis rebus periculi aut laboris eſt, aut nõ ſentiant, aut pro nihilo ducãt. magnum enim eſt contendentis, & ad gloriam anhelantis animi fomẽtum, magnum ſolatium, ſpes futuræ, ac propinquæ ſiue vtilitatis, ſiue gloriæ. neq. id ſolùm in magnis, ſed etiã in leuioribus laboribus, ac ſtudiis. quos enim curſus, quos venatio delectat, eos quamuis de via feſſos, ac pænè exanimes videas, numquam tamen minus alacres, minuſque concitatos animaduertas. Iam, honorum cupiditas quid non in noſtra ciuitate laboris, quid non ſollicitudinis, negotiique faceſſit? quotus tamen quiſque eſt, qui ſe vel labore defatigatum, vel prenſationis moleſtia, curaque confectum audeat dicere? ſic, quorum oculos virtutis ſplendor occupauit, gloriæque ſtudium animos deleniuit, ij nec laborem ſentiunt, & ſi tantus eſt, vt aliquando erumpat, eo tamen non magnopere mouentur. toti enim in eo ſunt, vt proſint patriæ, immortalemque ſibi nominis memoriam comparent. quam ſi quis negligendam ducat, omnemque hominis felicitatem rectè factorum conſcientia metiri velit, is certè diuinos honores, qui claris viris tribui conſueuerunt, numquam negliget. etenim de Diis ipſis, qui eoſdem ſibi honores aſciuerunt, peſſimè iudicaſſe videretur. tanta autem eorum qui huiuſmodi conſuetudine delectati ſunt, & ſapientia, & æquitas agnoſcitur, vt dubitari non poſſit, quin, ipſi quod egerunt, à certa ratione proficiſcatur. quales numerare Lacedæmonas poſſumus, clariſſimos, & fortiſſimos viros, qui ciues ſuos, mortem pro patria obeuntes, diuinis honoribus afficere ſolebant. Quid

verò



verò illæ, omnis planæ doctrinæ, omniſque ſapientiæ parentes Athenæ? nónne Codrum Regem ſuum, ob pietatem in patriam meritaque illa, quibus excelluit, magno conſenſu in Deos retulerunt? Atque haud ſcio an rectè ſenſerint viri doctiſſimi, quorum ea fuit opinio, viros claros, & fortes iccirco deorum immortalium honore conſecratos, vt incitaretur virtus acriùs, & acuerentur vehementiùs ad obeunda pericula qui patriç amore ſtudioq; tenebantur. vera enim virtutis merces gloria eſt, nec quidquam eſt aliud, quo magis ad rectè, honeſteque agendum præſtantis animi homines incendantur. quod optimè agnouit, ac diutiſſimè retinuit, omnium litterarum præclara cuſtos, & altrix Græcia; quæ multos habet virtutis gratia factos ex hominibus Deos. quorum alios fatentur nouos: alios multis iam ſeculis receptos in cælum, conſecratoſque contendunt. quàm multi autem ſint, qui reconditas eorum ſcrutantur litteras, noſſe fortaſſe poſſunt. Neque verò hæc à me ideò copioſius diſputantur, quòd eos temerè, neque ſatis conſideratè tam multos conſecratos eſſe credi velim: cùm eos ipſe quoque venerer, deorumq; loco habendos putem: ſed potiùs, cùm tot apud omnes pænè gentes immortalitate, diuiniſque honoribus affecti reperiantur, vt exacuam bonorum mentes ad ea promerenda, quæ ſapientium iudicio ducuntur ampliſſima. nihil enim præſtantius aut beatius accidere homini poteſt, quàm eo loco donari, in quem vt aſcenderent Vrbis noſtræ conditores, nullum periculum, nullum laborem, nullum denique certamen prætermiſerunt. ac, ſi priuatæ vtilitatis, & commodi habenda ratio eſt, nullam aliam expetere, aut optare vir ſapiens, & eruditus, præter hanc vnam, debet. Templa verò publicè vota, & dedicata, quantum in vulgus dignitatis, quantum habent gloriæ? cùm omnes, qui Deos illos, quibus Tẽpla vouentur, publicè colunt, fateri cogantur, & fuiſſe homines, & ad Deos, diuinoſq; honores, vna virtute fretos aſcendiſſe. Nec mirandum eſt, Deos illos publicè coli, eorumque delubra, & Templa auguſtè, ſanctéq; exornari, qui vel patribus nati ſunt diis, vel matribus. nam, quemadmodum eorum cultus & ſanctus, & religioſus eſt, maximeque pietati atque æquitati conſentaneus, ſic admirationis, aut dubitationis nihil habet. totus enim ex natura oritur: vt iure ipſo naturæ, qui Deo ſatus, vel Dea editus procreatuſque ſit, Deus eſſe debeat. at verò, qui homine patre, vel mortali matre natus eſt, hunc eſſe Deum, & magnum quiddam videri poteſt, & dubitandi occaſionem, nec fortaſſe ineptam, multis afferre ſolet. non enim, ſi eximius talium virorum virtuti tribuatur honos, quin id iure fiat, aut dubitare, aut negare quiſquam poteſt: ſed quòd tantam virtutis eſſe vim velimus, vt vel natura ipſa eius vnius ope immutetur, hoc illud eſt, de quo quærere doctiores viri non immeritò ſoleant. quibus ita reſponſum eſt, non immutari virtute naturam; nec enim id, ſine prioris naturæ corruptione, poſſe euenire: ſed eadem in illis manente natura, euolare animum ad deos, & in eorum adſcribi concilium, cùm immortalis ſit, & immortalitatis diuinæ particeps: corpus autem, ſuapte natura mortale, manere in terra, quodque terrenum eſt, nullo pacto ſuam exuere poſſe naturam, vt alienam induat. quamuis

 enim

enim hæc ipſa quæſtio perobſcura videri ſoleat, nec omnino procliues, aut faciles habeat explicatus; tamen, niſi auctoritatibus contra rationem pugnetur, non incommodè, opinor, à nobis expoſita cenſeri poteſt. Et quoniam, quæ in hoc genere præcipua, cognituque digna ſunt, perſequimur omnia, (volumus quidem certè) prætereundum non eſt, quales, quamque multæ virtutes, erudiendorum hominum gratia, ſint honore deorum immortalium conſecratæ. cuius rei finis eſt, publica vtilitas; vt, quo honore virtutes ipſas decoratas videant, eundem ſe conſecuturos eſſe homines ſperent, ſi iiſdem virtutibus excellant. quo in genere multum boni eſt in imitatione. libenter enim ea imitantur, & perſequuntur multi, ex quibus alios illa eadem, quæ ipſi appetunt, conſecutos vident. atque ex eo plerumque accidit, vt multis in rebus, quas antea ne cogitauerant quidem, cùm ad clarorum virorum imitationem ſe contulerint, multorum vigeat induſtria. quæ cùm paullò manauit latiùs, quantos progreſſus, quantaque acquirat incrementa, nihil neceſſe arbitror commemorare. conſtat enim inter omnes, quæ præclara ducuntur, ea ferè omnia à tenuibus initiis ſumpſiſſe exordium. quod paullatim, imitatione progrediente confirmatum, ita increbuit, vt ne augeri quidem, aut exaggerari magis poſſet. quod ſi vlla in re gratum nobis atque optatum eſſe debet, certè in complectendis prouehendíſque virtutibus non video, quid eſſe poſſit optatius. ſiquidem ex his informatio pendet, educatióque vitæ; quæ cùm rectè inſtituitur, atque excolitur, incredibile dictu eſt, quantos, quamque vberes iuſtitiæ, integritatis, omníſque ampliſſimæ laudis fructus afferat. Sed, cùm virtutes multæ meritò colantur, quòd & ipſæ cultu dignæ ſint, & multæ ab iis ad vniuerſum genus hominum vtilitates proueniant: quid ſit, cur beſtiæ quoque ipſæ ab Ægyptiis fermè omnes conſecratæ ſint, ſcire ſanè velim. ſit Piſcis in cultu, ac Deorum opinione apud Syros, homines nec tanta ingenij acie præditos, nec tantis doctrinarum præſidiis inſtructos, vt hæc inepta, ridiculaq; eſſe, poſſint agnoſcere. Ægyptij verò, omnibus affluentes eruditionis, & ſcientiæ laudibus, quo modo in tam inanem, támque abſurdam delabi opinionem potuerint, equidem intelligere vix poſſum. quid enim? an boues, canes, lupos, feles, piſces in Deorum numero habebimus? & quos nobis natura præſidij, auxilijque cauſſa animantes genuit, eos per inſcitiam Deos iudicabimus? quibus nihil fœdius, obſcenius, lutulentius ne natura quidem ipſa viderit. Etiámne animalium monſtra illa, à quibus hominum generi præcipua incommoda inferuntur, crocodilos, aſpidas, ſerpentes, ceteras feras, & immanes belluas, in Deorum numerum referemus? quid erit aliud, naturam inuertere, & ima ſummis, ſumma infimis commutare? & cùm tantam in his imperitiam, barbariámque agnoſcamus, taménne iſta penitus inania pertinaciter defendemus? Eademq; inſcitia cæpas, allia, fructus ceteros, qui oriuntur è terra, in Deorum numero repoſuit Ægyptus. quæ haud ſcio, cur longiori oratione refellere ſit neceſſe. incredibilis eſt enim eorum abſurditas, vt nulla eſſe poſſit aut pertinacia, aut imperitia tanta, quæ non iſta aſpernetur atque refugiat.

Imbres



Imbres autem, nimbi, procellæ, ſi à noſtris conſecratæ ſunt, id antiquiſſimis Populi Rom. ritibus, ac cæremoniis receptum, & confirmatum eſt. quæ tolli, aut perturbari, cùm & ſatis firma ratione nitantur, & vſu iam ipſo confirmata, & approbata ſint, ſine nefario ſcelere non poſſunt. Græcia verò, quam paullò ante laudibus ornauimus, hoc loco non ſanè laudare poſſumus, quæ Cupidines, & Amores ſatis audacter, & temerè in Gymnaſiis ædibúſque publicis conſecrarit. quid enim Cupidini, aut Amoribus cum Gymnaſiis? aut, quid ea conſecratio vel ad conſiderandum, vel ad imitandum afferre potuit honeſtatis, aut boni? nihil enim temerarium, nihil inſipiens in Deorum conſecratione eſſe debet, nec, quod vllam vel leuiſſimam aut turpitudinis, aut vllius omnino imprudentiæ ſuſpicionem afferat. quales videri poſſunt eorum conſecrationes, quorum in rebus probitati, pudoriq; contrariis numen eſſe, potentiáque creditur. Qui ergo ad hominum vitam vel adiuuandam vel excolendam, atque exornandam aliquid attulerunt, quíque virtutibus, rerúmque geſtarum gloria præſtiterunt, eos nemo dubitet, iure deos habitos, diuinóque cultu affectos eſſe. Neque ego vllo pacto auderem hoc primus prodere. non enim tam ſtudioſè quæ laudari poſſunt, appeto, quàm reformidare ea ſoleo, ex quibus poſſit aliquid vel leuioris culpæ redundare. Cùm verò & mares, & fœminas complures in Deorum numero eſſe videamus, & eorum in vrbibus atque agris auguſtiſſima templa veneremur: aſſentiamur eorum ſapientiæ, quorum ingeniis, & inuentis omnem vitam legibus, & inſtitutis excultam, conſtitutámque habemus. tantis enim ducibus aberrare non poſſumus, nec à nobis, ſed ab illis ipſis, quos ſequimur, rei tam iuſtæ ac debitæ ratio repoſcetur. iure enim feciſſe putandi ſunt, qui ne quem virum, aut fœminam præclarè meritam debito honore ſpoliarent, eorum memoriam ſanctam venerandámque eſſe voluerunt. nos autem iniuſtè ageremus, ſi, quos pari cultu venerationeque dignos cognouimus, eos pateremur ſilentio præteriri. Neque hoc de te vna, mea Tullia, dictum volumus, cuius exſtabunt virtutis, prudentiæ, doctrinæ, continentiæ, ad omnem æternitatem impreſſa veſtigia, ſed de iis omnibus, quos tali honore dignos aut ipſi vidimus, aut futuro tempore poſteritas intuebitur. Nunc autem de te loquar, quam non ego amiſſam, aut mihi penitus ademptam, velim dicere: cùm illuceſcat menti meæ quotidie magis præclariſſima nominis tui, tuarumq; virtutum gloria. vigebis autem memoria, quamdiu monumenta exſtabunt illa, quibus eximia conſignata ſunt tam excelſæ laudis teſtimonia: quæ ſempiterna fore, cùm præſtantiſſima ſint, planè confidere debemus. Tibi igitur numquam me debitum perſoluiſſe officium putabo, niſi de me optimè meritam, quem eximiè coluiſti, ac de patria, quam ſemper ornaſti, ſupremo honore decorauero. Id autem facilè conſequar, cùm is locus, quem tibi delegi, ſempiternam habiturus ſit religionem. noſtra verò ſi qua erit ex ea re conſolatio, quæ magna certè erit: aut, ſi qua laus ex paterna pietate, mihi certè iucundiſſima acciderit. nihil enim aliud vel audire, vel memoria repetere libentius poſſum, quàm me in eam, quam ſummè dilexerim,

ſum-

ſummeque diligendam merito ſuo cenſuerim, quàm maximè pium, gratumq; eſſe. cùm præſertim in alienos,quia de ſe optimè erant meriti, tam prolixos liberaleſque ſeſe, & maiores noſtri,& exteri præbuerint. Quòd ſi vllum vnquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecrauerunt Ægyptij, quod nullum profectò fuit: ſi Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit: huic idem honos certè dicandus eſt. quod quidem faciam,teque omnium optimam doctiſſimamque, approbantibus diis immortalibus ipſis, in eorum cœtu locatam, ad opinionem omnium mortalium conſecrabo. Tu ergo in eo ipſo fano, quod ad nominis tui memoriam ac cultum, votum dedicatumq; eſt, & laudari te, & coli ſenties. maximè autem lætaberis in eo,quòd & eum tibi, quem maximè debui, honorem perſoluerim, & me ſimul iniquiſſimo fortunæ imperio penitus exſoluerim. noſti enim,quàm ſemper alacri fortique animo cunctis caſibus reſtiterim: vt ne me quidem,pulſum patria,omniq; planè dignitate ſpoliatum, tam acri impetu frangere,ac deiicere fortuna potuerit. Cum inimicis autem quanta contentione decertauerim, quæque mea fuerit in iis refutandis, frangendiſq; virtus, & conſtantia, norunt omnes, qui varios ciuitatis noſtræ caſus curioſè notauerunt. Cùm verò, Tullia, te mihi extremo loco fortuna ademiſſet, tum equidem intellexi, quantum illa in rebus poſſet humanis, quantàque aduerſus me ipſum vi, ac poteſtate niteretur. itaque nihil habui,quod dicerem,niſi, Cedo, & manum tollo,cùm tam graui accepto vulnere, planè dolore perculſus, atque afflictus eſſem. Nunc autem & præceptis ſapientiæ aduerſus omnem fortunæ vim confirmatus, &, te conſecrata, in cælumque recepta, tanta affectus voluptate,ac lætitia, quantam animo capere maximam poſſum; exſultare planè videor, victorque de fortuna, ac de omni prorſus dolore triumpho. Tu ergo, quando me inſigni, & excellenti tuarum laude, memoriaque virtutum,tam præclarè iuuiſti, nunc ab hominibus ſeiuncta,non me deſerens, ſed aliquando reſpectans, perduc eò, vbi tua tandem collocutione conſpectuque fruar: vt & parenti tui amantiſſimo, quam potiſſimùm optare debes, gratiam referas, & ego multò mihi gratiorem,multoque iucundiorem congreſſum noſtrum futurum intelligam, quàm inſuauis,& acerbus digreſſus fuit.

FINIS.





# I. LIPSIVS
## CHRISTOPHORO PLANTINO
### S. D.

LIBELLVM *nouitium, quem Italia nunc ſubmiſit, mi Plantine, vidi. quæris quid ſentiam? Nihil in eo quod trahere lectorem poſſit, præter nomen. Cicero enim præſcribitur. quo ipſo inductus auidè ſanè legi. Sed primò diſplicuit; & cùm iterum legi, euiluit. Quis autem ille ſuauiludius, qui latêre ſe poſſe cenſuit ſub hac perſonâ? Malè mehercules de ſæculo noſtro iudicauit. Quid enim tam diſſimile ab illo auro, quàm hoc plumbum? ne ſimia quidem Ciceronis eſſe poteſt, nedum vt ille. In re & inuentione, pleraque protrita & obuia: in phraſi, pueriliter aut ineptè imitata. Nihil vſquam neruorum aut ſanguinis: ac ne color quidem, niſi cum apertâ ceruſſâ & fuco. Et viſne examinemus paullùm cauſſâ noſtræ iuuentutis? ſed breuiter. nam relegere omnia, nedum vt ſublegere, tædeat pigeátq;.*

*Exordium ipſum incohærens, inconſequens: & in contextu periodorum, non cauſſæ pro cauſſis. quod vitium ei proprium, & diffuſum toto libello.*

PAGINA 585. LINEA 46. Qui enim hominem ſe eſſe agnoſcit, cur ea quæ hominis maximè propria ſunt recuſare ac reiicere audeat? quod ſimul vt feciſſet, & imprudens & iniuſtus meritò haberetur.] *Satin' hæc Latina? Hoc volebas & debebas ſcribere,* quod qui faciat, & imprudens & iniuſtus meritò habeatur.

PAG. 586. LIN. 22. In pares ferocia, in ſuperiores ſuperbia, in infimos arrogantia.] *Vide quàm rectè gradiatur. at verum erat,* in ſuperiores adulatio, demiſſio. *aut quid tale.*

PAG. 587. LIN. 17. Quam etiam vita ipſa profundenda, ſi opus fuiſſet, libentiſſimè redemiſſemus.] *Nihil opus erat te profundere illud* Profundenda.

PAGINA 588. LIN. 13. De auaritiâ verò maximâ animorum peſte, nolim hoc loco diſputare. quæ in deſide atque otioſâ mente quàm maximè exoritur, eaque erectiores animos & altiores dignitatis gradus maximè ſolicitat] *Satin' hîc ſanus es? In deſidem mentem cadere auaritiam vis, ſtatim in erectam. & quid hoc eſt*, ſolicitare gradus altiores dignitatis? *niſi ſermonis ſordes.*

PAGINA 589. LIN. 1. Quantum Tullia mea ex maritorum ærumnis & difficultatibus luctus percepit?] *Cur non* maritorum mortibus, *niſi quia id neſciſti?*

PAGINA EADEM, LIN. 18. Mirum ni ſeſe abiiciat, &c.] *Mirum ſi tu te aut verba tua capis. & hoc magis mirum, quòd te non abiicio.*

PAGINA EAD. LIN. 26. Herodoto auctore Argia ſacerdos.] *Egregium & aptum ſanè exemplum. ſicut & reliqua hoc libello, quæ ferè ex eodem Herodoto ſumit. prorſus ad morem Ciceronis.*

PAGINA 590. LIN. 33. Ad alendum dolorem angulus.] *Dixiſſes ſaltem*, ad tegendum. *Iam illud quid eſt, quod addis*, non obiiciendum eum inſipientibus? *Angulúſne ſolet obiici?*

PAGINA 592. LIN. 29. Statim eorum conſuetudinem reguſtabimus, & ad ſuauiſſimam vel conſuetudinem vel conuictum redibimus.] *Hæc quidem vnius vocis iteratio ex ipſo myrothecio Ciceronis.*

PAGINA 594. LIN. 29. Artabani viri ſapientiſſimi.] *Sapientiſſimè. & vide lector totum exemplum, ſi libido tibi ridendi.*

PAGINA EAD. LIN. 45. Nam quem tuetur atque diligit Deus, Iuuenis ſupremum mortis intrat limitem.] *Etiámne facis verſus? ſanè venuſtos. Exprimere illud tritum voluit*, ὃν γὰρ θεοὶ φιλοῦσιν, ἀποθνήσκει νέος. *Sed quid eſt hîc* tuetur? *tibicen ineptus fulciendo verſu.*

PAGINA 595. LIN. 33. M. Regulum, C Marium, L. Brutum ob liberandam patriam interfectum prætereo.] *Quæ exemplorum hæc coniunctio? Regulus ſanè ob fidem periit, Brutus ob patriam. ſed quomodo medium his C. Marium inſeris? diſſimillimum illis, & quem morbo functum ſcire debes in patriâ, quam tunc maximè euertebat.*

PAGINA 598. LIN. 45. Quid enim intereſt inter eum qui vinctus ab hoſtibus & carceribus concluſus obſideatur.] *Fatuelle. vincti obſidentúrne in carceribus?*

PAGINA 602. LIN. 12. Deſunt nonnulla.] *Iam perſuades verum te Ciceronem eſſe, quia mutilus. vbi ergo repertus? in quo ſpecu, aut ſepulcro?* Deſunt nonnulla. *ſanè. hîc & vbique ſigna bonæ mentis.*

PAGINA 618. LIN. 29. Quos enim curſus quos venatio delectat.] *Falſum apertè.*

PAGINA 623. LIN. 20. Cùm verò & mares & fœminas complures.] *Hoc verò germanum Ciceronis eſt. ſcimus enim relatum à Lactantio lib. 1. At tu diuidis, & tua ineptè inſeris: quæ facilè ſe produnt. Longè enim aliter, vt ille ait, catuli olent ac ſues.*

PAGINA 623. LIN. 40. De me optimè meritam, quem eximiè coluiſti, ac de patria, quam ſemper ornaſti.] *In fœminámne hoc conuenit? aut Tullia bene merita de patriâ? Abi, verè Tulliane puer.*

PAGI-



PAGINA 624. LIN. 4. Quod ſi vllum vmquam animal conſecrandum fuit, qualia multa conſecrauerunt Ægyptij, quod nullum profectò fuit.] *Hoc bellum non intellexit fragmentum Ciceronis; itaque vocibus aliquot inſitis ſententiam totam peruertit. Nam è Lactantio ſcimus Ciceronem hactenus ſcripſiſſe.* Quod ſi vllum vnquam animal conſecrandum fuit, ſi Cadmi aut Amphitryonis, &c. *Homo acutus putauit animal de belluis tantùm dici, & ſtultiſſimè ad AEgyptios ritus aptauit.*

PAGINA EAD. LIN. 10. In fano quod ad nominis tui memoriam votum dedicatumque eſt.] *Falſum. Concepit enim de fano Cicero, &, ſi vis, vouit: at numquam dedicauit.*

PAGINA EAD. LIN. 21. Itaque nihil habui quod dicerem, niſi Cedo & manum tollo.] *Hoc quoque Ciceronis fruſtulum (fecit idem in aliis) frigidè nimis hîc inculcat, & vt planiſſimè appareat intextum.*

PAGINA EAD. LIN. 27. Tu ergo quando me, &c.] *Hic quidem epilogus tam egregius, tam aptus, vt hiſtrionem hunc exſibilatura ipſa plebs ſit. Sed deſino, & iure lauo manus.*

*Habes iudicium meum. in quo ſi aliqua aſperitas, ne mirare. Fatua enim hæc ſuperbia tanto nomini ſe inſerentis, digniſſima inſectatione fuit.*

---

# FRAGMENTA GERMANA,
## EX IPSO LIBRO M. TVLLII CICERONIS.

Quæ adiunximus ad diſcrimen, & ad vſum Lectoris.

*Plinius.* Crantorem ſequor.

*Lactant. lib. 3. cap. 18.* Luendorum ſcelerum cauſſa homines naſcuntur.

*Lactant. ibidem.* Non naſci longè optimum, nec in hos ſcopulos vitæ incidere. Proximum autem ſi natus ſis, quamprimum mori, & tanquam ex incendio effugere violentiam fortunæ.

*Lactant. lib. 3. cap. 14.* Sed neſcio, qui nos teneat error, aut miſerabilis ignoratio veri.

*Cic. Thuſc. 1. Lactant. De ira. cap. 10. Inſt. lib. 1. cap. 5* Animorum nulla in terris origo inueniri poteſt. Nihil enim eſt in animis mixtum atque concretum, aut quod ex terra natum, atque fictum eſſe videatur. nihil ne aut humidum quidem, aut flabile, aut igneum. his enim in naturis nihil ineſt, quod vim memoriæ, mentis, cogitationis habeat, quod & præterita teneat, & futura præuideat, & complecti poſſit præſentia,



quæ

quæ ſola diuina ſunt, nec inuenientur vnquam, vnde ad hominem venire poſſint, niſi à Deo. ſingularis eſt igitur quædam natura, atque vis animi ſeiunctą ab his vſitatis notiſque naturis. Ita quidquid eſt illud, quod ſapit, quod vult, quod viget, cæleſte & diuinum eſt, ob eamque rem æternum ſit neceſſe eſt, nec verò Deus ipſe, qui intelligitur à nobis, alio modo intelligi poteſt, niſi mens ſoluta quædam, & libera, ſegregata ab omni concretione mortali, omnia ſentiens, & mouens, ipſaque prædita motu ſempiterno.

*Lactant. lib. 1. cap. 15.* Cùm verò mares & fæminas complures ex hominibus in deorum numero eſſe videamus, & in eorum vrbibus, atque agris auguſtiſſima templa veneremur, aſſentiam eorum ſapientiæ, quorum ingeniis & inuentis, omnem vitam legibus & inſtitutis excultam conſtitutamque habemus. Quod ſi vllum vnquam animal conſecrandum fuit, illud profectò fuit. ſi Cadmi, aut Amphitryonis progenies, aut Tyndari in cælum tollenda fama fuit, huic idem honos certè dicandus eſt. quod quidem faciam, teque omnium optimam, doctiſſimamq; approbantibus diis immortalibus ipſis in eorum cœtu locatam ad opinionem omnium mortalium conſecrabo.

*Lactant. lib. 3. cap. 18.* Nec enim omnibus ijdem illi ſapientes arbitrati ſunt, eundem curſum in cælum patere. nam vitiis & ſceleribus contaminatos deprimi in tenebras, atque in cæno iacere docuerunt. Caſtos autem, puros, integros, incorruptos, bonis etiam ſtudiis, atque artibus expolitos leni quodam ac facili lapſu ad Deos, id eſt, ad naturam ſui ſimilem peruolare.

*Lactant. lib. 3. cap. 27.* Cedo & manum tollo.

IVSTI

# IVSTI LIPSI
# SATYRA MENIPPAEA.
# SOMNIVM.

## Luſus in noſtri æui Criticos.

# IOSEPHO SCALIGERO IVLI CÆS. F. S. DICO.

QVÆ luſi hoc biduo, mi Scaliger, ſuper ambitione & imperitia quorundam, qui Criticos ſe dicunt (veros enim germanoſque tangere mihi mens non eſt, non fuit) ea ad te mitto. Et puto fauebis muneri non Editoris ſolùm cauſſa, quem ſcio amas: ſed rei ipſius. quæ etſi ludicræ & propemodum ſcenicæ leuitatis, habebit tamen fortean quod te delectet imagine aliqua priſci & non vulgati ritus. Te delectet, iuuentutem doceat: cui etiam remiſſiones noſtras volumus ſeruire. Satyram inſcripſi. & verbum minax fecerit imperitis fortaſſe terrorem. Fruſtrà, quia ſine dente, ſine felle eſt: leui tantùm ſale inſperſa. Eoque adeò non bono: vt verear ne priuſquam in manus tuas venerit, putiſcat. Vnum aut alterum tetigi pænè nominatim. ſed quid? in re adeò leui, vt optem cupiamque (quæ præiurationum verba ſunt) IDEM IN ME. Tu tantum huic ludicro ſpectator applaude, mi Scaliger: flos vnice noſtri æui, & qui elogium illud gentis tuæ verum oſtendiſti, GENVS DEORVM. Vale.

AD

## Ad lectorem.

Quiſquis eris bone vir Satyram lecture iocoſam,
Pone ſupercilium.
Seria ſcripta legas caperanti fronte licebit:
Hîc ioca, nugæ habitant.
Vana tibi hoc ſchidium referet ludibria ſomnI:
Credere ne approperes.
Credenti nil ſcribo. meos quaſi ſomnia libros
Qui leget, is ſapiet.
Sed magis is ſapiet qui non leget, & ſciet iſta
Affanias, apinas.

## Ad eundem.

*Quædam in hoc ſcripto obſcuriora fore iuuentuti ſcio, Lector: idq; conſulto conſilio à nobis factum. Satyra enim aliter non ſit. Simul excitanda & attollenda ingenia ſunt: vt aliquando pedes ponere diſcant ſine manuductore. Orationes, quæ inſitæ, proximè ad ſtylum cuiuſque, vt potui, effinxi. Tibi ſi placebit hoc genus; nihil tergiuerſor, quin breui Funus & Triumphum (quæ adfecta apud me viderunt amici) exſpectes.*





# IVSTI LIPSI SATYRA MENIPPÆA.

## SOMNIVM.

Apta ad ritum priſci Senatus.

QVID *hoc anno Romæ in Senatu, dictum, actum, cautum ſit, volo memoriæ prodere. Fruſtrà me reſpicis, cum ſublato digito, Sigalion. non debet ſilentio perire res tam magna. Dicam quæ vidi, quæ audiui, quibus interfui. quis vetat? Ego ſcio coactores abiſſe, & niueam libertatem rediſſe. Si vera dicam, agnoſcite: ſi falſa, ignoſcite. Adeon' hoc æuo difficilis venia vnius mendacij eſt? Nónne & ego ſcio, quo loco extra portam Capenam aqua Mercurij ſit? Scio. & iampridem ea me adſperſi: prouidè & in anteceſſum.*

Deſierant latrare canes, vrbesque ſilebant,
Omnia noctis erant placida compoſta quiete.

*vel, vt cum Varrone clarius dicam, iam noctis meridies erat: cùm tetigit me virga valentiore Dîus Somnus. Autumni tempus erat. itaque multæ & variæ circum caput meum volitantes vmbræ: donec ſub Auroram Somnium ad me venit, longum, firmũ, certum. Nam rectà aduolare mihi viſum è Cornea porta. Eius hic habitus, & forma. Viſus mihi ſum Romæ eſſe in foro, ad radices montis Palatini. Solitudo primò circa me: inde, vt fluctus è mari, paullatim ſurgere viſa ingens multitudo, pallentium, exſanguium, macilentorum, & à quibus Cæſar iure timuiſſet. Si rectè notaui in crepera adhuc luce, partim è Bibliotheca Tiberiana veniebant, partim Vlpia, vbi lintei & Elephantini libri. Rectà illis iter ad templum Apollinis Palatini. Inſpexi curiosè ſiquis mihi notus. ecce autem, Dulciſſime, te video? inquam ad Duzam: tu hîc es? At ille vultuosè.*

Τίς, πόθεν εἰς ἀνδρῶν, πόθι τοι πόλις, ἠδὲ τοκῆες;

Homer. *Quis? quorũ hominũ? quæ tibi vrbs? qui parentes.*

*Itaque ergo excidit tibi Lipſius tuus? inquam. an notorem me dare vis? Et iam ruebam in amplexus: cùm ille effuſus in me, Vigilon' an dormio? & ſatis acceptum te eſſe Lipſium meum? Quis deus autem è Belgis te hîc ſtitit? Deus, inquam*

—θεῖός με ἐνύπνιον ἦγεν ὄνειρος.

Imitatum ex Hom. *Dius me per ſomniũ duxit Somnus.*

Sed dic, ſodes, hanc turbam ſcis quæ ſit? Vah, inquit, turbam tu appellas? Senatus eſt litteratorum. Ego intentior iam & attentior, Senatus ais? quò autem, & quid? Ille me prenſum manu ſiſtit ad *pilam vnam, ſiue columna fuit, in porticu templi Apollinis: & oſtendens ſuſpenſam tabellam, Lege, inquit, heſternum hoc edictum. Legi clarè (iam enim lucebat) in hæc verba. *B. F. CONSVL M. TVLLIVS. M. F. CICERO DIE CRASTINI SENATVM IN TEMPLO APOLLINIS CVM PRIMA LVCI HABEBO. QVI PATRES, QVI CONSCRIPTI, QVIBVSQVE IN SENATVM VENIENDI IVS EST, MONEO SIVE IVBEO FREQVENTES ADESTE. DE SVMMA REP. AGI SCITOTE. QVI NEC ADERIT, MVLTAM PIGNVSVE CAPIAM: EXCVSATIONEM NON CAPIAM. Parabam quærere, ſed Duza me duxit porrò ad veſtibulum ipſum, aditumq. templi. Video intrantes pauculos ſenes, paucos viros, pleroſque iuuenes, & quoſdam imberbes adoleſcentes. Et intrabant parum decorè. Ego ad Duzam, Eugepæ! inquam,

*Edicta olim in pilis columniſque appenſa.*

*Bonum factum.*

—* ἄθροος ὄχλος. ὠθεῦνθ' ὥσπερ ὕες.

*Theocriti, *Confuſa turba. Trudunt velut ſues.*

Tam numeroſus autem iſte Senatus eſt? nónne lex moſque vetus coercebat intra quadringentos? Mihi Duza, Ita eſt, ait. neque enim olim tam vulgò admittebant Cenſores. Nunc quid? placitum eſt Diui Iulij exemplum, & adſcripti paſſim in hunc ordinem ſemibarbari, ſemigræci, ſemilatini. Denique anno, & horno, magnus prouentus in Germania poëtarum fuit.

—— * ὡς μύρμακες, ἀνήριθμοι καὶ ἄμετροι.

*Theocrit. *velut formicæ innumeri & infiniti.*

Itaque valdè numerus noſter auxit. Dum fabulamur, faſces ecce duodecim procedunt, & auditus ſtrepitus lictorum ſubmouentium turbam. Conſul hic eſt (ad me Duza) M. Tullius. Vnus tantum? inquam ego. Vbi, & quis collega eius? M. Attius Plautus eſt, inquit: ſed cubare eum in morbo aiunt, neſcio vbi & à quo nuper malè acceptum. Interibi video Conſulem, ex lege, ante Curiam ſacrificantem, & manibus exta tenentem parum læta. Ciuilis diſſidij notas reppeRiſſe aiebat aruſpex. Ecce autem prælati & ſex alij faſces: Prætor eſt huius anni M. Cato, ait Duza. Sed quid ſtamus? iam introitum oportuit. Ego admirans, Etiam tu in Senatu es? Quippini, inquit, inter Aedilicios: & *nuper adeò præbui ludos. Sequere. & ſimul traxit me pallio renitentem. Non hercle ego, non ego, inquam. Metuis? ait. Validiſſimè.

*In Satyris quas dedit.

legem,



legem, inquio, quæ Senatu arcet non Senatorem. Ille ridens, Ita olim fuit, inquit, cùm Moribus antiquis res Romana viriſque ſtetit: nunc Diuus Auguſtus permiſit protinus virili togæ latum clauum inducere, & Curiæ intereſſe. Denique habes tabellam & ſtylum? Tria verba Latina ſcribe: ego tibi ſpondeo & reſpondeo, non furcillabit te quiſquam Cenſor. Iam intrabamus: cùm vidit me, vti de via eram, gladio accinctum Duza. Heus heus, inquit, pone. Quid ponam? inquam ego. Gladium, ait. nefas enim in conſpectu magiſtratus. Ego diſcinxi, & intraui. Conſpicio ſubſellia ſanè longa. in ſummo ſedentes, Capitones, Labeones, Silones, Frontones, omnes ſeueros & — ἑλκεσιπέπλους: in medio Philoſophos, Medicos, Hiſtoricos: in imo, Comicos, Tragicos, Lyricos, Epicos poëtas. quoſdã ex iis pannoſos, obſitos; quoſdam lauru & anulo inſignes, & Palatij Comitiua. Qui iſti cum lauru? inquam ego. Illíne? ait Duza. Poëtæ ſunt è nupero fœtu. Cur autem coronati? inquio. an vicerunt agonem Capitolinum? Non, ait. ſed hodie ita mos valet, vt non Phœbus, ſed Imperator faciat vates: corona & anulo donet, inter equites ſcribat imò inter Comites. Hem! inquam, ſcilicet ad Cæſaris in Laberio exemplum. Sparſim adhuc ſtabant Patres, muginanteſque & murmurantes: cùm è curuli ſua ſurgens Cicero ſilentium manu popoſcit, & impetrauit. Quies alta fuit, qualis conticinio noctis ſolet, vt audiremus

Florem illibatum populi, Suadæque medullam.

*Ille vultu manuque formatus in habitum oratorum ſic cœpit.*

Etſi meæ partes ſunt P.C. magis exquirendæ ſententiæ, quàm dicendæ: tamen in hac tanta re publica quæ agitur, neceſſariò prædicenda quædam videntur. Memoria tenetis, quod gaudium omnium noſtrûm fuerit, cùm ante paucos annos in Europa renatum vidimus nomen litterarum. Legebamur, colebamur, è ſitu & tenebris eruebamur: adnitente in Italia Leone, in Galliis Franciſco, diuina quadá virtute viris. Quid multa? in ſpem, imò fiduciam ingreſſi eramus reciperandæ priſtinæ dignitatis. Cùm ecce exortum eſt genus hominum audax, inquies, ambitioſum, qui Correctores ſe dicunt. Incredibile eſt P. C. quam ſtragem & quàm latè dederit iſta lues. Philoſophi Rhetoreſque olim à maioribus noſtris vrbe pulſi ſunt, ob ſuſpicionem non maleficæ, ſed nouitiæ doctri-

Oratio Ciceronis in Correctores.

 næ:

næ nos Tarquinios iſtos impunè graſſari patiemur? At enim nequid præter legem, inquiunt, & clemētiam maiorum. Habemus verò P. C. habemus eiuſmodi legem; ſed tamquam gladium in vagina reconditum, cuius aciem patimur hebeſcere. An non lex Cornelia, de ſicariis eſt? Non ſicarij iſti? Quoties ergo prehenſi cum ſtylo & telo ſunt, vocis iugulandæ cauſſa? Sedete, & exſpectate exemplum Caligulæ, vt graphiis in Curia diſcerpant vnum aliquem Senatorem. Augeo hæc ſcilicet, & inuidiæ flammã ſubiicio viris bonis. Vtinam! Sed quis ex iſtis nos adit, nos legit, niſi vrendi ſecandiq. cauſſa? Id enim vocant corrigere. *Hoc rectum eſt, hoc non rectum. hoc non implet aures meas. hoc non Latinum,* * *etiamſi Cicero ita locutus ſit. Stigmatias hic locus. hic mutilus.* Bene, & in tempore acclamaſtis P. C. crucem illis. Poſtremi hominum, vos conſularibus viris, claris per tot imagines maiorum, frontem faciemque ſignetis per ludum & iocum? Noſipſi P. C. quoties iſtorum telis & inſidiis appetiti ſumus? A viginti iam annis Correctorum notis diſtrahor, laceror: & minutis ictibus cottidie ferior, vt ſentiam me mori. Nam illud miſerrimum eſt, quòd honeſtè ſaltem occumbere non licet, & defungi vna plaga. Thuſcus aliquis in me ſæuiit; Thuſco ſucceſſit Venetus; illi, Gallus; Gallo, neſcio quis è Friſiis & Thuringis. Et tamen hi hoſtes noſtri inter nos viuunt. Viuunt? imò etiam in Senatum veniunt: notant & deſignant oculis ad laniénam vnumquemque noſtrûm. O Dij immortales, in qua vrbe viuimus? Hîc, hîc ſunt, in hoc ipſo conſeſſu noſtro, qui de meo veſtrumque omnium exitio cogitarunt.

Verba Lambini.

*Et cùm dixiſſet, viſus mihi apertè ſignateque oculos coniicere ad ſubſellia noſtra.*

——— mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coït formidine ſanguis.

*& trepidè ad Duzam, Tange me frater, inquam, frigidior niue Gallica ſum. Periimus. in Cyclopis antrum deuenimus. quæ Pallas eripiet nos è media morti? Nihil ad eas voces Duza; ſed & ipſe ſedebat anxius, capite demiſſo. Credo, conſcius etiam ſe ex illo muſtaceo laureolam quæſiuiſſe. Itaque ego iam lictorem exſpectabam qui nos duceret.*

*& ô*



*& ô ſaltem (aiebam mecum) gladius ille ad manum fuiſſet, quem ad limen Curiæ poſui!*

Μὴ μὰν ἀσπουδεί γε καὶ ἀκλειῶς ἀπολοίμην.

Homer. Ne ignauè & ingloriosus occumbam.

*Sed inter eos æſtus cogitationeſque pergit porrò Cicero.*

Et tamen, ô patientiam! Hoſce ego Conſul video, & quos iam diu ferro vlciſci oportuit, voce nondum vulnero. Sed deſino. ne longior oratio mea pro præiudicio fuiſſe videatur, aut ſententiæ veſtræ præiuiſſe. Te Apollo Palatine, in cuius ſanctiſſimo templo nunc conuenimus, præſidem præſtitemque Muſarum; cuius auxilium nobis litteriſque, in rebus incertis, certum ſæpe fuit, quæſo veneror que; vti pacem nobis ab iſtis propitius duis, & Senatui mentem quod maximè è re publica erit ſentiendi, & libertatem idipſum cenſendi.

*Finierat cum adclamatione varia Cicero, & ego paullatim ad me redij (non herclè planè poſito metu, quoniam ſciebam imperioſum Conſulem eſſe, & in Tulliano tot Senatores necatos vnius iuſſu:) tamen caligo iam ab oculis abierat, & video ante pedes Conſulis neſcio quem ſedulò ſcribentem. Belga mihi viſus, è veſte. Itaq; inclinans me, Quis eſt iſte? inquam ego ad Duzam. an quadruplator aliquis; & ſubſcriptionem nobis parat? Riſit timidiſſimam ſuſpicionem meam Duza, & ab iſto quidem, inquit, ſecurus animi es. Veruecem vides, non hominem: ouiculam meram. Actuarius eſt, Chriſtophorus Longolius. quē, quia olim peritè admodum verba ſingula Ciceronis ſubſequi & ſublegere ſolet, patres nunc fecerunt Cenſualem. Inter iſta iterum M. Cicero,* Rem breuiter audiſtis Patres, *inquit:* ergo vt relationem faciam, QVOD FELIX FAVSTVMQVE REIP. SIT, DE CENSVRA DEQVE IIS QVI SE CORRECTORES APPELLANT * Q. F. P? Dic tu C. Criſpe. *Tetigi latus Duzæ, Quis iſte Criſpus, quis? Ille, inquit, Romana primus in hiſtoria. Cur eum rogat primum? inquam. & nonne inimicitiæ inter iſtos? Duza inclementius, In Curia es, inquit, an in Gynæceo? ita loquax. Tamen ſcito hunc Conſulem deſignatum eſſe. Hoc habe, & tace. Momordit me tam præfractum reſponſum, eò magis, quòd de inimicitiis nihil: quas tamen ſuſpicabar ex falſis oratiunculis temerè vulgatas eſſe. Surrexerat intereà Criſpus, cui caput pileolo tectum, focale circa collum; & ipſe, nouo more, palliolatus. Non fuit mihi animus rogare Duzam: ſed ta-*

Quid fieri placeat

 *men*

*men facilè diuinabam ægrotum eſſe, fors fuit an plagis aliquot nuper acceptis. Ille infit.*

Oratio Salluſtij cõtra Correctores.

Clementia & lenitas veſtra, P. C. magnum mihi metum faciunt de Correctoribus dicendi. ne aut vobis parum animi aduerſum eos ſit; & illis præſidium nouum in audacia ſua pariter, & pudore veſtro. Satellites quidem eorum defenſoreſque, homines clari nominis & doctrinæ, nequeo ſatis mirari. Conſilia nefaria in nos coïta ſunt; de vita cernimus, aut libertate: & ea proditum perditumque eunt iſti Corneliorum & Varronum ſcilicet præclara proles. Prô, di boni! Vbi Porciæ & Semproniæ leges? Illis lictor, & virga, & ſecuris defenſa à tergo noſtro ſunt: at nos flagris notiſque ſeruilibus obnoxij agimus adoleſcentum, aut vix virorum. Hanc in ſpem clariſſimorum ingeniorum monumenta publicata ſunt? hæc præmia pro labore, & noctibus toties vigilatis? Quorum eos adeò non pœnitet, vt facta in gloriam numerẽt: noui Romuli ſcilicet litterarum & Camilli. Quin ſoli omnium, poſt genitas leges, ſententiam ferunt è coniecturis. Diuinos ſe dicunt. En, cui ludibrio canities noſtra ſeruata eſt? Di bene vertant. cenſeo antiquemus collegium Augurum præ iſtis, & Quindecimuiros fatalium librorum. Peſſimi mortalium. ita vobis mala noſtra irriſui ſunt? Et meritò. quoniam mollitia decretorum illis metum, nobis dignitatem ademimus: & pacem libertatemque etiam nunc optamus magis, quàm defendimus. Quin agamus, atque obuiam eamus P. C. nihil prolatantes; neu ſpolia noſtra diutius penes ignauos indignoſque ſint. Ego ita cenſeo. per Prætorem vrbanum in Comitio comburendos eorum libros: ipſos in vinclis habendos: neu quis de ſoluendis ad Senatum populúmue referat. Qui aliter faxit, eum contra remp. facturum.

*Adſedit Criſpus. neque enim aut mos, aut valetudo eius, ad longam orationem erant. Et Conſul M. Tullius neſcio quid cum Catone ſecretò collocutus,* Patres Conſcripti, *inquit*, multa hodie frequentia eſt. Itaque non ibo per ſingulos: per Saturam exquirendæ ſententiæ ſunt. Dic, ſiquis voles è poëtis. *Non erat alia manus infeſtior teneri Correctorum. Itaque capita paulliſper inter ſe contulerunt, & dilectus*



*dilectus eſt qui omnium nomine diceret P. Ouidius. Non tam Germani id peruicerant, quàm quia conſtabat olim non ignobilem declamatorem fuiſſe, & Arellio Fuſco operam dediſſe. Propriæ quoque illi irarum cauſſæ. Surrexit igitur infenſus & minax vultu, oculis.*

Ouidij oratio aduerſus Correctores.

Patres conſcripti, *inquit*, vetus exſilium meum Tomos me referte, vbi iſta nõ videam, non audiam. Quæ enim Barbaria non ante mores iſtos? aut quæ vita nobis in hac colluuie Correctorum? Periit natiua illa & germana poëſis, poſtquam hoc peſtilens ſidus ingenia adflauit. Videte. quis adoleſcentium hodie Phœbi laurum, vt noſtro more loquar, mordere audet? aut ſiquis audet; quis lucidos & fluentes verſus ſcribere? Quis carmen mihi dat ingenui & ſani coloris? Pigmenta nimirum quærunt, & adſciticios fucos, & ab Ennio vſque Pacuuioque demortua verbà. Ex qua farragine ſiquid poſſunt adſuere: ne illi gemmam id cẽſent, & quaſi in prætexta, purpuræ clauum. Itaque redeunt iterum Saturniæ lemæ, & fiunt

*Verſus, quos olim Fauni vateſque canebant.*

Stomachor. quis me, meoſque numeros? quis Statium, Lucanum, Siliũ audet exprimere, vt non ſtatim audiat, *Odi profanũ vulgus, & arceo?* Eò enim ventum eſt. numerus cenſemur, & plebs poëtarum. Ite boni Patres, & retinete, cẽſeo, iſtos Lucumones. Quamquã vtinam ſtultitia peccarent tantùm: ſæuitia eſt. Nec enim contemnunt ſolùm nos: etiam lædunt. Quæ ſtigmata impoſita nobis ab illis? quæ lentæ vibices? Referte ſi vultis exemplum M. Antonij oratoris in Aquilio, & nudate corpora noſtra. Mentiar, ſi non plures cicatrices nobis, quàm verſus. Collegam hunc noſtrum T. Lucretium videtis? virum perfectæ bonitatis, & qui ex diſciplinæ ſuæ lege * οὔτε αὐτὸς πρᾶγμα ἔχει, οὔτε ἄλλῳ παρέχει. Quid iuuat? audite rem nouam P. C. Vna prouincia, vno tempore, duos Prætores habuit: & de Lucretij ſpoliis bini eodem anno triumphi. Cogitate quid miſer ille paſſus ſit, & proponite vobis duos in Sicilia Verres. Quid noſter —— *Romanæ fidicen lyræ?*
